
FLAVII CHERVBINI
ROMANI I. V. D.
Et Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ in Via Lata de Vrbe
CANONICI
COMPENDIVM BVLLARII
A LAERTIO CHERVBINO PATRE
Nuper editi
A PIO QVARTO VSQVE AD INNOCENTIVM IX.
Tomus Secundus.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Apud Antonium Pinellum. MDCXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

INDEX

Nominum ſex Romanorum Pontificum, quorum Conſtitutiones in hoc Secundo Tomo continentur in Compendium reſtrictæ, vnà cum illarum numero.

PIVS QVARTVS ITALVS

Creatus Romæ Anno 1559.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1559.

CVm ſicut accepimus, & infra pagina. 1. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gubernatori Almæ Vrbis dat iuriſdictionem, vt ad Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarij, & partis læſæ inſtantiam, & Mercatoribus Romanam Curiam ſequẽtibus inhibeat, nè pro pecunijs ad cambium, & recambium vſurariè, & malo modo acceptis, & accipiendis, quicquam exigant, ſub pœna in conſtitutionibus Marchiæ contra vſurarios contenta, & alijs arbitrio ſuo, §. 1. Et poſt d. eius inhibitionem, vel bannum obligationes quaſcunque ſuper eiuſmodi licitis, & illicitis cambijs, nullas declaret d. §. 1. Et totam ſummam per eoſdem Mercatores exactam, iuxta formam dicti banni, ipſo facto dictæ Cameræ, & quòd vltra eam recipien. & exigen. erit, parti læſæ, & Mercatoribus, iuxta dd. Marchiæ conſtitutiones applicet d. §. 1. Addit etiam facultatem in prædictis ſummariè, &c. procedendi, §. 2. Obſtantiaque remouet, §. 3. Solam ſufficere huius conſtitutionis ſignaturam decernit, §. 4. Et clauſulas præſeruatiuas adiungit, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Cambia dicuntur nè illicita, ſi illorum taxatio vniformiter fiat ad tantum pro centenario?

RESP. Illicita quidem reſpectu futurorum: Siquidem experientia docet, quòd modò plus, modò minus lucri, & quandoque nihil importat, Vnde vniformis illa taxatio vſuraria reputatur, cap. Salubriter, 16. vbi omnes de Vſur. Rota in deciſ. Aldobrandin. poſtea Sanctiſſimi 315. lib. 2. Diuerſor. num. 6. & ſeq.

Schol. ſecundum.

Quæro. In dubio nunquid licita præſumuntur?

RESP. Non, quia actor debet probare requiſita, quibus deficientibus, illicita cenſentur, Rota in d. deciſ. 315. num. 5. & in alia deciſ. Seraphini 946. nu. 1. & 5.

II.

Edita Anno 1560.

AD charitatis, & miſericordiæ opera, & infra pag. 2. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cauſas, & lites omnes ſpectantes ad Archihoſpitale Sancti Iacobi in Auguſta pauperum infirmorum Incurabiliũ de Vrbe, ad ſe auocat, §. 1. & 2. Eaſque ſummariè cognoſcendas, & decidendas S. R. E. Cardinali committit, §. 2. Facultatemque in Curia, & extra citandi, & inhibendi, & contradictores coercendi tribuit, § 3. & ſeq. Clauſulas huius indulti præſeruatiuas ſubdit, §. 5. Et decretum irritans, §. 6. Derogatoriaſque clauſulas, §. 7. Eiuſque tranſumptorum fidem, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. D. Archihoſpitale vnde S. Iacobi, & de Auguſta, nuncupatur?

RESP. A Iacobo Columna, Diacono Cardinale Sanctæ Mariæ in Via lata, qui à Nicolao III. anno 1278. creatus fuit, & vſque ad annum 1326. ſedente Ioanne XXII. vixit, vt in vita vtriuſque Pontificis habetur, & circa hæc tempora, Hoſpitale, vel à d. Iacobo Cardinale (quod verius puto) vel à Petro etiam Columna prædicti Iacobi Fratre anno 1288. per Nicolaum IIII. in Cardinalem aſſumpto. De Auguſta autem, quia in Hortis Auguſti Imperatoris erectum fuiſſe, vt vidi in quodam authentico manuſcripto apud Archiuium d. Archihoſpitalis.

Schol. ſecundum.

Quæro. In Compendio conſtitutionis 15. Leon. X §. 1. fuit dictum hoc Archihoſpitale nuncupatum Sanctæ Mariæ de Populo, & S. Iacobi. Vnde ergo eſt, quòd hodie ſolius S. Iacobi nomen retinet?

RESP. Quia primò erectum fuit in loco, vbi aſſeruabatur Sanctiſs. Imago B. Mariæ de Populo, in quadam paruula Eccleſia, quæ poſtmodum ampliata, & Fratribus Eremitis Sancti Auguſtini à Confraternitate d. Archihoſpitalis conceſſa fuit, vt ſcripſit Camil. Phanuc. in ſuo libercula de Pijs Vrbis Operibus, lib. 1. cap. 5. & lib. 3. cap. 4. vbi aliquid etiam habetur de eo, quod tibi ad primum Schol. narraui.

III.

Edita Anno 1560.

SEdis Apoſtolicæ ſolertia, & infra pagina. 3. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus IV. edidit cõſtitutionem 14. de qua ſup. pagina 141. tom. 1. contra religioſos apoſtatas, aut malè translatos, el extra clauſtra vagantes, §. 1. In executione illius con-

ſtitutionis multæ lites ortæ fuerunt, §. 2. Ad quas tollendas, hic Pontifex eos abſoluit à cenſuris incurſis, ob non paritionem d. Conſtitutioni, §. 3. Et ſuper irregularitate per eoſdem incurſa, diſpenſat, §. 4. Eamque conſtit. ad formam iuris, & Sacrarum conſtitutionum reducit, §. 5. Omneſque huiuſmodi lites ad ſe auocat, & Ordinarijs locorũ, iuxta formam iuris, & ſummariè cognoſcendas committit, §. 6. & 7. Contrarijs derogat, §. 8. Apoſtatæ, & tranſlati abſoluti pœnitentiam à Confeſſoribus iniungendam agere debeant, §. 9. Apoſtatæ, & tranſlati vt diſpenſationes expedire teneantur, §. 10. Exẽplis huius Bullæ fides detur, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Quæ ſunt Sacræ cõſtitutiones, de quibus in §. 5.?

RESP. Iura ſunt text. in cap. penultim. de Apoſtat. & in cap. vlt. de Regularibus, vbi Scribb. materiam declarant.

Schol. ſecundum.

Quæro. De iure eſt iudicandus apoſtata verè, & propriè, qui deferens habitum laicalem, vagatur extra Clauſtra, ſed non conſtat, an habuerit animum deſerendi Religionem?

RESP. Negatiua opinio probatur in cap. 2. vbi Canon. ita tenent. Ne cler. vel Monach. prout etiam tenuit Rota coram Acchil. de Graſſ. deciſ. 346. per tot. & poſt alios Roder. de Quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 30. art. 2. Benè verùm eſt vt ibi dicitur num. 11. quòd eſt vagabundus, & largo modo, & impropriè dicitur Apoſtata, & ita intelligenda eſt deciſ. 19. lib. 2. Thomæ Triuiſani, dicens, Venetijs fuiſſe Apoſtatam quemdam regularem, qui ſubtus portabat habitum regularem coopertum, alio habitu ſæculari ſuper indutus.

IIII.

Edita Anno 1560.

PAſtoralis officij authoritas, & infra, pagina 5. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas à Roman. Pontt. indictas, contra eos, qui iocalia, ornamenta, & alia quæcunque bona vſui Romani Pontificis deputata, vel altàs ad eum, & Cameram Apoſtolicam quomodolibet ſpectantia, vndequaque ablata detinent, §. 1. & 2. Monet cuiuſcunque conditionis, & ordinis, etiam Cardinalatus, & Ducatus dignitate præditos, quatenus infra ſex dies ea reſtituant, & ſi donationem, vel remiſſionem aliquam prætendant, exhibeant, & eorum detentores ſcientes reuelent, §. 3. Non reſtituentibus autem, & non reuelantibus grauiſſimas pœnas infligit, §. 4. Executores huius conſtitutionis deputat, §. 5. Eamque Romæ publicari mandat, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Scire, vt alium reuelet, vt in §. 3. quis dicitur?

RESP. Qui ſenſu ſui corporis certum eſſe percipit, vt putà vidit, aut à detentore, vel alio fide digno audiuit; Secus ſi quoquomodo quis audit, aut ſuſpicatur, gloſſ. in l. 2. §. Idem Labeo, ff. de Aqu. pluu. arc. & in cap. Tuanos 26. de Sponſal. Nauarr. conſ. 9. Dubito aliquem, lib. 5. de Hæretic. num. 1. Graff. in ſuis deciſ. part. 1. lib. 4. cap. 8. num. 30.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid ſi reuelare valens, ex ſua reuelatione aliquod magnum damnum ſentiret?

RESP. Excuſaretur reuelare, ita Sot. de Iuſt. & Iur. lib. 5. quæſt. 7. Nauar. in Manual. cap. 25. num. 50. Suar. to. 5. diſput. 20. num. 9. ſect. 3.

V.

Edita Anno 1560.

DE ſtatu Eccleſiarum, & infra, pagina 6. Bullarij.

COMPENDIVM.

Eximit Moniales, & Sorores quorumcunque Ordinum Regularium, à ſolutione decimarum, ſubſidiorum, & onerum, à Sede Apoſtolica, ſeu eius Legatis, & Nuncijs, aut alijs quauis authoritate fungentibus, ex quauis vrgentiſſima cauſa impoſitorum, quatenus non poſſideant alios annuos redditus, deductis quatuordecim ducatis auri de Camera pro victu alicuius Monialis, vel Sororis, §. 1. Prohibet Commiſſarijs, & alijs quibuſcunque, nè deſuper eas moleſtent, §. 2. Executores huius conſtitut. deputat, §. 3. Contrarijs derogat, §. 4. Tranſumptiſq; credi mandat, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Cur de illis ducatis quatuordecim, decimæ, & alia onera eximuntur?

RESP. Quia ex hac portiuncula, Monialis vix ſe ſuſtentare poteſt, & ſic decimari non valet, vt in puncto oſtendit Gemin. conſ. 85. num. 26. & Rebuff conſ. 124. num. 6. quos ſequitur Leon. in ſuo Theſaur. Fori Eccleſ. par. 2. de Decim. num. 83. & ſeqq. iuxta impreſſionem Romæ anno 1616. loquens de hac Pij conſtitutione. Et ad hoc facit elegans text. in l. Præſes. 6. Cod. de Seruitut. vbi habetur, quòd agris noſtris ſitientibus, alios irrigare non debemus, quem in propoſito perpendit. Bellenc. de Charit. ſubſid. quæſt. 77. num. 5.

Schol. ſecundum.

Quæro. Illa verba de decimis impoſitis, locum ne habent etiam in iam exactis?

RESP. Non; ad futura namque regulariter lex reſpicit, vt in noſtris terminis, ita conſulendo dixit Geminian. conſ. 19. num. 5. vſque ad finem, cui adhæſit Roder. tom. 2. Quæſt. Regular. quæſt. 65. artic. 2. in fine.

VI.

Edita Anno 1560.

ILlius, qui pro Dominici, & infra, pagina. 7. Bullarij.

COMPENDIVM.

De conſenſu Vicarij Papæ, fuit in Vrbe inſtituta Confraternitas cum Hoſpitali, in ſubſidium, & eruditionem Pauperum Peregrinorum, & Conualeſcentium, & ibi vltima cuiuslibet Menſis Dominica fit Oratio, Confratres in vnum congregari, peccata ſua confeſſi Sacramentum Euchariſtiæ recipiunt, & facta Proceſſione, partitis horis triduò orant, & ſemper in Hoſpitali Peregrinos recipiunt, pìè alunt, & inſtruunt, & etiam conualeſcentes. Et modò ab iſto Pontifice confirmantur, §. 2. Vtiſitantibus dictum Hoſpitale Indulgentiæ conceduntur, §. 3. Orantibus tempore ſupradicto, aliæ dantur, §. 4. Confratribuſq; pia opera exercentibus, §. 5. & ſeqq.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore, quoue authore Confraternitas iſta promota fuit, eiuſq; Hoſpitale?

RESP. Anno 1548. Creſcentium Syluam, Sacerdotem Senenſem, hæc promouiſſe, ſcripſit Camill. Phanuc. de Pijs Vrbis Oper. lib. 1. cap. 13. & lib. 3. cap. 27.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quis omnium primus peregrinos publicè nutriendi modum conſtituit?

RESP. Ioticum quemdam beat. mem. conſtituiſſe, & locum ad hoc exædificaſſe, tradunt Leo, & Arthemius Cæſares in l. Omnia 33. Cod. de Epiſcop. & Cleric. & refert Greg. Tholoſ. lib. 15. Syntagm. iur. cap. 28. nu. 34.

VII.

Edita Anno 1560.

VOtis veſtris, per quæ, & infra pagina 8. Bullarij.

COMPENDIVM.

Generali, & alijs Abbatibus, ac Viſitatoribus Congregationis Montis Oliueti, Ordinis Sancti Benedicti, dat facul-

facultatem absoluendi in foro conscientiæ tantùm, & dispensandi Monachos suos, à quacunque irregularitate, præterquam ex causa homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum incursa, §. 1. & 2. Derogat contrarijs omnibus, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Bigamia, de qua habetur in §. 1. cuius effectus est irregularitas, siue repulsio ab Ordinibus Ecclesiasticis, & mysterijs diuinis, à quo sumpsit exordium?

RESP. Ab Apostolo Paolo, qui ad Timotheum discipolum scribens ait, *Oportet Episcopum vnius vxoris esse virum*, vt dicitur in cap. 1. Caus. 28. quæst. 3. vbi voluit, appellatione Episcopi, omnes Clericos comprehendere, vt post alios scribit Ioan. Montaign. de Bigam. quæst. 3. nu. 5.

Schol. secundum.

Quæro. Cur ex bigamia, hic effectus habetur?

RESP. Quia contrahens cum duabus vxoribus, non benè repræsentat coniunctionem Christi cum Ecclesia sua vnica sponsa, vt declarat S. Thom. 4. sent. dist. 17. quæst. 3. art. 1. & benè glos. in c. Debitum 5. de Bigam. in verbo, cognitam, & Nauar. cons. 1. de Bigam. num. 2. incipien. Quæritur an Laicus lib. 1. pag. mihi 70.

VIII.

Edita Anno 1560.

GRaue nobis, & molestum, & infra, pagina. 8. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet Ecclesiarum Prælatos, cæterasq; Ecclesiasticas personas, & alios, qui fructus beneficiorum Ecclesiasticorum percipiunt; absque Sedis Apostolicæ licentia, etiam ad fauorem Hospitalium, & locorum piorum de dictis redditibus quouis prętextu disponere posse, §. 1. & 2. Alioquin hæc relicta, tanquam spolia R. Cam. Apostolicæ, exigi decernit, §. 3. Dispositionesq; aliter fiendas prohibet, §. 4. Decretum irritans apponit, §. 5. Et contrariorum derogationem, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Quid si habens licentiam testandi, ea nō vtatur?

RESP. Proculdubio ei non suffragatur, nisi extet etiam licentia succedendi ab intestato, vt arg. l. 3. & l. Hac consultissima 21. Cod. Qui testam. facere poss. affirmat Nauarr. de Spol. Clericor. §. 7. num. 6. & sequitur Leon. in suo Thesaur. For. Eccles. par. 2. cap. 3. num. 30. in vltimo impresso.

Schol. secundum.

Quæro. Alter nè, quàm Sedes Apostolica eiusmodi Ecclesiasticis personis, sic testandi licentiam cōcedere potest?

RESP. Non, vt multis probat rationibus Nauar. de Spol. Cleric. §. 9. num. 3. & seq. & de Reddit. Eccles. q. 1. monit. 40. nu. 8. & Leon. in loco præcit. num. 31.

IX.

Edita Anno 1560.

CIrcumspecta Romani Pontificis, & infra, pagina 9. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Martinum V. cognitionem causarum Militiæ, & Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani Magno Magistro, & Conuentui dedisse, §. 1. Et quascunque beneficiorum dispositiones ad eundem spectare voluisse Sixt. IV. §. 2. Ordinemque S. Sepulchri, & Militiam Sancti Lazari Innocentium VIII. suppressisse, & huic Militiæ vniuisse, §. 3. Et nullam exemptionem ab obedientia M. Magistri, & Conuentus, neque à solutione iurium communis ærarij excusare voluisse, §. 4. Beneficiaque huius Ordinis, neque affecta esse, nec sub reseruationibus comprehendi, sed solummodo ad M. Magistrum, & Conuentum, ac illorum collationem spectare. §. 5. Ac Iulium II. expectatiuas, omnesque alias gratias præuentiuas, absque M. Magistri, & Conuentus consenso, irritas decreuisse. §. 6. Coadiutoriasq; & alias gratias alijs, quàm personis huius Ordinis concessas, reuocasse, §. 7. Causarum quoque, & litium totalem iurisdictionem, M. Magistro, & Conuentui tribuisse. §. 8. Indulgentias Ecclesiarum Ordinis, innouasse. §. 9. Exemptionem à decimis, & alijs oneribus quibuscumque hactenus concessam, approbasse. §. 10. Eorum publicationem, Ecclesiarum Prælatis demandasse. §. 11. Leonē X. concessiones Martini V. Alexan. VI. Pij II. & Iulij II. comprobasse. §. 12. Authoritatemq; M. Magistro, & Conuentui, Vicarios in Prioratibus, cum certis facultatibus deputandi, dedisse. §. 13. Literis M. Magistri, & Conuentus credi voluisse, §. 14. & seq. Beneficia quædam vacantia, ad Papam non deuolui. §. 16. Alienationes rerum immobilium Ordinis non permitti, §. 17. Et clausulam cum derogatione Priuilegiorum Hospitalis, non operari vltra expressa in derogationibus. §. 18. Expectatiuas, & similes gratias concessas, & concedendas irritasse. §. 19. Clem. VII. supradictas gratias approbasse, familiaresq; & famulos huius Ordinis illis vti posse decreuisse, §. 20. Iurisdictionem etiam meri, & mixti imperij in Ordinis loca, & personas M. Magistro, & Conuentui dedisse, §. 21. Facultatem eisdem priuandi inobedientes, cōcessisse. §. 22. Procuratorem in Rom. Cur. cum potestate beneficia etiam reseruata, &c. præterquam in manibus Papæ resignata, conferendi, eligere, potuisse. §. 23. Indulgentias publicandi, & eleemosynas colligendi M. Magistro, & Conuentui facultatem tribuisse, §. 24. Mortuosq; in Ecclesijs Ordinis sepeliendi. §. 25. Legata exigendi. §. 26. Sacros Ordines à quocumque Episcopo consequēdi, §. 27. Arma gestandi, §. 28. Confessiones audiendi, & Sacramenta ministrandi, §. 29. Interdicti tempore celebrandi. §. 30. Nouas pręceptorias ab Ordinariorum iurisdictione, exemptas erigendi, §. 31. Damnosos contractus reuocandi, §. 32. Regressus quoscumque reuocandi, §. 33. Aduersus contractus læsiuos, in integrum restituen, §. 34. Lites omnes, etiam in Rom. Cur. vertentes eumdem Clemen. VII. M. Magistro commisisse, §. 35. Exemptionem ab Ordinariorum iurisdictione dedisse, §. 36. Et à solutione onerum quorumcumque. §. 37. Et iuspatronatus, & præsentandi ad beneficia Ordinis ratione fundationis, aut dotationis constitui posse, §. 38. Pensionesq; super fructibus beneficiorum Ordinis, solum eius Fratribus assignari. §. 39. Beneficia, & pensiones eiusmodi habentes, infra sex menses professionem facere, & habitum suscipere teneri, §. 40. Quoscumque in dignitate Ecclesiastica constitutos, à personis Ordinis electos, tutari, & facultatibus Conseruatorum perfrui debere, §. 41. Capellanosq; Ordinis tantùm, eius parochialibus deseruire. §. 42. Habitum Ordinis suscipientes, & nō alios illius gratijs perfrui posse, §. 43. Confugientibus ad illius Ecclesias, manus violentas iniici prohibuisse, §. 44. Suasque literas cum consensu M. Magistri, & Conuentus eumdem Clem. VII. Ordini suffragari voluisse. §. 45. Illisq; decretum irritans apposuisse. §. 46. Prædecessorum quoq; gratias confirmasse, §. 47. Litiuos omnium personarum Ordinis, M. Magistro, & Conuentui cognitionem duobus exceptis casibus dedisse, §. 48. Expectatiuas, & gratias præuentiuas irritasse, §. 49. Paulum deinde III. prædecessorum gratias, præsertim quoad perceptionem decimarum comprobasse, §. 50 Exemptionemq; à solutione decimarum obseruari voluisse, §. 51. Et Parochialibus, & alijs Ecclesijs Ordinis Capellanos eiusdem deputari decreuisse, § 52. Hic modò Pius prædecessorum gratias comprobat, §. 53. Et etiam Statuta Capituli generalis anni 1558. §. 54. Ad Hospitaleq; d. Ordinis, in Insula Meliten. consisten. extendit §. 55. Causarum omnium d. Ordinis, M. Magistro, & Conuentui cognitionem tribuit, §. 56. Appellari à Iudicibus Ordinis, ad M. Magistrum, & Conuentum, & ab illis ad Capitulum generale permittit, § 57. Penitentias M. Magistri, & Conuentus nullo prætextu impediri posse decernit, §. 58. Facultatemq; eisdem, contra omnes Ordinis debitores procedendi, impertitur, §. 59. Conseruatores Ordinis, omnes eiusdem personas, & seruitores tueri præcipit, §. 60. Intra

omnia exigi mandat, §. 61. Ordinari à quocunque Antistite, & extra tempora permittit, §. 62. A decimis, alijsque subsidijs eximit, §. 63. Bladorum extractionem concedit, §. 64. Priores, & Præceptores, infra limites suæ iurisdictionis veros Ordinarios declarat, §. 65. Indulgentias Ordini elargitas approbat, §. 66. Beneficia Ordinis à M. Magistro, & Conuentu ad nutum concedi decernit, §. 67. Rem iudicatam, eisdem non citatis, minime præiudicare censuit, §. 68. Personas Religionis, in causis ipsius, testes, alijs deficiētibus, recipi mandat, §. 69. M. Magistrum, & Conuentum, quoscunque delinquētes, & vbique capere posse indulget, §. 70. Huius Bullæ, & Priuilegiorum Ordinis transumptis, fidem dari præcipit, §. 71. Eius, & M. Magistri, & Conuentus mandatorum publicationem omnes arctare decernit, §. 72. Habitum extra Conuentum suscipientes, vel beneficiorum pensionem obtinentes, infra annum in Conuentu comparere debere, iubet, §. 73. Clausulas huius Bullæ, præseruatiuas apponit, §. 74. Et clausulam Sublatam, &c. 75. Executores deputat, §. 76. Contrarijs derogat, §. 77.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore in Insula Meleuitana, de qua in §. 55. hoc Hospitale existere cœpit?

R E S P. Hoc vnum scio, quod die 23. Martij 1530. Carolus V. Imper. Religioni, & Militiæ S. Ioannis Hierosolimitani, Insulas Tripolis Melueti, & Gaudisis in feudum concessit. Et illę sub recognitione vnius falconis annis singulis Viceregi Regni Siciliæ die 25. Aprilis acceptarunt. Isteque Pont. die 9. Maij eiusdem anni comprobauit, vt ex authentico eius diplomate in Bibliotheca Genitoris mei asseruato, perlegi.

Schol. secundum.

Quæro. Si in hoc Hospitali aliqua extaret capella, nūm verisimile sit, iuspatronatus esse Hospitalarij?

R E S P. Id præsumi ostendit Felyn. in cap. Cum venerabile 6. de Exception. num. 37. vbi latè, & illum secuta est Rota in decis. 1120. Seraphini num. 3.

X.

Edita Anno 1560.

DE salute gregis dominici, & infra pag. 20. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Monet Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas, ab Ecclesijs, & diœcesibus suis absentes, ad eas quantò citius redire, §. 1. Patriarchali, Primatiali, Metropolitana seù Cathedrali Ecclesia, seu quocunque titulo insignitos, sex mensibus continuis, extra suum diœcesim morantes, quartæ partis fructuum vnius anni, Fabricæ Ecclesiæ, & pauperibus loci, per superiorem Ecclesiasticum applicandorum, pęnam ipso iure incurrere decernit, §. 2. Et alijs sex mensibus similiter morantes aliam quartam fructuum partem amittere iubet d. §. 2. Crescente contumacia, seueriori Sacrorum Canonum censuræ subijci mandat d. §. 2. Et superiores, infra tres menses Papæ salubrius prouisuro, nunciare præcipit d. §. 5. Residentes autem, non nisi de mandato Papæ, quoduis etiam ob graue delictum ad Rom. Cur. trahi censuit, §. 3. Exemptosque à decimis, subsidijs, alijsq; impositionibus reddit, §. 4. Alia priuilegia eisdem concessa comprobat, §. 5. Et iurisdictionem contra quoscunque Clericos sæculares, & etiam regulares, extra eorum loca degentes, permittit d. §. 5. Et ab eorum decretis ante diffinitiuam sententiam, & vbi agitur de morum correctione ad Papam appellari prohibet, §. 6. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §. 7. Executores huius constit. deputat, §. 8. Contraria remouet, §. 9. Transumptis credi iubet, §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Nūm in omnibus beneficijs Ecclesiasticis, etiam de iure communi necessaria est residentia?

R E S P. Licèt affirmatiua sententia de iure communi probetur, verumtamen vniuersalis consuetudo est in contrarium, vt dixit Rota in decis. Seraphin. 639. num. 5. in Nouis.

Schol. secundum.

Quæro. Ad hanc residentiam tenentur nè etiam S.R.E. Cardinales?

R E S P. Post hanc huius Pont. sanctionem, quam etiam Concil. Trident. sub Paulo III. constituerat sess. 6. de Reformat. cap. 5. etiam S. R. E. Cardinales comprehendere, idem Concil. sub isto Pio declarauit, session. 23. de Reformat. cap. 1.

XI.

PRouida Romani Pontificis, & infra, pag. 21. Bullarij.

Edita Anno 1560.

C O M P E N D I V M.

Quia Paul. IV. irritas declarauit omnes rerum Ecclesiasticarum alienationes, in damnum Ecclesiarum, vel non seruatis iuris solemnitatibus, aut alias nulliter factas supra in sua const. 2. pag. 138. tom. 1. Detentoresq; illorum bonorum vnà cum fructibus ea relaxare decreuit, ibid. Exinde multæ ortæ sunt lites & quæstiones cum d. constitutio Pauli IV. nimis rigorosè executioni demandata fuerit, & facta interpretatio, quod legitima temporis præscriptio opponi non poterat, neque compensatio, vel etiam pro melioramentis competens retentio, aut fructuum bona fide perceptorum, & consumptorum excusatio, neque fori declinatio, aut aliud iuris remedium, vt hic in §. 1. Hic ideò Pont. illam constitutionem, quoad lites pendentes, & futuras, reducit ad terminos iuris communis, §. 3. Quò verò ad decisas, absoluit condemnatos à censuris, & eas reuideri, & secundum ius commune terminari præcipit, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Præscriptio, de qua habetur in §. 2. ergo datur in bonis Ecclesiasticis male alienatis?

R E S P. Datur præscriptio cum bona fide spatio quadraginta annorum Molin. de Iustit. & Iur. disp. 79. vers. De rebus. Nauar. cons. 1. 2. & 3. de Episcop. in nouissimis. Canon. communiter in cap. 2. de Reb. Eccles. non alienan. Sed hoc de iure communi ante const. Paul. II. posset procedere; Attamen cum ex const. 2. & 5. eiusdem Pauli supra fol. 327. & 329. Bullarij requiratur licentia Sedis Apost. vltra legis prohibitionem, secus est ad Ruinum in cons. 41. lib. 1. n. 27. & Decian. cons. 43. lib. 1. n. 19. cum alijs per eos allegatis.

Schol. secundum.

Quæro. Sed poterit nè temporis diuturnitate præsumi licentia, & assensus Apostolicus?

R E S P. Rota in decis. 179. par. 1. Diuers. tenuit præsumi ex lapsu 38. vel 39. annorum cum possessione, siue solutione Canonis, & probat Gabr. cons. 88. lib. 1. n. 19. & seq.

XII.

CVm sicut accepimus, & infra pagina 22. Bullarij.

Edita Anno 1560.

C O M P E N D I V M.

Paulus IV. in sua const. 8. de qua sup. pag. 139. tom. 1. tradidit formam contrahendi Societates Officiorum in princ. Hic Pont. Societates iniri indulget cum pactis licitis, per ipsos officiales, vsque ad valorem officiorum, super eorum officijs, licet Paulus IV. vltra dimidium valoris iniri vetuisset, §. 1. & 2. Quibuscunque non obstantibus. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Erit nè pactum licitum, quod dissoluta societate, currant fructus in eadē quantitate, quæ solui debet durante Societate?

R E S P. Erit illicitum, vt secundum communem sententiam Canonistarum, Theologorum, & Legistarum, censuit Rota in decis. Fabij Accorambóni, in vna Rom. Societatis officij anno 1555.

Schol.

Schol. secundum.

Quæro. Attentis illis verbis *per ipsos Officiales, & super eorum officijs*, de quibus in §.2. quid dicen. si Petrus sit dominus alicuius Officij, Ioannes verò reseruatarius fructuum effectus à Petro?

RESP. Valet societas, contrahitur etenim super fructibus Officij, de quibus Ioannes disponere potest, non autem super eius titulo, qui est solius Petri, ita diffiniuit Rota in decis. Pegnæ in vna Romana Societatis Officij die 23. Ianuarij 1595. & prius in alia Romana Societatis Officij die 9. Maij 1588. vbi casus magis dubitabilis decisus fuit, & vtraque decisio ad interpretationem huius constitutionis emenauit.

XIII.

Edita Anno 1560.

CVm in alienationibus, & infra, pagina 23. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ne Romanæ Ecclesiæ, & Cameræ Apostolicæ iura, hominum malignitate lædantur, statuit, vti de cætero in omnibus alienationibus Thesaurariarum, Dohanarum, Gabellarum, aliorumque iurium, bonorum, & redditnum in Vrbe, & alijs locis Stat. Eccles. ad eandem Cameram pertinentium, obseruari debeant solemnitates debitæ, & de iure requisitæ, tàm quoad publica dicta, cum expressione, locorũ, & dierum, in quibus hæc fieri debebunt emittenda, ac licitationes, & subhastationes cum temporis arbitrio Iudicis præfixione, necnon plus offerentibus deliberationes, quam quoad cætera circa rerum Fisci alienationes disposita, §.1. Alienationes aliter factæ nullæ sint, §.2. Fraudes desuper fieri interdicitur. §.3. Executores huius constit. deputantur, §.4. Et obstantia tolluntur, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Quæ sunt circa bonorum Fisci alienationem disposita, vt dicitur in §.1.?

RESP. Longo sermone opus esset, & supra Scholiorũ seriem à me hactenus seruatam; Adeas ergo Peregrin. in suo tract. de Iure Fisc. lib.6. t.4. per totũ, & in subseq. tit. cętera de locationibus rerum Fisci Cameræ late prosequitur.

Schol. secundum.

Quæro. Si duo Conductores eodem tempore, vocem suæ de pretio oblationis emittant, quid agen.?

RESP. Gratificationi locus est, ideoq; gratifican. veteri conductori, si adest, secundum Angel. in l.1. Cod. de Fid. Instrumen. lib.10. Sed apud Curiales seniores, denuo res subhastantur in hac Camera Apostolica, prout in d. Camera Senatus Veneti, seruari testatur Peregrin. vbi supra tit.5. num.7. vbi allegat Angel. quem tamen in libro meo inuenire non potui.

XIV.

Edita Anno 1560.

CVpientes vnicuique iustitiam, & infra, pagina 23. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iudicibus causarum beneficialium, eorumve consanguineis, affinibus, procuratoribus, solicitatoribus, domesticis, vel familiaribus prohibet ea posse etiam à Sede Apostolica impetrare. §.1. Impetrationes eiusmodi reddit irritas d.§.1. Et ita, & non aliter præcipit iudicari. §.2. Contrarijs derogat. §.3. Transumptis fidem dari iubet. §.4. Solamq; huius motus proprij signaturam sufficere decernit d.§.4.

Schol. primum.

Quæro. Num eiusmodi affinitas, & consanguinitas, de quibus in §.1. valeat probari per testes?

RESP. Poterit quidem, dummodo consanguinitas, vel affinitas verè, & per gradus distinctos ex vtroque latere probetur cap. Licet ex quadam 47. vbi Canon. communiter de Testibus, & tradit Ancharan. cons. 51. num.7. & Natta cons. 388. num.3. ac Tiraquell. de Retract. lignag. §.5. glos. 16. num.1.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si simus in antiquis?

RESP. Tunc leuior probatio sufficit, neque exacta graduum probatio requiritur, nisi dato concursu plurium consanguineorum, vel affinium, vt declarauit Rota in decis. Seraphini 578. num.2. & 3.

X V.

Edita Anno 1560.

CVm sicut accepimus, & infra, pagina 24. Bullarij.

COMPENDIVM.

Carolus S.R.E. Card. Borromæus, Archipresbyter Basilicæ S. Mariæ Maioris de Vrbe, supplicauit huic Pontif. pro cõfirmatione suæ iurisdictionis in causis d. Basilicę, de qua in Constit. 19. Paul. III. sup. to.1. pag. 123. in princ. Ipse eam confirmat, & de nouo concedit, etiam quoad causas criminales, citra tamen pœnam sanguinis, & corporis afflictiuam, §.1. & seq. Quibuscunque non obstan. §.4.

Schol. primum.

Quæro. Si pœna exilij venit imponen. dicetur pęna corporis afflictiua?

RESP. Exilij lata est significatio; Nam quandoq; significat damnationem in metallum, aut ad opus metalli l. Aut damnum 8. ff. de Pœn. Quandoque interdictionem aquæ, & ignis, aut eius loco deportationem in Insulam, cũ perpetuis vinculis l.4. & l. Capitalium 28. eod. tit. & l.3. ff. Ad leg. Iul. pecul. Et exilium in hac significatione sumptũ, absque dubio dicitur pœna corporis afflictiua, vt probatur ll. citatis. Quandoque tamen exilium sumitur pro relegatione ab omnibus locis præter vnum, & vocatur confinatio l. Exilium. 5. ff. de Interdict. Clar. quæst. 32. nu.5. Vel interdictionem ab vno loco tantum d.l. Exilium. Clar. d. quæst. 32. num.5. in fin. & Menoch. cons. 502. num.56. Et in hac significatione sumptum, non dicitur pœna corporis afflictiua, vt in expresso tenet Menoch. de Arbitr. Iudic. q.80. num.129. & Caball. casu 146. num.15. Peregrin. decis. 22. num.1. Et est fortissimus tex. in l.6. ff. de Pœn.

Schol. secundum.

Quæro. Quid responden. Bossio aliter scribenti in tit. de Carcer. fideiuss. commit. num.7.?

RESP. Ratio Bossij, quod in exilio ita excruciantur homines ob paupertatem, & miserias quas incurrũt, quod incidunt in mortem, confunditur ex eo, quod cõfiscatio bonorum aut publica infamia magis, quam exilium, homines excruciant, & tamen non dicuntur pœnæ corporis afflictiuæ, ideoque impropriè exilium est pœna corporis afflictiua. Et Farinac. & alij, qui in contrarium ab eo citantur, in quæst. 19. nu.17. intelligen. sunt de exilio, pro deportatione, de qua supra. Nam ipsemet postea in quæst. 99. nu.67. tenet cum cõmuni DD. opinione, pro exilio simplo in hac vltima significatione reum audien. esse per procuratorẽ, vt de communi testatus fuerat antea Clar. d. quæst. 32. nu.6.

X V I.

Edita Anno 1560.

REgimini vniuersalis Ecclesiæ, & infra, pagina 25. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Alexandrum Sextum confirmasse Confraternitatem S. Rocchi de Vrbe, cuius intercessione, multi ibidem præseruabantur, & liberabantur à peste, §.1. Statutaque condendi, & Officiales creandi, auctoritatem dedisse. §.2. Et Ecclesiam S. Rocchi construendi, §.3. Pias oblationes recipiendi, §.4. Mortuos in d. Ecclesia sepeliendi. §.5. Confessorem pro Confratribus eligendi, §.6. Indulgentias quoque dictam Ecclesiam visitantibus in Festiuitatibus S. Rocchi, & S. Martini, concessisse, §.7. Refert

etiam

etiam Leonem X. hæc confirmasse, §.8. Et facultatem in dicta Ecclesia Sacramenta administrandi, Confessoremq; pro Confratribus eligen. dedisse, §.9. Illamq; visitantibus in dd. Festiuitatibus, & earum octauis Indulgentias imper titum fuisse. §.11. Confraternitati, & Confratribus Priuilegium fori And. Cam. priuatiuè quoad alios, dedisse. §.12. & 17. Postmodum hic Pontif. prædicta comprobat. §.13. & seqq. Facultatem condendi Statuta tribuit. §.16. Bona etiam feudalia, & Ecclesiastica d. Confraternitati concedi, & relinqui posse decernit, §.18. Clausulæ præseruatiuæ sub sequuntur, §.19. Et decretum irritans §.20. Indulgentias Ecclesiam S. Rocchi certis diebus visitantibus concedit, §.21. & seq. Clausulæ derogatoriæ subsequuntur. §.23.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore Confraternitatis istius approbatio, de qua in §.1. ab Alexand. VI. obtenta fuit?

RESP. Anno 1500. quo Sanctissimum Iubileum celebratum fuit, ita scribit in Opusculo de Operibus Pijs Vrbis, Camill. Phanuc. lib. 1. cap. 11.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ opera Confraternitas ista exercere consueuit?

RESP. Nonnulla, & quidem pia luculenter relata à iam citato Camillo Phanuc. lib 3. cap. 14.

XVII.

Edita Anno 1560.

SAnctissimus in Christo Pater, & infra, pagina 27. Bullarij.

COMPENDIVM.

Statuit, quod cum beneficia ratione mensium, vel aliàs reseruata sunt Sedi Apostolicæ, & inter prouisum à dicta Sede, & prouisum ab Ordinario, litem desuper haberi contigerit, Iudex statim atque parte citata cognouit, etiã summariè, & extraiudicialiter, de præfata reseruatione, & vacatione respectiuè redditus, & prouentus dictorum beneficiorum faciat sequestrari, §.1. Talesque beneficium detinentes; & litigantes, etiam si liti cesserint, ad damna, & interesse, appellatione remota teneri, decernit, §.2. Et ita, & non aliter iudicari iubet, §.3.

Schol. primum.

Quæro. Hæc lex, quæ loquitur de lite pendente super beneficio in §.1. nũquid locum habeat, si lis vertatur super eius possessione?

RESP. Non, quia nihil habet commune proprietas cum possessione l. Naturaliter 12. § nihil commune, ff. de Acquir. possess. cum alijs ad interpretationem huius constit. allegatis, à Gonzal. de Mensibus. & alteratiõ §.7. prohœm. num. 28. & seq pag. mihi 167.

Schol. secundum.

Quæro. Num Iudex ex officio nemine instante d. sequestrum apponere valet?

RESP. Valet, vt ipsimet insinuat constitutio, & plura similia ad hoc allegat Gonzal. in loco præcit. num. 236.

XVIII.

Edita Anno 1560.

QVia non solum ex debito, & infra, pag. 28. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum nonnulli Comites, Barones, ac Domicelli Sedis Apostolicæ debita contrahendo, faciant earum Vniuersitates, & subditos obligare, & adueniente tempore solutionis Dominis non soluentibus, illi satisfacere coguntur, indeq; paupertate ad Cameræ Apostolicæ subsidia ministranda impotentes redduntur, iubet hic Pontif. quod Domini prædicti, infra sex menses restituant Vassallis suis, solutas pro eis pecunias, §.1. Et ab alijs obligationibus, eosdem etiam non petẽtes, realiter indemnes releuari. §.2. Eiusmodi obligationes pro dd. Dominis de cætero prohibet. §.3. Decretũ irritans apponit, §.4. Publicationem huius constitutionis in Vrbe secutam, etiam ignorantes ligare decernit, §.5. Obstantiaq; remouet, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Cũ in ordine literæ §.1. nominentur primò Comites, & deinde Barones, nonne his, illi videntur præferẽdi?

RESP. Ita sanè, vt volunt Curt. in tract. de Feud. q. 1. 2. par. principal. nu. 4. & est text. in cap. Fundamenta 17. de Elect. §. proinde, vers. Nullus, in 6.

Schol. secundum.

Quæro. Num circumscripto eiusmodi ordine literæ, idem dicen. sit?

RESP. Idem, secundum eundem Curt. consil. 212. numero 11. & 16. licet verius credam, æquiparari ex his, quæ cumulat Mandell. cons. 172. num. 27.

XIX.

Edita Anno 1560.

DEcens esse censentes, & infra, pagina 29. *Item*, Romanus Pontifex, & infra pagina 30. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clericorum bona ex illicita negotiatione, aut aliàs contra Sacros canones acquisita, ad Reu. Cam. Apost. spectare tãquàm spolia, declarat. §.1. Sed videns, Iulium iij. in sua cõstit. 5. de qua sup. pag. 153. to. 1. Incolis Vrbis, & Rom. Curiam sequentibus, & in d. Curia, & districtu decedentibus, dedisse facultatem, de bonis omnib. liberè disponendi. §.2. Ortumq; propterea fuisse dubiũ, an sit derogatum d. cõst. Iul. iij. §.3. Hic Pont. declarat hanc suam constit. non comprehendere Cardinales, neque Curiales, in Vrbe, vel districtu decedentes, neque alios licentiam Sedis Apostolicę habentes ad testan. d. §.3. Confirmat insuper constitutiones Sixti IV. & aliorum. §.4. Decretum irritans apponit, §.5. Contrarijs derogat. §.6. Transumptis huius Bullæ credi iubet, §.7. Sanctionem pœnalem adijcit. §.8.

Schol. primum.

Quæro. De licentia Papæ, de qua in §.3. erit nè sufficiens iurata fides alicuius Cardinalium?

RESP. Si hæc licentia est solita viuæ vocis oraculo à Papa concedi, & cesset in Cardinali exceptio consanguinitatis, vel similis, sufficiens erit eius iurata fides, in scriptis redacta, secundum ea, quę in puncto huius Bullæ deducit Nauar. cons. 12. de Testam. lib. 3. incip. Frater Thomas numero 8. & seqq. & facit decis. Put. in casu simili decis. 2. libro 1. vers. Circa primum, in suis nouissimè impressis.

Schol. secundum.

Quæro. Huiusmodi licentia testandi, consumitur vnico actu testandi?

RESP. Non desunt vtriusque opinionis sectatores, sed negatiua verior videtur, Gabr. cons. 83. lib. 1. nu. 27. Nauar. de Reddit. Eccles. q. 3. monit. 9. & Roder. de Quæst. Regular. tom. 3. quæst. 69. art. 3. qui alios allegant.

XX.

Edita Anno 1560.

PRouidentia Rom. Pontif. & infra, pag. 31. Bullarij.

COMPENDIVM.

Priuilegia omnia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarijs, eorumque Camerariatus officio à Pontt. prædecessoribus concessa, confirmat in omnibus, & per omnia, prout ante limitationem, suspensionem, & reuocationem Pauli Quarti prædecessoris erant, & de nouo concedit. §.1. & 2. Contrarijs derogat. §.3. Sanctionemq; pœnalem apponit. §.4.

Schol. primum.

Quæro. Quid egerat Paul. IV. in diminutionem iurisdictionis Camerarij Papæ, quæ enunciatur in §.2.?

RESP. In multis, eandem dederat Regenti Cameræ Apostolicæ authoritatem, & facultatem, quæ solum Camerario antea competebat, vt videre est in Bulla 34. eius-

eiusdem Pauli, in antiquiori Genitoris mei Bullario, pagina 615.

Schol. secundum.

Quaero. Cur Genitor tuus in haec nona, & quidem vberrima Bullarum collectione, eam bullam praetermisit?

RESP. Quia otiosam censuit, cum illius Regentis officium, breui tempore ab isto Pio extinctum fuerit, renouato antiquo officio Aud. Cam. in cuius locum, Regentem Paulus suffecerat, vt statim apparebit in huius Pij cōst. 33.

XXI.

Edita Anno 1560.

EA, quae à Praedecessoribus nostris, & infra, pag. 31. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clemens Septimus, super duellis, quae fiebant in Statu Ecclesiastico, edidit Constitutionem confirmantem Iul. II. sanctionem 19. & Leonis X. sanctionem 31. de quibus sup. pag. 88. & 101. to. 1. Hic Pont. eas omnes approbat, & poenas anathematis, maledictionis, perpetuae infamiae, & diffidationis, criminis laesę maiestatis, seditionis, rebellionis, confiscationis, & priuationis Dominiorum, & feudorum, aliorumq; bonorum, depositionis illorum, inhabilitatis ad illa, & alia, ac interdicti Ecclesiastici, &c. addit. §. 2. & 3. Easque ad taliter pugnantes, prouocantes, locum praestantes, adstantes, & fautores, chartas duelli subscribentes, affigentes, & publicantes, vnà cum maioris excommunicationis latae sententiae poena, quam eo ipso incurrant, & à qua non nisi à Rom. Pont. absolui possint, & si Ecclesiastici fuerint, priuationis dignitatum, & beneficiorum, & inhabilitatis ad illa, extendit. §. 4. Constitutiones Iulij II. Leon. X. & Clemen. VII. innouat. §. 5. Cōcessiones duellorum omnes reuocat. §. 6. Hortatur Imperatorem, Reges, & quoscunq; Principes Christianos, & alios, vt in eorum dominijs duella, & singularia certamina, & alia praedicta non permittāt, sub poena ab Imperatore, & Regibus inferioribus, maioris excommunicationis, & interdicti. §. 7. Quibuscunque non obstan. §. 8.

Schol. primum.

Quaero. Absolutionis reseruatio soli Papae, quae circa duella publica legitur in §. 4. porrigitur nè etiam ad duella priuata, ad quae haec Pij sanctio fuit extensa à Greg. xiij. in sua constitut. 79. in qua etiam voluit, hanc eandem constitutionem, & aliàs in suo robore durare?

RESP. Hinc inde arguit Nauar. in cons. 2. incip. Pius. lib. 5. de Purgat. vulg. & tandem optima ratione affirmatiuam sententiam probat, & ei adhaeret Diaz. in Pract. Canon. crim. cap. 104. iuxta impressionem Moguntiae. Sed cessat hodie hoc dubium, quia Clem. viij. in constit. 11. post quàm Gregor. xiij. eam constitutionem confirmauit, Papę absolutionem reseruauerat.

Schol. secundum.

Quaero. Imperator ergo, & Reges, constitutionibus Apostolicis, circa duella non subijciuntur, dum Papa eos hortatur, vt in §. 7.?

RESP. Sic arbitror, sed paulò post istam constitutionem Concil. Trident. sess. 25. cap. 19. expressè duellorum permissionem eis interdixit, & Clem. VIII. illud in d. const. 11. confirmauit.

XXII.

Edita Anno 1560.

DIuina disponente clementia, & infra, pagina 32. Bullarij.

COMPENDIVM.

In Vrbe erecta fuit Confraternitas Orationis, & Mortis, ad Orationem 40. horarum mense quolibet peragen. & pauperum defunctorū corpora decenter sepelien. & quolibet mense pro animabus Confratrum, & eorum, quorum corpora ab ipsis humata sunt, anniuersariū celebran. aliaq; pia opera exercen. §. 1. Ordinationesq. pro bono eius regimine constitutae fuerunt §. 2. Hic Pont. ista approbat. §. 3. Et d. Confraternitatis Officialibus dat facultatem, quoscūque in ea recipiendi. §. 4. Statuta etiam cum authoritate eius Protectoris condendi, & reformandi. §. 5. Crucem ligneam, & habitum nigrum deferendi. §. 6. Eleemosynas, ac legata recipien. & in pios vsus conuerten. §. 7. Capellanos in ea ad administran. Confratribus Sacramenta habendi. §. 8. Defunctorum corpora, in eorum Ecclesijs Parochialibus suis expensis, requisitis parochis, sepeliendi. §. 9. Indulgentias pro Fratribus, Sororibus, & alijs concedit. §. 10. Aliasq; aggregandi Cōfraternitates. §. 12. Clausulas huius indulti praeseruatiuas apponit. §. 13. Et derogatorias. §. 14.

Schol. primum.

Quaero. Quo primum tempore, & à quo, olim instituta fuit Confraternitas ista, à Pio IV. nunc comprobata?

RESP. Anno 1551. sedente Iulio III. à Crescentio Sylua Presbytero Senen. qui etiam Confraternitatē & Hospitale Peregrinorum, & Conualescentium hoc eodem anno instituerat, vt notaui in 1. Schol. huius Pij constit. 6. & hoc scribit Camill. Phanu. in suo de pijs Oper. Vrb. tract. lib. 3. cap. 29.

Schol. secundum.

Quaero. Qui ex Imperatoribus de sepelien. mortuis, leges edixerunt?

RESP. Constantinus, Anastasius, & Iustinianus Imperatores multa, & quidem pientissimè, assignatis quoq; sed ditibus, desuper statuerunt, quae habentur in Nouella ipsius Iustiniani 43. & 49. Collat. 10. & celebrat Baron. in Annal. Ecclef. tom. 3. pag. 461. in 1. impressis, & pag. 399. in 2. impressione.

XXIII.

AD Ecclesiae regimen, & infra, pagina 34. Bullarij.

Edita Anno 1560.

COMPENDIVM.

Paulus Tertius in sua const. 33. de qua supra pag. 127. to. 1. & Iulius etiam III. Concilium Trident. varijs ex causis indixerunt, §. 1. Hic Pont. illud prosequi mandat, pro die Resurrectionis D. N. IESV Christi anni 1561. §. 2. Praelatos ad illud conuocat. §. 3. Imperatorem, & Reges, ac Principes, ad ibi per se ipsos, vel eorum Nuncios interessendum adhortatur. §. 4. Huius Bullae in Vrbe publicationem, post duos menses, omnes ligare decernit. §. 5. Eiusque credi transumptis praecipit. § 6.

Schol. primum.

Quaero. Nùm Legatus aliquis à Iulio III. de quo in §. 1. ad istud Concilium missus fuit?

RESP. Missus quidem Marcellus Crescentius, presbyter Cardin. tit. S. Marcelli, quem Archiepiscopus Sypontinus, Sebastianus Pighinus, & Episcopus Veronensis, Luysius Lippomanus comitati sunt, qui Pontificis nomine Cōcilio praesiderent. Haec habet Ciacon. in Vita ipsius Iulii, pag. 141.

Schol. secundum.

Quaero. Quam ob rem postea dilatum?

RESP. Multorum turbine bellorum, Patres Concilij perterriti, ne hostis Oeniponte iam occupato Tridentum, quod tridui itinere abest aduolaret, anno 1552. Concilium post Sextam sessionem dissoluunt, vt recenset Ciac. vbi sup.

XXIV.

SIcut ea, quae pacem, & infra, pagina 35. Bullarij.

Edita Anno 1560.

COMPENDIVM.

Ad tollen. omnem controuersiam, quae inter Praelatos, ad celebrationem Concilij Tridentini congregatos, super praecedentia, oriri possunt, decernit Patriarchas primò, Archie-

Archiepiscopos secundo, & Episcopos tertio loco, secundũ Ordinem promotionis ad regimen. suarum Ecclesiarum locum habere debere, §.1. Et nullam haberi rationem, ad ipsorũ dignitates primatiales d.§.1. Obstantia remouet.§.2

Schol. primum.

Quæro. Post Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, nũm Abbates locum habere debent?

R E S P. Ita sanè, vt inquit Panormit. in capit. 2. de Iudic. nu. 2. & in cap. Ex ore de Priuileg. nu. 3. & latè Thom. Campeg. de Concil. cap. 15. num. 17. & seqq. vbi etiam alijs deinde Prælatis locum competere, declarat.

Schol. secundum.

Quæro. Si Patriarcha esset Cardinalis, sedebit nè honorabiliori loco inter Cardinales?

R E S P. Non, sed in loco suæ promotionis ad Cardinalatum, cum maior sit dignitas Cardinalatus, quàm Patriarchatus, vt post alios notat Campeg. vbi supra nu. 2. & seq.

X X V.

Edita Anno ....

CVpientes pro communi, & infra pagina 35. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus III. in sua con. 6 de qua sup. pag. 119. to. 1. & alij Romani Pont. Mercatoribus Ripæ Vrbis, nonnulla concesserunt indulta, quæ ab isto approbantur Pont. §.1. Iurisdictioq. Præsidentis, & Camerarij d. Ripæ ampliatur, in causis ciuilibus, occasione rerum Ripaliũ, vel ab illis emergentibus. §.2. Et etiam in causis mixtis, & criminalib. vsque ad vltimum supplicium, pro excessibus, & homicidijs in dicta Ripa perpetratis, §.3. Clausulæ huius cõstitutionis præseruatiuæ subduntur. §.4. Et derogatoriæ, §.5. Iussio eam in Statutis describendi subnectitur. §.6. Contrauenientib. pœnę imponuntur. §.7.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid Mercatorum Ripalium priuilegia, de quibus in §.1. sint intelligen. de ijs tantummodo mercibus, quæ per aquam vehuntur?

R E S P. Ita intelligenda videntur ex vi verborum indulti eis concessi, vt in puncto sic scribit Marchesan. de Commiss. par. 3. §. 1 num. 98. in Nouis fol. mihi 281.

Schol. secundum.

Quæro. Num in causis criminalibus, de quibus in § 3. Camerarius iste compositiones facere poterit?

R E S P. Posse legitimo tamen præcedente processu, & decreto, & quod compositiones annotentur in libro, vt nuper statuit. Paul. V. in sua const. 71. §. 9. num. 6. à Genitore meo ad hanc bullam non indicata, tanquam eo tempore ab ipso Paulo adhuc non edita.

X X V I.

Edita Anno ....

ROmanum decet Pontificem, & infra, pagina 36. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deputat S.R.E. Cardinalem Camerarium, vt cum quinque Deputatis ab eo eligendis, quascunque causas interesse Cameræ Apostolicæ concernentes reuideant, §.1. & seq. ac etiam, §.10. Et computa Ministrorum eiusdem etiam solidata, §.3. Et contractus læsionem d. Cameræ continentes rescindant, §.4. Detentoresq. bonorum eiusdem Cameræ coerceant, §.5. Et manu regia, & appellatione remota procedant, §.6. Insuperque Officiales omnes Status Ecclesiastici, mandatis d. Camerarij obediri præcipit, §.7. Et ita, & non aliter iudicari, §.8. Contrarijsq. derogat, §.9.

Schol. primum.

Quæro. Contractus num læsiuus dicetur, si eidem Cameræ non sit vtilis?

R E S P. Præsumetur læsiuus, si certa sit forma data cõtractibus ex constitutionibus Apostolicis, vel aliàs de iure cum Camera initis præfixa, & non seruata, cap. Qui contra iura 82. ff. de Reg. iur. in 6. Bald. in l. 4. Cod. de Bon. quæ liber. num. 4. Roman. cons. 54. num. 54 & Rota in decis. Caputaq. 200. par. 3. num. 2.

Schol. secundum.

Quæro. Læsiuus forsan contractus dicetur, qui ab incerto futuro pendet euentu?

R E S P. Non, quia læsio inspicien. est solum tempore initi contractus l. Si voluntate. 8. Cod. de Rescind. vend. & tradit Aym. qui Bald. Angel. & alios citat in cons. 114. numero 16. & Rota in decis. Pœnię in vna Interamnen. Mercium 4. Iunij 1597.

X X V I I.

Edita Anno 1561.

IN eminenti Sedis Apostolicæ specula, & infra, pag. 38. *Item*, Cum nos post nostram, & infra, pag. 39. *Item*, Nuper si quidem, & infra, pag. 40. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Clementem VII. constitutionem edidisse contra homicidas, bannitos, brigosos, vindictam transuersalem facientes, ius sibi dicentes, & hominum collectam facientes; eorumq; fautores. §.1. Confirmat, & approbat. §.2. Eosq. ab omnibus locis S.R.E. mediatè, & immediatè subiectis exulare, & saluumconductum eis denegari pręcipit. §.3. Receptatoribus, ac fautoribus, pœnas imponit, §.4. Territoria per Barones, & Communitates, homicidis expurgari iubet. §.5. Facultatem homicidas gratiandi omnib. aufert, §.6. Executores huius bullæ deputat, §.7. Contrarijsque derogat. §.8. Et in subseq. constit. d. reuocationem gratiandi homicidas, aut cum eis componendi, extendit in §.2.

Schol. primum.

Quæro. Communitas, & Baro incidit in has pęnas semper, quod non capit hos homicidas?

R E S P. Non, nisi probetur eius scientia, & negligentia, & in puncto, legibus, rationibusq. probat Bart. in consil. 102. lib. 1. num. 2. & seqq. licet contrarium sentire videatur Calcan. cons. 63. vers. Primò quia, & vers. seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Negligentia, quo pacto probabitur à testibus?

R E S P. Hoc te egregiè Bart. docet mox citatus, prout & Communitatem docet, quid pro sua defensione probare debeat. Et aliquid habes in cons. 62. Diuersor. Crimin. libro 1. num. 14. & seqq.

X X V I I I.

Edita Anno 1561.

CIrcumspecta Rom. Pont. & infra, pag. 41. *Item*, Cum ob celebrationem, & infra pagina 41. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum Prælatis interessentibus pro tempore, quo resederunt, aut in itinere fuerint, priuilegiũ concedit, conferendi beneficia, quæ in Februarij, Aprilis, Augusti, Octobris, & Decembris mensibus vacauerint, dũmodo non reseruata fuerint, nec affecta, §. 1. 2. & 4. Exemptionemque à decimis, & oneribus per Sedem Apostolicã impositis impertitur, §. 3. & 4. Supersessoriam in causis eorum ciuilibus, quatenus ipsi velint indulget, §. 1. subseq. cõstit. Contrarijs non obstantibus. §. 2. & ita, & non aliàs iudicari mandat. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. De iure communi, interessentes Concilio, gaudent nè priuilegio, charitatiuum à subditis exigen. subsidium pro impensis substinendis in eo?

R E S P. Gaudent, cum agatur de communi vtilitatè,

vt

vt post Innoc. tenet Panormit. in cap. r. de Statu Monachor. num.6.& Bellenc.in suo tract.de Charit.subsid.q.21. num.2.

Quæro. Possunt nè etiam beneficiorum] fructus percipere?

RESP. Ita sanè, quia seruiunt vniuersali Ecclesiæ, & Romano Pontifici cap.de cætero.7. & cap.ad audientiam 15.& ibi Canon. omnes de Cleric.non resid.& alias id expresse statuit Concilium Constantiense, sess.19.

XXIX.

Edita Anno 1561.

ROmani interest Pontificis, & infra, pagina 42. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia bona à Fratribus, & Militibus Hospitalis S.Ioannis Hierosolymitani relicta, post eorum obitum spectabāt ad illius Religionem.§.1. Et hic Pont.bona Clericorum ex illicita negotiatione acquisita, ad Cameram Apostolicam, vti spolia,in sua constit.19.de qua supra.spectare decreuit. §.2. Propterea Religio vigore d.Constitutionis,se à Camera molestari posse dubitauit.§.3.Hic modo Pont.eam constitutionem.& alias similes,d.Religionem non comprehēdere declarat §.4. Omniaque bona personarum d.Religionis decedentium,ei applicat.§.5. Et Agentes illius,desuper non molestari mandat.§.6.Contrarijs non obstantib.§.7.

Schol. primum.

Quæro. Negotiatio illicita, de qua in §.1. quibus modis censeatur illicita?

RESP. Pluribus respectibus, quos hic recensere esset nimis onerosum, videas ergò Nauar.in suo Comment. de Spol.§.9.num.3.& §.13. & Leon. in suo Thes. For.Eccles. par.3.cap.1.de Spol.Clericor.& egregium Redoani tract. de Spol Ecclesiastic.

Schol. secundum.

Quæro. Applicatio Spoliorum,de qua in §.5.num solummodo ad Papam spectat?

RESP. Hoc pro indubitato esse supponit, & tenet Nauar. vbi supra ea nixus ratione, quod soli Papæ à Deo commissa est administratio vniuersalis bonorum Ecclesiasticorum, & tenet etiam Leon. mox cit.

XXX.

Edita Anno 1561. & 1564

CVm sicut accepimus venerabilis, & infra pagina 43. *Item*. Cum sicut nobis, & infra, pagina 45. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad cognitionem causarum ciuilium Confraternitatis Sanctissimi Crucifixi de Vrbe,ad quāplura opera pia exercen. pridem institutæ, deputat S.R.E.Cardinalē illius Protectorem.§.1.& 2. Cui, & per eum deputando,dat facultatem summariè, &c. proceden. sententias exequen.contradictores coercen. & cæteris nullitatibus,præterquàm iurisdictionis, citationis, & mandati. §.2. & seqq. Et in causis discussionum,debitores ad satisfaciendum præstita cautione,lite pendente admittendi. §.6. Singulis diebus, & horis in Dei honorem,minimè feriatis procedendi.§.7. Notarium deputandi. §.8. Mandatarios Curiæ Capitolij ad citan. admittendi.§.9. Et executores omnes, ad exequendum eius mandata cogendi §.10. Coram alijs Iudicibus eiusmodi causas agi prohibet.§.11.Clausulas huius Constitutionis præseruatiuas apponit. §.12. Et derogatorias.§.13. Transumptorumq; fidem. §.14. Indultum liberandi vnum carceratū, in festo Inuentionis, vel Exaltationis S.Crucis, eidem Confraternitati concedit,in princ.subseq. constit. Eāque Confraternitatem erigit in Archiconfraternitatē, §.2. Statuta confirmat, & ius statuendi iteratò concedit, §.3. Executores deputat. §.4. Contrarijsque derogat.§.5.

Schol. primum.

Quæro. Quando instituta fuit hæc Confraternitas, quæ in §.1.dicitur pridem erecta?

RESP. Anno 1522. sub Adriani VI.Pontificatu,vt scribit Camill.Phauuc.in suo de Pijs Operib. Vrb tract. lib.3. cap.20. vbi miraculum de Imagine Sanctissimi Crucifixi, sub cuius inuocatione Confraternitas ista militat, enarrat, & ante eum Pomp. Vgon. in suo Opere de Station. Vrb. Stat.36. pag.mihi 280.

Schol. secundum.

Quæro. Quid est, quod fertur ab istomet Pontif. indultum, de quo hic post §.14. sublatum fuisse?

RESP. Quoad liberationem homicidarum, non autem aliorum,moderatum fuit infra in sua constit.92.

XXXI.

Edita Anno 1561.

CVm sicut nuper non sine, & infra, pag.46. Bullarij.

COMPENDIVM.

Habita notitia,quod quidā Confessarij Sacramento Pœnitentiæ in actu Confessionis abutuntur, mulieres pœnitentes ad actus inhonestos dum earum audiunt confessiones, alliciendo,& prouocando,siue allicere, & prouocare tentādo, mandat Archiepiscopo Hispalen. generali in Regnis Hispaniarum Inquisitori,vt cōtra eos quamuis exemptos, de præmissis diffamatos, tàm super præmissis, quàm fide Catholica, & quid de ea sentiant,inquirat, & culpabiles repertos puniat,eos etiam,si, & prout de iure, debita præcedente degradatione,sæcularis Iudicis arbitrio puniendos, tradendo. §.1. Et quæcunque priuilegia non obstare decernit. §.2.

Schol. primum.

Quæro. Cum loquatur hæc lex contra sic delinquentes in actu confessionis,& dum audiunt confessiones, quid dicendum si ita delinquunt extra actum?

RESP. Ligantur hac lege,si actus sit proximus,ex identitate rationis; ita loquens de hac Bulla,sentit Rodetic. de Quæst.Regular. to.2.quæst.27.art.1.& 2. & M.Antonius Genuensis Episcopus Iserniæ in Prax. Archiepisc. Neapolit.cap.81.nu.1. vbi subdit,audiuisse Clem.vitj.id declarasse. Quod ego etiam ab Officialibus Inquisitionis generalis de Vrbe percepisse testari possum,qui sic etiam practicari, & obseruari dixeruut.

Schol. secundum.

Quæro. Num hæc pœnalis Constitutio, loquens de tentantibus Mulieres,locum habeat etiā contra tentantes adolescentes de vitio nefando. ex maiorttate rationis?

RESP. Ita punctualiter,post Salsed.quē allegat,hanc Bullā eum casum cōprehendere,tradit Roder.præcit. q.27. art.3. & etiam Stephan.Quarant. in sua Summa, in verbo Confessor, vers.Ampliatur, vbi luculenter nonnullas optimas rationes adducit, & ita etiam in d.Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis practicari ab ijsdem Ministris accepi.

XXXII.

Edita Anno 1561.

CVpientes malitijs nonnullorum, & infra, pagina. 46. Bullarij.

COMPENDIVM.

Applicat,& reseruat Cameræ Apostolicę,omnes fructus beneficiorum Italiæ,Sedi Apostolicæ reseruatorū,seu affectorum, aliter quam per cessum vacantium, pro rata tēporis quo vacauerint.§.1. Collectori spoliorū dat facultatem hos fructus colligendi,& exigendi,§.2.Cæteris,ne se intromittant in eis,præcipit.§.3. Et ita iudicari mandat §.4. Facultatem dat Thesaurario Papæ, procedendi contra quoscunque.§.5. Contrarijs omnibus derogat.§.6. Onera autē beneficiorum à Camera pro d.tempore supportari debere decernit.§.7. Exemplis huius bullæ credi mandat.§.8.

Schol. primum.

Quæro. Hæc reseruatio est nè ius nouum, correctorium iuris communis?

RESP.

RESP. Ius nouum esse probatur, quia Romani Pontifices id minimè decreuerant, & erant hi fructus conuertendi in vtilitatem Ecclesiarum, vel reseruandi futuro successori cap. Cum vos. 4. de Offic. Ordin. & cap. Quia sæpe. 40. de Elect. in 6. & tradit Nau. de Spol. Cler. §. 6. prope fin.

Schol. secundum.

Quæro. Nonnè hic Pontifex specialem quoque eiusmodi beneficiorum Regni Neapolis sanctionem edixit, quam Genitor tuus prætermisit?

RESP. Prætermisit, quia Pius V. eandem postea edidit constitutionem num. 26. vbi ipse Genitor, hanc prætermissionem indicauit.

XXXIII.

Edita Anno 1561.

ADeximiæ deuotionis affectum, & infra, pagina 47. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deputat Auditorem causarum Reuer. Cameræ Apostolicæ, Flauium Vrsinum Episcopum Matan. cum facultatib. infrascriptis. §. 3. Cognoscendi omnes causas obligationum in forma Cameræ, etiā priuatiuè quoad alios Iudices, §. 4. Eas alteri à Papa specialiter non commissas, reassumendi, §. 5. Censuras promulgandi. §. 6. Prælatorumque causas, Mercatorum etiam, Curialium, Notariorum suorum, ac pẽsionum. §. 7. Causarum quoque in Curia motarum, & appellationum Vrbis (Vicario, Gubernatore, & Iudicib. Capitolinis exceptis) totiusque Status Ecclesiastici. §. 8. Summariè procedendi in causis Notariorum, ac Mercatorum, & à 200. ducatis infra. §. 9. In alijs autem ieruatis terminis. §. 10. Causas criminales Vrbis, & omnium exemptorũ cognoscendi. §. 11. Literas Apostolicas exequendi. §. 12. Et sententias etiam in Curia latas, ac processus Cænæ Domini, & alios exequendi. §. 13. Causas contractuum in Curia initorum, cognoscen. §. 14. Curialiumque. §. 15. Remissorias, & compulsorias dandi, §. 16. Curiales in vim Eugenianæ, & Leoninæ tuendi. §. 17. Monitoria ad partes decernen. §. 18. Citationes promulgandi. §. 19. A censuris absoluendi. §. 20. Obligationes, contra hæredes exequendi, §. 21. Consueta omnia faciendi. §. 22. Obligationes, non obstan. discussionibus, & cessionibus executioni demandandi. §. 23. Locum in Capella Papæ, post Gubernatorem, & Oratores Principum habendi. §. 24.

Schol. primum.

Quæro. Dispositio. §. 4. habet nè locum in causis introductis coram alio Iudice, ita quòd liceat variare, & adire Auditorem Cameræ?

RESP. Rota coram Penia, in vna Romana Palatij, 16. Decembris 1588. tenuit posse variare, Quod intellige, si reus conuentus est contumax, & lis non sit contestata, vt post Gallesi. & alios, quos citat, sic declarat Gratian. discept. 118. num. 57. lib. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si quis cœpit agere via ordinaria, & vellt redire ad executiuā pro obligat. Camerali, de qua in §. 4.

RESP. Non potest, nisi reus fuerit contumax Gallesi. de obligat. Cam. par. 2. partic. 3. quæst. 2. nu. 7. Rota coram Orano in Vna Romana Pecuniaria 28. Iunij 1593.

XXXIV.

Edita Anno ....

DIlectos filios, & infra, pag. 49. *Item*, Ne per præinsertum, & infra, pagina 50. Bullarij.

COMPENDIVM.

Causas Ciuium, & incolarũ Vrbis, in Curia Capitolij cognosci iubet, etiā super obligationibus in forma Cameræ, vbi A.C. non præuenit. §. 1. 2. & 11. Chirurgos in hac Curia, vel Gubernatoris Vrbis, crimina deferre præcipit. §. 2. Nullitates tres tantum iurisdictionis, citationis, & mandati, attendi decernit. §. 3. Feriasq; in Statutis antiquis Vrbis descriptas, attendi. §. 4. Votum Assettamenti in d. Curia, quibus in causis adhiberi debeat, decernit. §. 5. Assettamentumque vt, & quando fieri possit, §. 6. Gubernatoris Vrbis iurisdictioni hanc bullam non præiudicare declarat, in subseq. const. §. 1. Contrarijsq; derogat. § 2.

Schol. primum.

Quæro. Quid agen. si orta erit contentio inter Curiam Capitolij, & A.C. de præuentione, de qua in §. 1.?

RESP. Adeundus erit S.R.E. Cardinalis, Signaturæ Iustitiæ Præfectus, qui manu regia, sine scriptura, omni appellatione, & recursu remotis hunc articulum decidat, prout mox Paul. V. in sua constit. 71 §. 4. num. 19. sic censuit, & Genitor meus eam non potuit hic indicare, vti tempore huius aditionis bullarum Pij nondum editam.

Schol. secundum.

Quæro. Incola, de quo in §. 1. dicetur nè is, qui per decennium Romæ assiduè habitauit, & vxorem ibi duxit?

RESP. In terminis non absimilis constitutionis Iul. II. ad fauorem Curiæ Capitolij editæ, affirmatiuè respondit post alios Rota in decis. Cantuc. 205. par. 1. Diuers. nu. 4.

XXXV.

Edita Anno 1561.

CVm sicut accepimus, & infra, pagina 50. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus III. in sua cōst. 9. de qua sup. pag. 20. to. 1. causas omnes interesse Fisci Reu. Cam. Apost. concernentes, & illas, ac alias mouendas, in d. Camera cognosci mandauit in ptinc. Hic Pontif. eam constitutionem extendit, etiamsi Fiscus in iurisdictionem alterius Iudicis consensisset, vel eius interesse cõcurre secundariò detegeretur, in causis inter alios vertentibus. §. 1. 2. & 3. Contraria non obstare decernit, §. 4 Solamque huius diplomatis signaturam sufficere. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Nùm inducitur hic nouum ius, dum disponitur Fiscũ in alterius Iudicis iurisdictione non posse cõsentire?

RESP. Non, cum de iure communi idem statutum fuerit l. Si constante. 25. §. fin. cum ibi notat. ff. Solut. matr. tradit Bald. in l. 5. C. de Sent. nu. 7. & Peregr. de Iure Fisc. lib. 7. tit. 1. num. 6.

Schol. secundum.

Quæro. De Fisci interesse ciuili, in causa inter priuatos, nunquid idem Fiscus dicere possit, vt à Camera auocetur?

RESP. Verior mihi videtur affirmatiua opinio Bald. & aliorum, quos latè prosequitur Capyc. decis. 197. num. 3. vsque ad numer. 8. quibus adhæret Peregrin. vbi supra num. 9.

XXXVI.

Edita Anno 1561.

PAstoralis Officij cura, & infra, pagina 51. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inquisitoribus omnibus dat facultatem, vnum, vel plures etiam Clericos sæculares, vel quorumuis Ordinum regulares, in causis sanctæ fidei, & Inquisitionis, in Notarios eligendi, & ad officium Notariatus causarum huiusmodi deputandi, §. 1. & 2. Et illi sic electi acta, & processus in causis huiusmodi, & cætera omnia ad id quomodolibet opportuna, validè facere possint d. §. 2. Quibuscunque non obstan. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quomodo fiet hæc electio, fortasse sola assumptio ad scriben. sufficit?

RESP. Non, solam etenim facultatem creandi Notarios Papa dedit Inquisitoribus, sed nouam formam eos creandi non assignauit, Propterea consuetam formam serua-

ſeruare debent, ſic explicat hanc bullam Campeg. in addit. ad Zanch. de Hæretic. cap. 9. verſ. adde rurſus, & verſ. ſeq. ac Pegna in Director. Inquiſ. pat. 3. Comment. 67. verſ. ſed in hac cauſa.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nonne hæc facultas, de qua in princ. Inquiſitoribus alias data erat?

RESP. Vrbanus IV. in ſua conſt. 2 §. ad conſcribendos, de qua ſup. pagina 27. tom. 1. ſolum conceſſerat, vt qui etiam Notarij erant, ab Inquiſitoribus ad munus exequen. compelli poſſent, non autem vt Notarios crearent, quod aduertit Pegna. vbi ſuprà, Qui tamen licèt ſubdat, hanc facultatem creandi Notarios nullo Apoſtolico reſcripto Inquiſitoribus fuiſſe attributam ante hoc Pij V. reſcriptum, nihilominus aliud dicen. videtur ex Iulij III. diplomate, quod ex libro Priuilegiorum Ordinis Sancti Dominici à Genitore meo deſumptum, & in ſua bibliotheca repertum in Bullario ſpontè, vt credo, & particulariter prætermiſſum, attenta hac Pij generali conſtitutione, illud tamen hic ego imprimen. duxi.

IVLIVS PAPA TERTIVS
Dilecto Filio Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum.

Facultas eligendi etiam Sacerdotes in Notarios in cauſis Fidei.

§. 1. *CVM ad officij Inquiſitionis hæreticæ prauitatis exequutionem, Tabellionis, ſeu Notarij opera neceſſaria ſit. Nos apud quos Venerabiles Fratres noſtri Inquiſitores Generales eiuſdem prauitatis in Alma Vrbe noſtra conſtituti ſuper hoc inſteterunt, volentes deſuper opportunè prouidere. Tibi, qui pro tua doctrina, probitate, & diligentia in negotijs Fidei pro tempore occurrentibus, vnà cum Inquiſitoribus prædictis etiam interuenire ſolet, vt in quibuſcunque Ciuitatibus, Terris, & locis, in quibus tibi opportunum videbitur, vnam, vel plures perſonas diſeretas, & idoneas, etiam tui Ordinis religioſas, etiam in ſacerdotio conſtitutas, in Notarios, ſeu Tabelliones, etiamſi, dum in ſæculo fuerunt, Tabellionatus huiuſmodi officium non habuerint, aut exercuerint ad effectum, vt inquiſitiones, interrogationes, reſponſiones, atteſtationes, confeſſiones, condemnationes, abſolutiones, proceſſus ac acta quæcunque quæ circa negotium fidei, & effectum inquiſitionis huiuſmodi pro tempore facien. occurrerint, fideliter, & diligenter conſcribant, recipiant, & conſeruent, & alia ad Notariorum in talibus negotijs officium, & curam pertinentia faciant, creare, conſtituere, & deputare poſſis, & valeas auctoritate Apoſtolica facultatem per præſentes concedimus.*

Fides eiſdem præſtanda.

§. 2. Decernentes omnia acta per Notarios, aut Tabelliones huiuſmodi per te præſentium vigore, creandos, & deputandos, alias tamen ritè & rectè faciendo valere, validaque, & efficacia fore, ac plenam, & indubitatam fidem vbique in iudicio, & extra facere in omnibus, & per omnia, ac ſi per quoſcunque alios Tabelliones, ſeu Notarios publicos conſcripta, & facta fuiſſent, ſicque per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quacumque auctoritate fungen. ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate iudicari, & interpretari debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obſtantiũ derogatio.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, & Apoſtolicis, ac in prouincialibus, & ſynodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xxvij. Februarij M. DLIV. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

XXXVII.

Edita Anno 1561.

ILlius, qui pro Dominici, & infra, pagina 52. Bullarij.

COMPENDIVM.

Approbat Confraternitatem, & Hoſpitale B. M. Pietatis de Vrbe ad pauperes aduenas hoſpitan. & ad egenos dementes charitatiuè ſuſcipien. & curan. nuper inſtitutam §. 1. 2. & 3. Iteratòq; erigit, & confirmat, §. 4. Confratribus, & infirmis, dat indultum in domibus ſuis Miſſam celebrari facere, §. 5. Et dat facultatem oblationes, & eleemoſynas, ac legata recipiendi, §. 6. Indulgentiaſque ea largientibus concedit, §. 7. Et facultatem transferendi Confraternitatem, & Hoſpitale, ad alium locum, & Sacramenta Eccleſiaſtica ibi adminiſtrandi, §. 8. Bona ſine teſtamento in dicto Hoſpitali decedentium, ad illud ſpectare decernit. §. 9. Indulgentias pro prima Dominica cuiuslibet menſis elargitur, ſi Eucharistiam ſumpſerint, & certo modo orauerint, §. 10. Electionem Confeſſoris Confratribus dat, §. 11. Et Officialibus Confraternitatis alias Confraternitates aggregandi, & indulgentias communicandi facultatem tribuit, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Quo primùm tempore Confraternitatus iſta promota fuit?

RESP. Anno 1548. Sedente Paul. III. Pontifice, vt ſcribit Camill. Phanuc. in ſuo de Pijs Operib. Vrb. opuſc. lib. 4. cap. 44.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quid eſt, quòd his temporibus hoſpitalitatem pauperum aduenarum, ſiue peregrinorum ab iſta Confraternitate amplius non ſeruari videmus?

RESP. Quia particularis ad hoc inſtituta fuit Confraternitas ſub inuocatione Sanctiſs. Trinitatis, ab eodem Pio in conſt. 6. de qua ſup pag. 4. approbata.

XXXVIII.

Edita Anno ....

CVm ſicut accepimus, & infra, pagina 53. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe indẽnitati conſulens, ſtatuit Notarium, & Secretarium dicti Hoſpitalis, ab eo, & officio recedentes, aut ipſorum hæredes, imbreuiaturas inſtrumentorum, intereſſe illius concernentium in eo dimittere, & ſine præmio explere, & in publicam formam redigere debere. §. 1. Et Præceptorem ad id eos cogere poſſe d. §. 1. Notarioſq; & Secretarios pro tempore exiſtentes, dictas anteceſſorum imbreuiaturas, abſque alia eis deſuper concedenda ab aliquo licentia, & facultate explere, & in publicam formam redigere poſſe, eiſque plenam adhiben. eſſe fidem d. §. 1. Contraria remouet, §. 2. Huiuſq; indulti ſolam ſufficere ſignaturam decernit, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quid operantur illa verba, §. 1. *abſque alia deſuper concedenda licentia?*

RESP. Operantur, quòd non eſt requiren. Iudicis authoritas, aliòquin ad exemplan. neceſſaria, Rota in deciſ. Seraphin. 1428. num. 1. & 2. & in deciſ. 1230. n. 2.

Schol. ſecundum.

Quæro. Si in ſcriptura Notarij anteceſſoris aliquod ſubſtantiale deficiat, num poterit ſucceſſor eam ſupplere, vigore authoritatis eam explendi, de qua in §. 1.?

RESP. Non, quia longè differt explere, & ſupplere, vt in his terminis, cenſuit Rota in deciſ. Seraphin. 949. n. 6.

XXXIX.

Edita Anno 1561.

CVpientes Mercatoribus, & infra, pagina 54. Bullarij.

COM-

COMPENDIVM.

Paulus IV. statuit debitores in Vrbe obtinentes alternatiuas, significationes, & dilationes, nonnisi iuxta formam iuris, & Statutorum Vrbis obtinere posse, & illas obtinentes semper birretum viride deferre debere, §. 1. Hic Pont. declarat illos debitores coram Iudicibus d. Vrbis, antequam inhibitionem obtineant, dictum birretum gestare, debere, & promittere illud de cætero deferre, §. 2. Executorem deputat A.C. §. 3. Solamq; harum literarum signaturam sufficere indulget, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quod est eiusmodi Vrbis Statutum, de quo in §. 2.?

RESP. Hoc tempore erat in cap. 19. lib. 4. Sed hodie in nouis tempore Greg. XIII. editis Statutis, est in c. 161. lib. 1. & istud obseruatur.

Schol. secundum.

Quæro. Eiusmodi birreti delatio, nunquid stricte est hodie seruan.?

RESP. Non, si ad quinquennales dilationes admissi, idoneè caoerint de soluen. in fine dilationis, seu termini, vt cauetur in eodem nouo Statuto à Greg. XIII. edito, vers. Is verò, vbi latè de hac materia agit Galganetius egregius in Vrbe Aduocatus in gloss. eiusdem Statuti mox impressi.

XL.

Edita Anno 1561.

CVm sicut non sine magna, & infra, pagi. 54. Bullarij.

COMPENDIVM.

Declarat, quod Inquisitores hæreticæ priuatis non teneantur publicare dicta eorum, qui detexerint aliquem hæreticum, vel schismaticum, aut contra eos deposuerint, §. 1. Et hi syndicari nequeant, nisi à Rom. Pont. vel summis Inquisitoribus Vrbis, §. 2. Molestari non valeant Inquisitores, super nominum, cognominum, & dictorum testium reuelatione, §. 3. Contrarijs non obstan. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Si Inquisitor hanc publicationem denegat, dabitur ne appellatio?

RESP. Non, tanquàm friuola, cum admodum clara sit huius Pij decisio; sic aduertit Pegna in Director. Inquisit. par. 3. comment. 124. vers. ac si fortasse, vbi refellit opinionem Paris. aliter dicentis in cons. 2. lib. 4. n. 155. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ erit ergo Inquisitorum cura, circa hos testes, quorum nomina minimè publicantur?

RESP. Vitam, & mores testium, ac delatorum diligenter ijdem Inquisitores inuestigare debent, vt perpendit Ioan. Rojas in singul. 108. incip. Testium publicatio, & sequitur Pegna vbi supra vers. Quoniam vero, pag. mihi. 629. iuxta impressionem Romæ anno 1587.

XLI.

Edita Anno 1561.

CVm sicut accepimus, & infra, pagina. 55. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vt diuino cultui sit consultum, omnes fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta quæcunque, & quarumcunque Ecclesiarum ad Capitulum, & mensam earumdem communiter spectantia (sine præiudicio pensionum super dictis fructibus reseruatarum) applicat distributionibus quotidianis, distribuendis inter diuinis officijs interessentes, iuxta cuiuslibet Ecclesiæ constitutionem iam factam, siue faciendam, §. 1. Eos, qui aliter de illis receperint (exceptis infirmis, aut alia iusta causa, aut Ecclesiæ vtilitate excusatis) rerum sic acceptarum dominium non acquirant, & ad omnium restitutionem teneri decernit, d. §. 1. Executorem deputat, §. 2. Contrarijsque derogat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quæ sunt distributiones communes, de quibus in §. 1.?

RESP. Illæ, quæ constituuntur de fructibus communibus, lucrifaciendæ à celebrantibus communiter diuina officia; Aliæ autem distributiones dicuntur extraordinariæ, de fructibus particularibus alicui dignitati personatui, & officio debitis, & pro officijs à solis habentibus ea faciendis, vt declarat Nauar. de Orat. & Hor. Canon. cap. 22. nu. 51. Et quoad distributiones communes, huic constitutioni conuenit tex. in cap. 1. de Cleric. non resid. in 6.

Schol. secundum.

Quæro. Iusta causa excusationis, de qua in §. 1. censeri forsan poterit illa absentia, quæ per duos, vel tres menses à Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. Quoniam de Reformat. permittitur?

RESP. Non, sed illæ distributiones accrescunt his, qui vacationum tempore seruire volunt, vt pluries à Sacra Cardinalium super interpretatione dicti Concilij Congregatione sancitum, scribit Leon. in suo Thesaur. for. Eccles. par. 3. cap. 2. nu. 21. & seq.

XLII.

Edita Anno 1562.

DEcet Rom. Pont. ex debito, & infra, pagina 55. Bullarij.

COMPENDIVM.

Nautarum, & Mercatorũ vini in Ripa Vrbis securitati, ac vini vbertati consulendo, decernit Proxenetas, quorum opera vinum vendunt, obligatos esse ad fauorem Dominorum vini pro pretio vini sic venditi, §. 1. & 2. Proxenetasq; illud soluentes agere posse contra emptores prædictos, §. 3. Quoscunque caupones, & Tabernarios Vrbis, pro prædictorum Mercatorum maiori cautela, præcipit cauere debere de stando iuri, & iudicatum soluendo coram Commissario dictæ Ripæ, cum omnibus interesse habentibus, §. 4. Et gabellam iuliorum quatuor pro quolibet dolio vini, Cameræ Apostolicæ à prædictis vini debitoribus, soluen. esse, §. 5. Istudq; diploma in d. Camera registrari, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Vini, de quo hic legitur, inuentor, quis omnium primus fuit?

RESP. Noè, qui prius vineam plantauit, & cum vini naturam ignoraret, supra modum bibens, inebriatus est, vnde patet, quòd vinum auctori suo non pepercit, & quòd in principio generis humani, ignorabatur ebrietas, vt habetur in cap. 8. dist. 35. & refert Ioannes de Sylua in suo tract. de Benefic. par. 3. quæst. 7. nu. 135.

Schol. secundum.

Quæro. Gabella vini, de qua in §. 5. extenditur forsan ad acetum, vel vinum acinaceum?

RESP. Non, quia in hac materia odiosa, cessat interpretatio extensiua, vt de aceto censuit Bald. in tractat. de Statut. in vers. vinum, licet in materia fauorabili secus sit l. 1. ff. de Trit. vino, & oleo legat. Et de vino acinaceo, Bertachin. de Gabell. in 2. membr. 4. part. principali. nu. 22.

XLIII.

Edita Anno 1561. 1562. & 1564.

DEcet Roman. Pont. & infra pag. 56. *Item.* Ad Romanum spectat, & infra pagin. 57. *Item.* Cupientes pro iniunctæ, & infra, pag. 58. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iustis, quas enarrat, causis, pœnas maleficiorum Status Eccles. vigore statuti, aut banni Communitatibus applicatas, R. Cameræ Apostolicæ (exceptis pœnis damnorum datorũ) applicat. §. 1. & 2. Officialibus præcipit, quòd has pœnas eidem Cameræ applicent, & applicationes aliter factas irritat, §. 3. Excipit pœnas ex causa verè onerosa hactenus applicatas, §. 4. Hanc bullam comprehendere declarat, etiam loca Communitatibus subiecta, §. 3. subseq. constit.

constit. Decimam partem dictarum pœnarum Gubernatoribus,accusatoribusq. quartam, decernit in alia subseq. constitut.

Schol. primum.

Quæro. Si Communitates duarum Ciuitatum haberent pœnas, ex causa verè onerosa,& in Curia vnius Ciuitatis,quis dedisset cautionem alicui de non offendendo,& illum postea offendisset in territorio alterius Ciuitatis, ad quam earum spectaret hæc pœna?

R E S P. Deberetur Curiæ,vbi pœna promissa fuit,per doctr.Bart.in l.illicitas 6.§.3.ff.de off.Præsid. n.6.& Ias. in l.fin.ff.de Iurisd.omn.iud.num.12. Herculan. de Cation.cap.9.num.2.& Caball.casu 35. per totum. Sed hoc procedit si contentio esset solummodo inter ipsas Communitates.

Schol. secundum.

Quæro. Cur resolutio huius dubij,ad quæstionem vertentem inter Communitates tantum restringitur?

R E S P. Quia,si quæstio esset cum R. Camera, his temporibus sibi pœna deberetur; Si quidem hic idem Pius aliam post hanc edidit constitutionem, quæ Inferius erit num.52. vbi in §.4. secundæ declarationis dictæ constitutionis decreuit, quascumque cautiones de non offendendos,ad ipsius Cameræ tantum fauorem stipulatas censeri, Et in facti contingentia sic in Sacra Consulta tentum fuisse,testari possum.

X L I V.

Edita Anno 1561.

IN throno Iustitiæ, & infra pagina 58. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad parcendum laboribus, & expensis litigantium in Rota Romana,decernit vnicam commissionem causę sufficere in prima instantia, & eius vigore, Auditorem causam cũ omnibus eius inciden. & dependen. decidere posse,terminumq. præfigere ad docendũ de attētatis,& de nullitatibus, & causis restitutionis in integrum, & eo elapso, ad expeditionem procedere,& cætera facere,quę Ordinarij iudices facere possunt. §.1.& 2. Fatalia arbitrio Rotę prorogare § 3. Sententias non proferre,causa non proposita in Rota.§ 4. Easq. per viam termini pro seruato subscribere, & publicare infra quindecim dies, & in vltima audientia infra mensem.§.5. Declarat quo pacto Notarij referre debeant terminos ad referen.acceptos. §.6. Auditoresvè sententias non proferre non perfecto regesto.§.7. Decisionũ copias, ab Auditoribus petenti dari iubet. §.8. Causas Auditorum,eorumq. familiarium,consanguineorum,& affinium vsque ad secundum gradum de iure canonico computan.in Rota cognosci prohibet.§.9.Auditores in eorum domibus Notarios,substitutos,aut iurisperitos, etiam consanguineos,in causis se quoquomodo intromittentes,recipere vetat §.10.Aduocatumvè,aut Procuratorem aliquem à partibus eligi Auditores nõ cogant, §.11. Et nihil,nisi votis omnibus,aut duabus tertijs partibus discussis disponere nequeant.§.12. Nullitates tres tantũ attendere iubet. § 13. A liquidatione fructuum & expēsarum semel appellari permittit. §.14. Auditores, consulto tantum Papa, vel ex causis in Rota probatis,lites ad Cancellariam remittere posse indulget.§.15. Supersedereq in causa ciuili,si criminalis ei præiudicet.§.16. Taxam sportularum præfinit.§.17.& seqq. Eas post sententias Notario consignatas,per Notariũ Auditori dari decernit,§.20. Notarios idoneos eligi,officia non attendare, & pro substitutorum facto teneri declarat.§.21. Decretum irritans addit.§.22. Derogatoriasq. contrariorum. §.23.

Schol. primum.

Quæro. Rota ista,rigorem, vel æquitatem potius sequi consueuit?

R E S P. Aequitatem,vt dictũ fuit in decis.Achil.303. alias 3.de Testam.in fin. & in decis.Cantuc.12.per.e. Diuersor. num.2.

Schol. secundum.

Quæro. Rota cur quandoque rotat,ideſt diuersimodè iudicat?

R E S P. Quia etsi idem videatur casus, plerumq. tamen euenit, vt aliqua circumstantia mutet factum. Vel quia quod maturè prius iudicatur,maiori deinde consideratione,& studio aliter censetur,ita vt correctio pernecessaria videatur. Vel tandem, quia diuersa est hominũ opinio, & natura ad dissentien. prona. Hæc recenset Thesaur.in præfat.ad decis.Pedemont.n.33. vbi alios allegat.

X L V.

Edita Anno 1562.

QVamuis à Sede Apostolica, & infra pagina 60.Bullarij.

COMPENDIVM.

Legitimationes de naturalibus spurijs in præiudicium ex qualiber valida dispositione vocatorum,quoquomodo per quamcumque facultatem habentem factas,non tamē effectum sortitas,nec ius in re consecutas,irritat.§.1.& 2. Lites desuper pendentes extinguit.§.3. Quoscumque legitimandi facultatem habentes, ad hoc, vt in præiudicium eiusmodi dispositionum eas facere non possint,reuocat.§.4.& 5. Et ita, & non aliàs iudicari præcipit d.§.5. Contraria non obstare decernit.§.6. Hanc sanctionē, quoad legitimationes Apostolica auctoritate factas, vbiuis locorum effectum sortiri,& quoad illas,quæ imperiali concessione factæ fuerunt, in Terris Sedi Apostolicæ mediatè & immediatè subiectis, in casibus,in quibus illæ in dictis Terris de iure fieri permittuntur, locum habere declarat. §.7. Et in Vrbe publicatas,omnes ligare.§ 8.

Scholium primum.

Quæro. Cardinali Legato asserenti habere facultatem legitimandi, de qua in §.1. crederetur ne?

RESP. Non, quia est de reseruatis Papæ, & Imperatori,Cap.Per venerabilem.13. qui fil.sint legit. & tradit Paris.cons.12.lib.2.nu.131. & in his, quæ Cardinali Legato de iure communi, aut generali, suæ legationis officio non competunt, creden. non esse, censuit Rota post Roman. & alios, quos allegat in decis.Semph.142. num.1.

Schol. secundum.

Quæro. Reuocatio legitimationum, quoad successionem, de quibus in §.1. intelligitur ne etiam quoad honores?

RESP. Non equidem, cum lex ista exorbitens,non sit extendenda Castrens. cons.180.lib.1.n.2. vers. Valebit, & Florian.de S.Petro cons.26.n.45. vers. Ex his sequitur.

X L V I.

Edita Anno ....

VOlentes dilectos filios Mercatores pannorum, & infra pag.61. Bullarj.

COMPENDIVM.

Confirmat ad fauorem Mercatorum pannorum Vrbis quascumque literas suorum Prædecessorum. §.1. Extendit easdem, vt libris illorum credatur, vsque ad summam ducatorum triginta auri. § 2. Et Consules ius dicant etiā contra Romanos, & Curiales d.§.2. Derogat omnibus contrarijs. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid pariter,& contra Mercatores,ijdem libri fidem faciunt?

RESP. Sine dubio faciunt, tum quia ipsi, scripserunt, tum quia in iudicio produxerunt contra debitores l.Cum precum.9. Cod.de liberal.caus.Paris. cons.47.lib.1.nu.3. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Probabunt ne hi libri Mercatorum aliud, quā ipsam venditionem, & pretium, vel potius alia quoque in partitis enunciata?

RESP. Non probant alia enunciatiuè dicta, vt tenuit Rota coram Accorambono in decis.284.per.3. Diuersor. lib.3. num.4.

XLVII.

Edita Anno ....

INter cæteras, quibus ex iniuncto, & infra pagina 62. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius Tertius franchitias pro malefactoribus tuendis in Vrbe prohibuit. § 2. Quod hic Pontifex approbat, & franchitiam eiusmodi, neque teneri, neque acclamari decernit, pro malefactoribus etiam non condemnatis, aut etiam ære alieno grauatis, neque eos à ministris iustitiæ eximi, aut securos reddi, nec executores iustitiæ quouis modo directè, vel indirectè impediri. § 3. Contrauenientes velut criminis læsę maiestatis reos puniri iubet, vltra pœnas, quas rei aditi merentur, & vltra damnorum refectionem erga eorundem creditores. §. 4. Cardinalibus, Oratoribus Principum, & cæteris, quouis modo hoc tolerare interdicit §. 5. Quibuscumque non obstan. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Verbum, *velut*, de quo in § 4. stat similitudinariè, vel exemplificatiuè?

RESP. Puto stare exemplificatiuè, vel potius expressiuè, etiam quòd agatur de pœna, vt pulchrè habetur in decis. 676. Bellam. num. 3. Et est bonus textus in l. penult. C. de interd. matrim. int. tutor. & pupill. vbi Bald. num. 5. notat, quòd ibi hoc verbum, *velut*, importat fictionem, contra quam non admittitur probatio in contrarium?

Schol. secundum.

Quæro. Quis est sensus illorum verborum. §. 3. *directè, vel indirectè*?

RESP. Sensus est, quòd nemo etiam per obliquum quouis modo, aut ratione impediat, prout scribit Vgolin. de Censur. Eccles. exposit. Bullæ in Cœna Domini, quæ eiusmodi verba continet, & cap. 8. num. 2. vers. directè.

XLVIII.

Edita Anno ....

DVdum à fel. rec. Paulo Papa IV. & infra pag. 62. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus IV. multa statuit in const. 3. de qua supra pag. 138. t. 1. circa Iudæorum viuendi modũ, in princ. Hic Pius Hebræis Romæ degentibus indulget, de loco ad locũ deferre posse biretum nigri coloris in itinere. §. 1. Stabiliaque retinere vsque ad valorem scutorum 1500. & quascũque artes exercere. §. 2. Et honestam conuersationem & familiaritatem cum Christianis habere. §. 3. Et pignora à Christianis habita post menses 18. vendere. §. 4. Statutaq. Vrbis, & generalia decreta obseruare. §. 5. Et Dominos domorum in locis Hebræis assignatis existentium, pensionem à Camerario taxatam augere non posse. §. 6. Eosque qui illorum bona stabilia ab illis emerunt, pretium absque cautione soluere, vel ipsa bona restituere debere. §. 7. Nõnulla tam per eos commissa crimina remitti. §. 8. Querelantes Hebræum de transgressionibus, quoad pœnam annum habeant, & quoad interesse ciuile habeant tempus à iure ciuili præfinitum. §. 9. Præscriptio iuris cõmunis tantum, creditis Hebræorum opponi possit. §. 10. Apothecas extra septum tenere posse indulget. §. 11. Eorum libri nõ conscripti caracteribus linguæ vulgaris Italicæ, contra Christianos non probent. §. 12. Et ita, & non aliter iudicetur. §. 13. Executores deputantur. §. 14. Contrariaq. omnia remouentur. § 15.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid honestæ conuersationis, & familiaritatis permissione, possunt Hebræi comedere cum Christianis?

RESP. Hoc dubium sustulit Clemens VIII. cuius iussu emanauit Illustrissimi D. Cardinalis Vicarij in Vrbe proclama, sub die 17. Augusti 1592. vbi comedere cum Christianis omnimodè, præterquàm in itinere, eis prohibuit, cap. 5. & seqq. vbi aliæ leguntur prohibitiones ad materiam huius bullæ pertinentes.

Schol. secundum.

Quæro. Antiquo autem iure comedere ne licebat, cum Hebræis?

RESP. Non, tex. in cap. Omnes. 14. caus. 28. q. 1. & habemus glos. in c. Ad mensam, 124. caus. 11. quæst. 3. Turrecrem. ibid. num. 5. & Archid. num. 2. in fin. vbi limitat, si Episcopus dat licentiam, vel in casu necessitatis.

XLIX.

CVm vices eius, & infra pagina 64. Bullarij. Edita Anno 1562.

COMPENDIVM.

Prohibet deferri, & detineri quouis prætextu per cuiusuis Ordinis, & conditionis personas in Statu Ecclesiastico, archibusettos breuioris mensuræ duorum palmorum, etiam in itinere, & quoquomodo etiam militiæ prætextu, aut executionis iustitiæ, §. 1. Contrauenientibus pœnã criminis læsæ maiestatis, & rebellionis, ac alias pœnas de iure inflictas imponi. §. 2. Inhibet quibuscumque Officialibus licentias dare. §. 3. Dataque & dandas irritas decernit, & illis vtentes à prædictis pœnis non excusare. §. 4. Publicationem huius bullæ in Vrbe committit. §. 5. Transumptisque illius credi indulget. §. 6. Et contraria remouet. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Quid si testes deponant, vidisse aliquem deferre archibusettos duorum palmorum in circa?

RESP. Non dicitur concludenter probata illa breuitas, de qua in hac lege, cum verbum *in circa*, dubitationem importet, & consequenter non releuat, vt in indiuiduo tenet Bertazzol. consil. crimin. 361. lib. 1. num. 10. vbi ad hoc Ruin. Alex. & Alciat. allegat & ei adhæret Farinac. q. 108. num. 54.

Schol. secundum.

Quæro. Et quid si etiam dicunt, vidisse deferre archibusettum prohibitum?

RESP. Simili modo dicendum esse, eam probationem non concludere, vt latè voluit Bursat. consil. 331. lib. 3. num. 31. & Farinac. vbi supra, num. 57. Sed tu intellige id verum, si testis non subdat; illud mensurasse, aut mensurari vidisse, siquidem mensura determinata per solam rationem visus; non certificatur, vt egregiè docuit Bart. in suo tract. de Testibus. num. 47, de quo meminit Bursat. in loc. præcit. Aduertendo, quòd mensura duorum palmorum, intelligen. est de canna, non computata capsa, vt dignoscitur ex lectura bannimentorum Gubernatoris Vrbis, de anno 1610. editis cap. 8.

L.

CVm sicut accepimus, & infra pagina 65. Bullarij. Edita Anno 1562.

COMPENDIVM.

Vt lites Monasterij Conuertitarum de Vrbe, eo citius, & minus damnosè expediantur, eas coram quocumque Iudice, non tamen instructas vertentes, ad se auocat. §. 1. Ad easq. & alias interesse Monasterij concernentes, Cardinalem illius Protectorem, per se, vel alium ab eo deputãdum, cognoscendas in Iudicem ordinarium deputat. §. 2. Cum facultate inhibendi quibuscumque Iudicibus Vrbis. §. 3. Sententiasq. exequendi. §. 4. Inobedientes coercendi. § 5. Cæteraq. necessaria faciendi. §. 6. Causas ab alijs Iudicibus reassumendi. §. 7. Decernit insuper huiusmodi causas alibi cognosci non posse. §. 8. Clausulas huius bullę præseruatiuas apponit. §. 9. Et decretum irritans. §. 10. Derogatoriasq. contrariorum. §. 11. Et solam illius signaturam sufficere. §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Quæ hic disponuntur ad fauorem Monasterij, num

num etiam contra illud sunt attendenda?

RESP. Ita sanè, quia in iudicijs non debet reus, & actor adimparia iudicari, & concessum pro vna parte, pro alia quoque dispositum censetur l. fin. vbi omnes notant, Cod. de fructibus, & lit. expens. l. non debet, 42. vbi Dec. & Cagnol. ff. de Regul. iur. Rota in terminis indultorum hu ius Monasterij, in decis. Sacrati 25. Iunij 1610. in vna Romana Societ. impressa à Marches. de Commissionibus par. 2. §. 3. pag. mihi 228. num. 3.

Schol. secundum.

Quaro. Núm contrarium est dicen. cum iste Pius non ad instantiam Monasterij, sed motu eius proprio hæc illi indulta concesserit?

RESP. Non, quia effectus Motus proprij non impedit regulam æqualitatis seruandæ in iudicialibus, vt respon det Bald. in dict. l. fin. numer. 1. Panorm. in capit. 2. de Mut. petit. numer. 10. & Felyn. ibid. numer. 4.

L I.

Edita Anno 1562.

PAstoris æterni, & c. infra pagina 66. Bullarij.

COMPENDIVM.

Aliqui Romani Pontifices diuersis Ordinibus Regularibus concesserunt, eorum personas de hæresi inquiri non posse, nisi ab eorum Superioribus, §. 1. Hic Pont. decernit, Inquisitores contra quoscumque Religiosos procedere, dummodo per illorum Superiores non sit præuentum, §. 2. Et ita solum iudicari debere, §. 3. Quibuscumque non obstan §. 4.

Schol. primum.

Quaro. Ante hanc Bullam, quid in procedendo contra Regulares seruabatur.

RESPON. Quandoque soli Superiores contra Religiosos; quandoque nonilli, sed Inquisitores procedebant, vt videte est apud Eymeric. in Directior. Inquisit. part. 3. quæstio. 28. & Comment, Pegnæ 77. versi. in hac.

Schol. secundum.

Quaro. Et post hanc Pij sanctionem, quid obseruatum?

RESP. In sanctæ Inquisitionis Tribunali hoc vsu receptum fuit, vt nulli Religiosorum Superiores, suos subditos Religiosos de causa fidei iudicare audeant, aut punire, sed protinus ad huiusmodi S. Officium causas deferant, nec aliud agentes benè fecerunt, vt aduertit Pegna in loco cit. vers. Tametsi. Et ita sancitum est modò à Paulo V. in sua const. 26. alias 19.

L I I.

Edita Anno 1562. & 1565.

ET si cunctæ, quæ ex multa, & infra pagin. 67. *Item*, Cum nos dudum, & infra pagin. 68. *Item*, Licetdudum, & infra pagina 68. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Bullam 24. Iulij II. de qua sup. pag. 89. tit. 1. §. 1. & Alteram Pauli III. etiam 24. pag. 125. tit. 2. Eas approbat. §. 3. Addit quòd nemo capitaliter condemnatus, etiam si aliquem bannitum occiderit, vel ad manus Curiæ deuenire fecerit, & ob id suam, vel alterius banniti à se nominandi liberationem petierit, extra carceres audiatur, iuxta formam dictæ Bullæ Iulij II. §. 4. Et in subseq. constitu. id extendit ad quemcumque, pro quocumque crimine, cu ius pœna est capitalis, condemnatum, §. 2. Addit insuper, hos bannitos nequaquam remitti in loco vbi sunt hæredes occisi, nisi prius habita pace, §. 3. Idque prohibet omnibus Officialibus, §. 4. Et in subseq. altera constitutione, declarat, actuale fieri debere depositum pœnæ, vel æstimationis rei, de qua agitur, siue quis à sententia diffinitiua, siue alia appellet, aut de nullitate dicat, constetq; de deposito per publicum instrumentum, antequàm appellatio, seu reclamatio admittatur, §. 2. Nisi Iudici, ad quem constiterit, de paupertate reclamantis, dict. §. 2. Declarat insuper reos extra carceres non audiri, si pœna capitalis non sit pecunia æstimabilis, §. 3. Decernit penas conuentionales pacis. & treguæ, & fideiussiones de nō offendēdo, stipulari per Notarios ad fauorem Cameræ, §. 4. Et in causis fractæ pacis, vel treguæ, ipsos fractores, & eorum fideiussores allegare non posse ex noua causa offensam secutam, §. 5. Declarat verba, quæ apponuntur in cautionibus de non offendendo, §. 6. Et sententiam contumacialem præiudicare fideiussoribus, in his cautionibus de non offendendo, §. 7. Hoc extendit ad legitimam per parentes soluen. vt eam soluere tenenantur, etiamsi eorum filij in contumaciam condemnati fuerint, §. 8. In contumaciam pro crimine cōdemnatos, lapsis sex mensibus, ad defensiones admitti vetat, §. 9. Et eo termino elapso, sententias in contumaciam pro crimine latas, crimen notorium efficere, & tamquàm rem iudicatam exequi iubet d. §. 9. Hos condemnatos, si fuerint postea absoluens gratis absolui mandat. §. 11. Addit Iudicū ad quos appellationibus, nullitatum dictionibus, & alijs decretis, contra formam superius traditam emanatis, non obstantibus, Iudices à quibus, ad exequutionem (aliàs tamen legitimè) procedere posse, §. 12. Iudicibus, & Notarijs contrauenientibus pœnas infligit, §. 13. Et ita & non aliter iudicari decernit, §. 14. Contrarijs derogat, §. 15. Formam, & effectum publicationis huius Bullę subiungit, §. 16. Eam publicationem subdit in fine.

Schol. primum.

Quaro. Prohibitio dicen. de nullitatibus, de qua in, §. 11. num comprehendet exceptionem opponendi de nullitatibus?

RESP. Quamuis dicere de nullitate, comprehendat regulariter etiam excipere, vt voluit Rota in decisi. Put. 174. lib. 2. nu. 2. in penultimò impressis: Nihilominus, quia hæc bulla ponit verbum, dicere, post verbū, appellare, ideo censetur illud intellexisse de nullitate per modum agendi, non autem excipiendi, idest, vt coram Iudicibus ad quos, appellationes, & nullitatum dictiones, executionem non impediant, nisi per viam exceptionis, vt notabiliter notat Franc. in c. Dilecto. 65. de Appellat. num. 150. quem sequitur Scaccia. de appell. li. 3. c. 2. q. 19. remed. 1. conclus. 4. nu. 49. Prout quando prohibetur agi de nullitate, non prohibetur excipi de nullitate, l. Verbum, 8. ff. de Verbor, & ter. signific. Bald. in l. 1. Cod. sentent. rescind. non poss. num. 24. Contard. de Moment. poss. limit. 7. rub. 7. in fine.

Schol. secundum.

Quaro. Quæ erant exceptiones rei iudicatæ, de qua in §. 9. in fine, executionem impedientes?

RESP. Non solum quæ ex actis aut aliàs notoriæ sunt, sed & quę incontinenti probari possunt, vt per multa exempla docent Bart. & alij in l. 4. §. condemnatum, ff. de Re ind. ic. Scaccia, vbi supra sub numer. 29. & seqq. Afin. in Pract. iudiciar. §. 3. cap. 22. & seq. ac latissimè Chattar. de Execut. Sent. contumac. cap. vlt. per totum, vbi intelligentiam huius bullæ optimè explicauit.

L I I I.

IN sublimi B. Petri solio, & infra pagn. 71. Bullarij. Edita Anno 1562.

COMPENDIVM.

Reformat, & restringit authoritatem summi Pœnitentiarij ei prohibens de cætero commutare vltimas voluntates, eisq; derogare, §. 1. & 2. Vnire, supprimere, & transferre

ferre beneficia ecclesiastica. §. 3. Concedere iuspatronatus, nisi ex causa fundationis, & dotationis. §. 4. Licentiam dare Religiosis, standi extra Monasteria. §. 6. & 8. Iudicare de professionibus Religiosorum. §. 7. Absoluere Apostatas. §. 9. & 10. Concedere licentiam alienandi, vel permutandi bona Ecclesiarum. §. 11. Absoluere à criminibus, præterquam leuioribus, & in alijs in foro conscientiæ. §. 12. & seqq. Iuramentisque, præterquam ad effectum agendi. §. 16. Concedere dispensationes matrimoniales gratiosè, sed Ordinario eas committere. §. 17. Licentias dare Religiosis suscipiendi gradus, absque causa, & licentia suorum Superiorum. §. 18. Absoluere ab indebita fructuum perceptione. §. 19. Vel à violata iurisdictione Ecclesiastica, nisi cum clausula, Satisfacto prius parti læsæ. §. 20. Concedere facultatem testandi, præterquam certo modo. §. 21. Confirmare gesta ab Ordinarijs. §. 22. Dispensare super ætate promouendorum. §. 23. Præcipit Pœnitentiario, ne suas facultates excedat. §. 24. Eius officium Sede vacante cessare decernit in his, quæ ad forum fori spectant. §. 25. Pœnas contrauenientibus infligit. §. 26. Et ita iudicari mandat. §. 27. Contrarijsque derogat. §. 28.

Schol. primum.

Quæro. Quamplura ad hoc officium spectantia addiscere vellem, quis ergo ex antiquioribus me edocebit?

RESP. Scribb. in clem. 2. de Elect. & Gomes. cæteris vberius omnia pertractans in eo, quem edidit, libello de Potest. & styl. Offic. Pœnit. de quo meminit Grauat. ad Vestr. in Pract. Rom. Cur. lib. 1. cap. 2.

Schol. secundum.

Quæro. Antiquis temporibus quomodo hoc officium regebatur?

RESP. In primitiua Ecclesia, communiter à pluribus immaculatæ vitæ, & scientiæ simplicibus Confessoribus regebatur. Postmodum ad tantum honoris culmen hoc officium deuenit, vt quindecim Cardinales illud obire munus non dedignarentur, vt post alios scribit Gomes (qui eius Officij regens fuit) in proœm. Reg. Cancellar. 10 titul. de sacræ pœnitent. Officialib.

LIV.

Edita Anno 1562.

VNiuersi gregis Dominici, & inf. pagina 73. Bullarij.

COMPENDIVM.

Correctoris Cancellariæ Apostolicæ, & literarum minoris Iustitiæ, contradictarum nuncupatarum, officium reformat, circa commissiones & rescripta litium §. 1. & 2. Indulgentiarumq; vltimarum voluntatum, iurispatronatus, & præsentandi, atque contractuum sententiarum, & laudorum confirmationibus. §. 3. & 4. Vnionibus beneficiorum, & similium. §. 5. Alienationibus bonorum Ecclesiasticorum § 6. Professionibus Regularium. §. 7. Religiosorum licentijs, standi extra claustra. §. 8. Absolutionibus à iuramentis. §. 9. Facultatibus testandi § 10. Ordinariorum gestis. §. 11. Beneficiorum titulis, & possessionibus. §. 12. Declaratorijs super homicidio, & irregularitate, exinde contracta. §. 13. Decimarum confirmationibus. §. 14. Rebusque litigiosis. §. 15. Priuilegiorum confirmationibus. §. 16. Rebus in iure dubijs. §. 17. Facti narratione. §. 18. Contrauenientibus pœnas infligit. §. 19. Irritat contraria. §. 20. Decernit ita, & non aliter iudicari. §. 21. Derogat contrarijs. §. 22.

Schol. primum.

Quæro. Quo primum tempore, Cancellaria Apostolica instituta fuit?

RESP. Hoc penitus ignoro, & illud vnum certum videtur, quod tempore Lucij Papæ III. qui Pontificatum anno 1181. adeptus est, & anno 1185. vita excessit, Cancellaria iam fuerat promota, cum de ea ipse meminerit in cap. Ad hæc. 10. de Rescript. & aduertit Gomes. in proœm. Regul. Cancell. quæst. 2.

Schol. secundum.

Quæro. Correctoris huius Cancellariæ dignitas, est ne Collegialis, ita ut non possit alijs conferri, quam vni de Collegio?

RESP. Non, vt multis rationibus dixit Rota in decis. Seraph. 716. nu. 6. & seqq. vbi idem determinat, quoad omnes actus Collegiales.

LV.

Edita Anno 1562.

ROmanus Pontifex, & infra pagina 74. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prosequendo Romanæ Curiæ reformationem, decernit Camerarium, & Clericos Cameræ Apostolicæ, causas interesse eius Fisci tantum, non autem priuatorum, cognoscere debere. §. 1. 2. & 3. Et se abstinere à commissionibus causarum, exceptis summam ducat. 25. non exceden. & in districtu Vrbis tantum, ac in prosanis. §. 4. Et à commissionibus alienationum de bonis Ecclesiasticis, vbi annuus valor summam ducatorum quinque non excedat. §. 5. Absolutionibusq; delictorum, & saluis conductis. § 6. Moratorijs quoque vltra mensem. §. 7. Hebræis tolerantijs, & priuilegijs, quæ Christianis præiudicant. §. 8 Extractionibus frumentorum, & victualium de bonis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ §. 9. Repressalijs §. 10. Literisque de adipiscenda possessione beneficiorum, vel protogationibus temporis, ad expedien. literas Apostolicas quarumcumque gratiarum, vel ad solutionem annatarum, aut Cathedralium, Collegio, aut Officialibus debitorum. § 11. Vectigalium impositione, augmento, vel diminutione, §. 12. Spolij Clericorum, decimis, regalibus, & creditis fiscalibus. §. 13. Notariorum munere circa expeditiones. §. 14. Indultis circa spiritualia. §. 15. Expeditionibus extra facultates datas, non concedendis. §. 16. Camerarij que, & Clericorum officio Sede vacante. §. 19. Contrauenientibus pœnas infligit. § 20. Aliter gerenda irritat. § 21. Clausulam, Sublata, &c. apponit. §. 22. Contrarijsque derogat. §. 23.

Schol. primum.

Quæro. Fiscus, si velit admitti ad causam pro suo interesse, de quo in §. 3. quam probationem deducere debet?

RESP. Summariè, & non plenè de eiusmodi interesse docere fat est, vt scripsit Burr. conf. 28. num. 1. & Panormit. conf. 82. lib. 2. num. 10. vers. insuper dici potest.

Schol. secundum.

Quæro. Num sufficiet Fisco, probare, se eius rei esse consortem Sempronij, contra quem lata est sententia, prout in facti contingentia hac die à me quæsitum fuit?

RESPON. Affirmatiuè respondeas per ea, quæ scribit Alex. conf. 185. lib. 5. num. 8.

LVI.

Edita Anno 1562.

INter multiplices, & infra pagina 76. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reformat Curiam Auditoris Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ, super monitorijs specialibus in causis profanis. §. 1. & seqq. Appellationibusq; recipien. §. 4. Monitorijs generalibus. §. 5. Cedulonibus cum picturis Dæmonum, & similibus. §. 6. Sequestris. §. 7. Monitorijs contra Episcopos, & eorum Superiores. §. 8. Expensis contumacialibus instigatoris. §. 9. Remissorijs in causis criminalibus. §. 10. Literis pro capiendis inditijs. §. 11. Examine reorum, & testium. §. 12. Eorumdem retentione in secretis carceribus. § 13. Dilationibusque. §. 14. Fisci admissione pro suo interesse §. 15. Causis vsuræ, contra Mercatores. §. 16. Appellationibus Fisci. §. 17. Inuentarijs de bonis Inquisitorum. §. 18. Sportulis Iudicum. §. 19. Notariorum procuratione, vel pactis cum Procuratoribus. §. 20. Decretorumve extensione. §. 21. Testium quoque in testamentis adhibendorum cognitione. §. 22. Officiorum arrendatione. §. 23. Inhibitionibus vigore Eugenianæ. §. 24. Notariorum relatione, quoad decreta fienda pro alijs Notarijs. §. 25. Mandatis de manutenendo per Auditorem dandis. §. 6. Man-

datisq. suspicionis fugæ. §.27. Cupijs reo ante torturam, dandis.§.10. Registrus in causis ciuilibus. §.19. Facultate A C. in executione obligationis Cameralis. § 30. Inhibitio, & pœnæ infliguntur contrauenientibus. §.31. Clausula Sublata,&c. apponitur. §.32. Derogatoriæq. subsequuntur. § 35.

Schol. primum.

Quæro. Si excommunicationum cedulones,de quibus in § 6. deturparentur, num contra eos deturpantes agendum est, & coram quibus Iudicibus?

RESP. Proceden. est coram Inquisitoribus S.Officij contra prędictos,cum libellos excommunicationis deturpantes, videantur de Prælatorum auctoritate malè sentire,censuras Ecclesiæ contemnere,atque irridere, eique Ecclesiæ ignominiam irrogare,quæ eius censuris vtitur. Hoc habet Pegna in Director. Inquisit. par.3. Comment.14. vers.sunt item,& sequitur Marcus Antonius Genuen.Episcopus Iserniæ in Pract.Curiæ Archiep.Neap. c.8. in fine.

Schol. secundum.

Quæro. Causæ criminales,de quibus in §.10. quæ dicuntur?

RESP. Illæ,in quibus Fiscus agit ad pœnam,pro aliquo delicto ad vindictam publicam; Secus autem si ex cõtractu, iuxta theoricam, Bart. & aliorum in l.5. ff. de Sepulchr.viol.Peregrin. de Priuil.fisc. lib.7. tit.1. Foller. in Pract.crim. §.audiantur exceptiones. num.176. Clar.q.1. vers. Tertius casus.

LVII.

Edita Anno 1562.

Regimini vniuersalis Ecclesiæ, & infra pagina 78. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Ministri Ecclesiarum,Oratoriorum,Capellarum, & Confraternitatum dependentium ab Ecclesia Lateranen. vel Hospitali S. Spiritus in Saxia, vel Monasterio S.Sebastiani extra muros de Vrbe, prætendunt se exẽptos à iurisdictione Ordinariorum, Vnde desuper quamplures lites ortæ sunt.§.1. Hic Pont.dicta loca, & personas,Ordinarijs subijcit,& facultates Ecclesiæ,Hospitalis,& Monasterij prædictorum erigendi Ecclesias in locis suis à quocumque concessas, reuocat. §. 2. Contrarijsq. omnibus derogat. §.3.

Schol. primum.

Quæro. Si alicui ex locis erectis,Papa concesserat facultatem adeundi Ordinarium, pro Sacramẽtis, nunc erat argumentum, quod esset locus exemptus?

RESP. Validum esse argumentum ex eo probatur, quod facultas adeundi Ordinarium pro Sacramentis non est necessaria,nisi in casu exemptionis glos.in c.fin. in versic.permittimus de Pœnit.& remissionibus, & idem tenuit Rota in decis.1025. Seraph.num.6.& 7. in nouis. vbi alia non absimilia argumenta habentur.

Schol.secundum.

Quæro. Cur hic,& alibi Episcopi appellantur Ordinarij,prout, & alibi appellantur Diœcesani?

RESP. Quia in verbu (Ordinarius) includuntur, quæ sunt Ordinis, & quæ sunt iurisdictionis; In verbo autem (Episcopus) includuntur quæ sunt Ordinis tantum, & sic non comprehenditur electus ante consecrationem; Et in verbo (Diœcesanus) includuntur, quæ potestatis, seu dignitatis sunt, vt per iura, quæ allegat scribit Butr. cons.19. num.3. vers.Cum igitur.

LVIII.

Edita Anno 1562.

Cvm ab ipso Pontificatus nostri initio, & infra pag.80. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reformationi Tribunalium Ordinariorum, & aliorũ Iudicum Vrbis intentus, probibet sportulas recipi in causis ciuilibus ordinarijs. §.1. & seqq. Taxat sportulas recipiendas in causis criminalibus,tãm ordinarijs quàm commissarijs § 4. Taxat etiã in causis ciuilib. cõmissarijs, §.5. Taxat mercedem Iudicum,quoad decreta in cõtractibus. § 6. Et sportulas Iudicis appellationum Curiæ Capitolij, §.7. Sportulas è manibus Notarij,& post subscriptam sententiam recipi mandat. §.8.Quid pro sigillo Iudicii sit soluen.statuit. § 9. Iudices à Barisello, & birruarijs quicquã recipere vetat. § 10. Quoad expeditionem carceratorũ seruetur Bulla 44.Pauli III. de qua pag.130.to.1 §.11. Terminus pro seruato à Iudicibus infra decẽ dies declaretur. §.12. Nullitates citationis, iurisdictionis, & mandati tantum attendendas esse decernit. §.13. Causæ à duobus scutis infra sine scriptis expediantur. §.14. Carceres vt visitandi.§.15. Medici pro carceratis vt deputandi §.16. Et Cõfessores. §.17. Fiscus in causis criminalibus semper citetur. §. 18. Iudices domi non retineant Aduocatum, Procuratorẽ, vel Notarium.§.19. Iudex de Sabellis,pro obtinendo officio,nihil Marescallo soluat.§.20. Idem Marescallus, duos tantũ habeat Notarios.§.21.Carcerumq. dictæ Curiæ custodiam,vt curet.§ 22. Iudices dictæ Curiæ Burgi,& Turris Nonæ,necnon Ripæ, & Ripettæ, vt syndicentur §.23. Camerarius Ripæ,vltra sex menses in officio non cõtinuetur.§ 24. Causæ habitantium in Burgo, vbi cognoscendæ, § 25. Conseruatores Vrbis, vt in Palatio Capitolij resideant.§. 26. De pœnis vt gratiã facere possint.§ 27.Extraordinarij vt caueant ante adeptum officiũ. §.28. Quæ eis præstanda sit fides. §.10. Quodq. sit eorum munus § 30. Mandata executiua à quibus exequenda. §. 31. Magistri Viatorum quid recipere possint pro concessione locorũ, ad exponenda venalia.§.32. Eorum munus quod.§.33. Submagistrorum relationes, vt fiendæ,& cõtra fraudes,vt procedendum,§.34. Magistrorum Viarũ proclamata,vt edẽda.§.35.Aduocati Pauperum munus quod.§.36 Procuratorisq. Pauperum. §. 37. Aduocati etiam fiscalis Cameræ Apostolicæ.§.38.Procuratorisq. Fiscalis.§.39 Hic Procurator à reis nihil,& ab instigatoribus moderatè aliquid,in causæ prosecutione recipere possit. §.40. Expensæ contumaciales,sibi,instigatoribus, & Notario, vt persoluendæ. §.41. Citatio contra Fiscum vt fieri, & à Fisco vt expediri debeat. §. 42. Mandata de capiendo quando dare valeat. §.43. Appellare quomodo,& quando possit.§.44. Supersessorias in causis ciuilibus non procuret, nisi prout de iure.§ 45. Fisco,& instigatori,nonnisi prout de iure remissoriæ dentur.§.46. Literæ pro capien.indebitis,vt concedẽdæ. §.47. Reis dilationes,vt dandæ.§.48. Compositiones cum quibus tractandæ.§.49.Absolutorum cautiones,non requirendæ §.50. Fiscus appellationem prosequi potest,extante instigatore, expensasq. reficere tenente. §.51. Fiscus pro suo interesse quando audiendus. §.52. Fiscus in omni causa criminali, & in omni Curia citandus. §.53. Fisci facultas, deputandi substitutos quæ. §.54. Prohibitio cum eis participandi.§.55.Fiscus Capitolinus seruet,quę dicta sũt de Fisco Cameræ Apostolicæ §.56.Pœna contrauenientiũ in prædictis quæ.§.57. Notariorũ taxa,vt seruanda. §.58. Officia eorum, vt arrendanda. §. 59. Substitutos vt recipiant. §.60. In causis à scutis duobus infra Notarij nihil scribant absque licentia Iudicis. §.61. Registra vt faciant. §.62. Copiasq. inditiorum § 63. Notariorum Capitolij munus quod, & quæ electio. §.64. Quæuè ipsorum taxa. §.65.& seqq. Rogitus ad teseren. vt eis prohibitus. §.69. Plurium Notariatuum retentio interdicta.§.70. Notariorumq. & scribarum procuratio in eorum Curijs.§.71.Cõsules Artium sua statuta approbata seruent. §.72. Causas corã maioribus Tribunalibus introductas non teassumãt. §.73. Eorum Notariorum taxa seruanda.§.74 Assessores eorundẽ,quid pro voto recipiant. §.75.Iudex Turris Nonæ,quas causas cognoscat.§.76. Eius Notarius seruet taxã Notariorũ Curiæ de Sabellis.§.77. Cursorum Papæ taxa quæ.§.78.Mandatariorũ aliarum Curiarũ taxa,quę. §.79: Baricellorum,& Custodum Carcerum taxa,quæ § 80. Et quæ eorum potestas circa fraudes artificum. §.81. Pœnæ Notariorum Consulum Assessorum, & Mandatariorum in prædictis contrauenientium,quæ. §.82. Prædicti à pauperibus nihil exigant. §.83. Contraria omnia remouet.

uet.§.84. Sanctionemq. pœnalem adiungit. §.85.

Schol. primum.

Quæro. Expensarum, in casu succumbentiæ, appellatione, de quibus in §.1. quæ impensæ veniunt?

RESP. Impensæ Aduocatorum, Procuratorum, Notariorum, Scribarum, & Actorum: Item impensæ itineris, & temporis, quo pars versatur extra domum, necnon cibariorum, & similium, de quibus latè scribit, relatis alijs, Thesaur. decis.67. per tot.

Schol. secundum.

Quæro. Succumbere forsan etiam diceturis, qui liti cesserit?

RESP. Ad effectum refectionis expensarum, opinionem affirmatiuam probat Bald. in auth. Contra qui propriam Cod. de non numer. pecun. num.3. & in l.4 Cod. de Pact. num.14. Ias. in l. Properandum, 11. Cod. de iudic. numer 2. vers. Extende. & Afin. in pract. iudic. §.32. ampliat. 2. & Rota in decis. Bellam.14.

L I X.

Edita Anno 1562.

CVm nuper nos generali, & infra pagina 84. *Item*. Cum nuper nostris, & infra pag.86. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reformat. Referendarios Papæ, super commissionibus proponendis, §.1. & 2. Præscriptarumque commissionum, moderatione, & reuocatione, §.3. Commissionibus quoq; appellationum, §.4 Nullitatum etiam, & attentatorum, §.5. Prorogationis fatalium, §.6. & in constit. subseq. §.1. Causarumq. criminalium, & matrimonialium, §.7. Decernit Iudices in causis nullitatum attentatorum, & restitutionis in integrum, terminum ad docen. de eis præfigere. §.8. Terminosq. substantiales reiterare, §.9. Et semel tantùm in causa taxationis expensarum appellare, §.10. Causas quoq; discussionis inter creditores, & hæredes debitoris intra menses tres, inter præsentes expediri, & inter absentes, citra montes infra tres. & vltra montes infra nouem, §.11. Hæredesq. debitoris an velint hæreditatem adire, præsentes, infra duos menses, absentes autem citra montes infra quatuor, vltra verò infra sex, inuentarium conficere debere. §.12. Et interim credita liquida, recepta cautione, exequen. esse. §.13. Et ita iubet, & non aliter iudicari, §.14. Derogationes apponit contrariorum, §.15. Sanctionemq. pœnalem, §.16.

Schol. primum.

Quæro. Fatalia, de quibus in §.6. cur ita noncupâtur?

RESP. Fatalia dicuntur tempora appellationum, quia mortem, pro qua fatum sumitur, appellationi inferunt, l.2. C. de tempor. in integr. restit. Bald. in l. fin. Cod. de tempor. appellat. num. 5. & latè Sigismund. Scacc. de Appellat. lib.3. cap.2. quæst.15. num.1.

Schol. secundum.

Quæro. Termini substantiales, de quibus in §.7. si non seruarentur, num sententia esset nulla cum in constit. hanc præcedente, §.13. solum tres nullitates attendendas hic idem Pont. decreuerit?

RESP. Erit nulla, ex defectu citationis necessariæ circa ea, quæ sunt de substantia iudicij, vt de se patet. & nouissime scribit Sallust. Tiber. in Pract. iudiciar. lib.2. cap.8. num. 7.

L X.

Edita Anno 1562.

HIs, quæ pro Religionis, & infra pagina 86. *Item*. Altitudo diuinæ prouidentiæ, & infra pag.87. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cosmus Medices Florentiæ, & Senarum Dux licentiam habuit ab isto Pont. sub die 1. Octobris 1561. aliquam Militiam ad instar aliarum instituendi, §.1. Is Militiam Equitum S. Stephani sub Regula S. Benedicti erexit, & condecentes prouentus assignauit, §.2. Charitatem, & coniugalem castitatem, obedientiáq. eos profiteri voluit, §.3. Statuta quoq; edidit, §.4. Hic Pont. dictam erectionem, & statuta approbat, §.5. Ipsum Cosmum, & alios pro tempore Florentiæ Duces, dictæ Militiæ Magnum Magistrû creat, cum priuilegijs, quibus alij Magni Magistri aliarum Militiarum vtuntur, §.6. Milites eximit à iurisdictione Ordinariorum, §.7. Facultatem retinen. & transferen. pẽsiones, vsque ad ducat. 200. eisdem concedit, §.2. subseq. constit. Et indultum disponendi de quoquomodo acquisitis, §.3. Milites presbyteros, beneficium vnû habere posse indulget, §.4. Milites ob inobseruantiam Regulæ, vt peccent, declarat, §.5. Eximit eosdem, à solutione decimarû, & aliorum onerum, §.6. Pensiones super beneficijs Militiæ, pro personis eius tantum, imponi posse decernit, §.7. Indulgentiam plenariam Militibus decedentibus in expeditione contra infideles, vel hæreticos elargitur, §.8.

Schol. primum.

Quæro. Quo primum tempore, hæc Militia à Pio nunc approbata, ab ipso Cosmo promota fuit?

RESP. Anno 1560. vt post Ald. Manut. in vita Cosmi, scripsit etiam Franciscus Mennens in Opere suo inscripto, *Deliciæ Equestrium, siue Militarium Ordinum*, pag. mihi 184.

Schol. secundum.

Quæro. Quare, & sub cuius Stephani denominatione instituta?

RESP. Papæ, ac Martyris. cuius festum agitur die 2. Augusti, vt habetur in Martyrolog. Baronij, ab istaq. Militia solemniter celebratur, Et ob maximam ea die partam à Cosmo victoriâ, illius Sancti nomini Militia dicata fuit, vt scribit Author præcit. licèt incuria forsan impressoris, dies tertia, pro secunda habeatur?

L X I.

Edita Anno ....

DVdum siquidem à fel. record. & infra pag. 89. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad tollendas controuersias, quæ oriri possent inter Auditores Rotæ Vrbis, super Decanatu vacaturo, decernit illum de cætero spectare ad Auditorem antiquiorem, occurrente vacatione, in Curia præsentem, aut ex causâ publica absentem, & extra Curiam à Papa destinatum, §.1. & 2. Contrarijsq. derogat, §.3.

Schol. primum.

Quæro. Quid si Auditor ex causa priuata accessisset ad Patriam, habita licentia à Papa? Nonnè habebitur pro præsente, iuxta decis. Put. 103. lib. 3. in vltimò impressis?

RESP. Hæc licentia facit per fictionem Auditorem præsentem, & in hac Bulla requiritur præsentia vera, vel Papæ destinatio extra Curiam ob causam publicam, vt liquet ex lectura text. in cap. Audientiam 15. de Cleric. non resid. cum ibi not. Barbat. optimè in cons.57. lib.1. num.3. Et ita fuit tentum, vacante per obitum R. P. D. Peniæ Auditores, Decanatu de Anno 1612. de Mense Augusti. Nam Paulus V. habito voto à quinque Cardinalibus, Decanum declarauit Reuerendiss. D. Coccinum tunc in Curia præsentem, quàmuis illum ad se spectare, assereret Reuerendiss. D. Sacratus antiquior Auditor, à Curia tamen die vacationis absens, cum licentia Papæ non tamen ob causam publicam.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si omnes Auditores promitterent, absuturum Auditorem in omnibus, & per omnia habiturum pro præsente?

RESP. Hæc promissio non suffragaretur. Quia Decanatus est constitutus propter publicam vtilitatem, l.1. §. huius studij, ff. de Iustit. & iur. Ius autem publicum nõ læditur pactis priuatorum, l. Ius publicum, 39. ff. de Pact. cum simil. & ita in d. causa Decanatus dictum fuit.

De

LXII.

Edita Anno 1562. **D**E commisso nobis vniuersalis Ecclesiæ regimine, & infra pagina 90. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reuocat Indulgentias, gratias, & priuilegia quibusuis pijs locis, & eorum Ministris concessa, facultatesque dispensandi, super impedimentis matrimonialibus, vel alijs quibuscunque defectibus, & irregularitatibus, & absoluendi, §. 1. & 2. Excipit priuilegia Fabricæ S. Petri, exequendi hæreditates, & relicta ad pias causas, & illa applicandi, & Commissarios, ac debitores dictæ Fabricæ ad redden. computa de administratis d. §. 2. Excipit etiam ea, quæ iam suũ sortita sunt effectum d. §. 2. Præcipit omnibus dictorum locorum personis, & Ministris, ne prædictis gratijs vtantur, §. 3. Aliter gerenda irritat d. §. 3. Obstantia remouet, §. 4. Fidemq; huius Bullæ transumptis credi mandat, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Data est forsan Episcopis post eiusmodi prohibitionem, facultas dispensandi in irregularitatibus, & suspensionibus?

R E S P. Concilium Tridentinum in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, Episcopos dispensare censuit sess. 24. c. 6. de Reform. de quo meminit Nauarr. in cons. 39. incipien. Aliàs fuit dubitatum in fine lib. 1. de Tempor. ordin. vbi inquit d. Concil. comprehendere etiam irregularitatem incursam, ob violationem suspensionis?

Schol. secundum.

Quæro. Cur credis exceptam esse dispensationem ab irregularitate orta ex homicidio voluntario, per Concilium supradictum?

R E S P. Quia ratò concedenda est, & à solo Papa, Syluest. in sua Summ. in verbo Homicidium. §. 3. q. 8. Nauar. in Manual. Confessor. cap. 27. num. 239.

LXIII.

Edita Anno 1562. **I**N eligendis Ecclesiarum Prælatis, & infra pagina 91. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro matura electione Summi Romani Pontificis, nonnulli Prædecessores prouidas constitutiones edixerunt, §. 1. Quibus addit hic Pontifex, quòd defuncto Papa, Cardinales præsentes, absentes expectent, & interim defuncti exequias per nouem dies peragant, §. 2. Exequiarum impensam, & modum præscribit, §. 2. Elapsis decem diebus, Cardinales præsentes celebrata Missa Spiritus Sancti, Conclaue ingrediantur, & in electionis negotio procedant, fiatque scrutinium singulis diebus, & in primo scrutinio accedere liceat, §. 3. Nolentes illud intrare, vel ingressi, si absque legitima causa exire voluerint, pœnam à Gregorio X. impositam in cap. 3. de Elect. in 6. incurrant, §. 4. Cardinales præsentes, absentia post decem dies aliorum non obstante, ad electionem procedant, §. 5. Sede vacante, quid Collegium facere possit declarat. §. 6. Cardinales tres, Capita ordinum, vnà cum Cardinali Camerario, reliquos congregãdi, necessitates proponendi, & Conclauis clausuram curandi facultatem habeãt per tres dies, eorumque loco tres alij sequentes in ordine, tertio quolibet quoque die cum eodẽ Camerario succedant, §. 8. Camerarius, & Pœnitentiarius, quid Sede vacante agere possint, declaratur. §. 9. & seq. Datarij officium, Papa defuncto omnino expiret. §. 11. Cardinalium, & Prælatorum Signaturæ Gratiæ, & Iustitiæ munus, Sede vacante quiescat, §. 12. Cellæ Conclauis sorte distribuantur. §. 13. Apud Conclaue commorari non liceat, §. 14. Conclaue, à Cardinalibus pro tempore deputatis, custodiatur. §. 15. Cardinales sani, duos familiares; infirmi autem tres in eo habere possint. §. 16. Familiarium qualitates præscribuntur. §. 17. Confessores, Medici, Chirurgi, & alij pro seruitio Conclauis existant. §. 18. Colloquium, Conclaui clauso, non permittatur ab extra, & ingressus coerceatur. §. 19. Literæq; & signa prohibentur, §. 20. Excommissæ super electione Papæ damnantur. §. 21. Cardinales in Conclaui vno ferculo sint contenti, §. 22. Prælati ad illius custodiam deputati diligenter se gerant. §. 23. Conclauistæ discedentes, vlterius non recipiantur, §. 24. Cardinalis in Diaconatus saltim Ordine non constitutus ad electionem nõ admittatur. §. 25. Cardinales circa electionem non admittatur, §. 25. Cardinales circa electionem multa aduertere debent. §. 26. Custodes Conclauis, omnia inuiolatè obseruent, §. 27. Cardinales nihil de hac constitutione immutent, sed omnia obseruari curent, §. 28. Prætextu quarumcumque censurarum, ab electione non excludantur. §. 29. Hæc, vbicumque Papa obierit, obseruentur, §. 30. Publiceturque ista Bulla, & omnes afficiat. §. 31. Sanctioque pœnalis adiungitur, §. 32.

Schol. primum.

Quæro. Cardinalium conuentiones in Conclaui factæ, nunquid necessariò sunt seruandæ per Pontificem postea creatum?

R E S P. Latè de hac materia scripsit Barbat. consil. 1. lib. 1. per totum, & concludit pro parte negatiua, quod etiamsi iuramentum interuenerit, verum esse in his, quæ præiudicant vtilitati Ecclesiasticæ, vel authoritati Summi Pontificis, probat tex. in cap. Sicut nostris 27. de Iureiur. vbi Panormit. & alij ita tenent: Et hanc opinionem veriorem affirmat in cap. 1. de Probat. num. 34. Berous, & Mandos. sup. Reg. Cancell. reg. 32. quæst. 5. nu. 8. Fallit tamen, si Papa illa iurauit, postquam creatus fuit Papa, vt post alios tenet Cardinalis Tusc. in vers. Papa conclus. 50. num. 23.

Schol. secundum.

Quæro. Sede ista vacante, currunt ne fatalia?

R E S P. Non in causis, in quibus Iudicis iurisdictio eo tempore quiescit, glos. & alij in clem. 2. §. 1. in verbo expirare de Election. & Rota in decis. Seraph. 362. nu. 2. Marches. de Commiss. par. 3. §. 1. nu. 121. in nouis fol. mihi 409.

LXIV.

DEcet Romanum Pontificem, & infra pagina 94. Bullarij. Edita Anno 1562.

COMPENDIVM.

Indulgentias, ac peccatorum remissiones ab isto Papa, & eius successoribus concessas, & concedendas, à quibusuis Rom. Cur. Officialibus, & Ministris gratis pro Deo (excepto salario registraturæ) expediri decernit, §. 1. Contrauenientibus pœnas infligit d. §. 1. Executores huius constitutionis Datarium, & Regen. Cancellariæ deputat, §. 2. Obstantibusque derogat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Hæc exactionis prohibitio, comprehendet forsan voluntariam oblationem?

R E S P. Non: Siquidem illa regula, quòd gratia Dei non venditur, sed donatur, de quo S. Chrysostom. in Marcum Homil. 13. & altera. *Quod gratis accepistis gratis date*, de qua Matth. cap. 10. quas regulas ad materiam Indulgentiarum tradit Leon. in Thesaur. For. Eccles. par. 4. cap. 2. num. 124. non applicantur in voluntaria oblatione tex. est clarus in cap. Quicquid 101. caus. 1. quæst. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Dispositio ista, comprehendit ne Indulgentias ab Episcopis, alijsque Prælatis elargitas?

R E S P. Non, quia specificè loquitur de concessis ab istomet Pont. & eius successoribus, vt in simili casu, scripsit Nauar. in suo Comm. de Iubil. & Indulg 20. notab. num. 12. in fine, Præter id, quod materia indulgentiarum strictè est interpretanda, & non extendenda Nauarr. cons. 9. lib. 5. de Priuileg. num. 1. in impressis Brixiæ Anno 1597.

LXV.

Edita Anno 1562.

ET si per diversos Romanos Pontifices, & infra pag.95. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pontifices Prædecessores, Collegio Deputatorum Fabricæ S.Petri de Vrbe dederunt privilegium, vt debitæ executioni demandari faciant, testaméta, & legata ad pias causas facta; Sed accidit, quòd hæredes non curant illa testamenta aperiri, & dispositiones testatorum exequi, §.1. Hic ideo Pont. eidem Collegio dat facultatem, cogendi, cùm inuocatione brachij sæcularis, & appellatione remota, quoscunque Notarios de testamentis in quibus legata pia continentur, rogatos, ad illa post annum à die obitus testatoris aperiendum, Commissarijsq; dictæ Fabricæ ostendendum, & exemplar in forma authentica (soluta eis debita mercede iuxta formam priuilegiorum dictæ Fabricæ) traden. §.1. & 2. Decernitq. ita, & non aliàs iudicari, §.3. Et contraria non obstare, §.4.

Scholium primum.

Quæro. Inuocatio brachij sæcularis, de qua in §.2. est ne subsidiaria?

RESP. Ita sanè, debet etenim Ecclesiasticus Iudex, militantis Ecclesiæ armis, quæ fulmina sunt prius vti, & deinde ad brachij sæcularis auxilium confugere, quia est vltimum remedium, alijs deficientibus implorandum, vt bene practicus Vestr. docet in sua Pract. Rom.Cur. lib.8. cap.vii. nu.5. vers.Episcopus, & Marchesan. de Commiss. par.1.cap.5.num.237.in penult.impressione. Sed hæc quæ de iure dicta sunt, intellige omnino iuxta Decretum Concil.Trident. sess.25.cap.3. de Reformat.

Schol.secundum.

Quæro. Num Iudex laicus ab Ecclesiastico requisitus, dictum auxilium denegare poterit?

RESP. Non, quinimmò Ecclesiasticus illum compellere valet, sub vinculo executionis, iuxta communem DD. sententiam, de qua testatur Alciat. in cap.1.de Offic. Ordinar.nu.123. & sequitur Grauat. ad Vestr. vbi sup.nu.40.

LXVI.

Edita Anno 1563.

ONerosum supremi, & infra pagina 95. Bullarij.

COMPENDIVM.

Odettus à Castellione S.R.E. Cardinalis Hugonothorum hæresim secutus est, §.1. Cuius rei verificatio S.R.E. Cardinalibus hæreticæ prauitatis Inquisitoribus generalibus in Rom.Cur. deputatis, ab isto Pont. delegata fuit, vt se de præmissis informarent, & sibi relationem darent, §.2. Qua relatione data, citatus ille vsque ad sententiam fuit, §.3. Et successiuè ab isto Pont. excommunicatus, & hereticus declaratus, omnibusq; bonis, & dignitatibus de voto eorumdem Cardinalium priuatus extitit, §.4. Sanctioq. pœnalis adijcitur §.5.

Schol. primum.

Quæro. Quo genere ortus, & à quo Romano Pont. ad Cardinalium euectus fuit hic Odettus?

RESP. Ex gente Colonia seu Colignia Marescallij Castellionis filius. Anno 1523. 1.Februarij natus, Episcopus Beluacen. Diaconus Cardinalis Tit. SS.Sergij, & Bacchi, & postea S.Adriani à Clemente VII. Pontifice Maximo creatus fuit, vt scribit Ciacon. de Vitis, & Gest Pontif. in vita dicti Clementis pag. mihi 1103. & in vita huius Pij pag. 1198. in fine.

Schol.secundum.

Quæro. Cur potius hæc sententia contra Odettum ab isto Pont. creditur promulgata, quàm à Cardd. S.R.E. Inquisitoribus, de quibus in §.?

RESP. Fortasse quia solus Papa deponit, & excommunicat Cardinales, glos.1. & cæteri Scribb. in capit.2. de Cleric.non resid. & notat Martin. Lauden. in suo Tract. de Cardinal.q.44. Quòd verius dignoscitur ex contextu constitutionis subseq.

LXVII.

ROmanus Pontifex, & infra pagina 97. Bullarij.

Edita Anno 1563.

COMPENDIVM.

Dat facultatem S.R.E. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquisitoribus in Vrbe residentibus contra quoscunque etiam Episcopali, aut alia quacunque etiam Cardinalatus authoritate præditos, hæreticos, eorumque fautores de eiusmodi crimine diffamatos, certa seruata forma, procedendi. & ipsi Papæ, vt ad sententiam deuenire possit, in Consistorio secreto referendi, §.1. & 2. Et ita, non aliter iudicari præcipit, §.3. Obstantiaque reijcit, §.4. Sanctionemq. pœnalem subdit, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Sicuti Papa est Iudex in crimine hæresis contra Cardinales, vt in §.2. Nunquid, & illi sunt Iudices contra Papam?

RESP. Non, sed solummodo Concilium generale, vt expressè loquitur cap. Concilia, §. Hinc etiam Dist.17. & tradit Archidiac. in cap. In fidei, 5. de Heretic. in 6.

Schol. secundum.

Quæro. Ad proban. diffamationem ad effectum inquirendi, vt in §.2. oum duorum grauium virorum testimonium sufficit?

RESP. Hoc est certissimum, & ita habetur apud Eymeric. in Director. Inquisit. par.2. quæst.57. & Comment. Pegnæ 81. & Locat. in Prax. Iudic. Inquisit. in verbo Diffamatus pag. mihi 89.

LXVIII.

CVm sicut accepimus, & infra pagina 97. Bullarij.

Edita Anno 1563.

COMPENDIVM.

Cardinalem Protectorem Hospitalis, ac Confraternitatis S.Hieronymi Illyricorum de Vrbe, deputat Iudicem caussarum ciuilium, criminalium, & mixtarum dd. Hospitalis, Confraternitatis, tàm actiuè, quàm passiuè interesse concernentium, in statu, & terminis, in quibus reperiuntur, & dummodo instructæ non sint, §.1. Facultatesq. summariè, &c. procedendi concedit, §.2. Clausulas huius induIti præseruatiuas subdit, §.7. Derogatoriasq. §.4.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore hoc Hospitale erectum dicitur?

RESP. Anno 1453. Sedente Nicolao V. Hospitale promotum, & sub Pontificatu Sixti IIII. constructum fuisse, inquit Camill. Phanuc. in suo Opusculo de Pijs Operib. Vrb. lib.1. cap.26. Et ab eius Confraternitate illud regi, & pia opera per ipsam exerceri lib.4. cap.6. recenset.

Schol.secundum.

Quæro. Et à quo promotum?

RESP. A quodam Hieronymo de Potinia, & alijs pauperibus Eremitis, Dalmatæ, & Sclauoniæ Nationum in Alma Vrbe degentium, ita perlegi in authentico diplomate Nicolai V. ipso eodem Anno 1453. 11. Calen. Maij obsignato, quod in Bibliotheca Genitoris mei asseruatur.

LXIX.

SAcri Apostolatus ministerio, & infra pagina 99. Bullarij.

Edita Anno 1564.

COMPENDIVM.

Studium Bononiense commendat, §.1. Rectori plenam iurisdictionem tradit, regendi Vniuersitatem dicti Stu-

Studij, §.2. Eidem dat priuilegium, quòd de aliqua Prætoria, vel Gubernio prouideatur, eius officio expleto, §.3. Confirmat omnia priuilegia, ac Statuta dicti Studij, §.4. Clausulas præseruatiuas apponit, §.5. Executores deputat, §.6. Clausulas derogatorias subnectit, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Clerici studentes Bononiæ, percipere possunt fructus suorum beneficiorum ?

RESP. Possunt ex speciali indulto Romani Pontificis, vt inquit Anchar. in conf. 17. Quod indultum elargitus est Studio Bononiæ Clemens, & renouauit Ioan. 22. vt scribit Feder. de Sen. conf. 195. nu. 2. Quem Clementem, nomine V. fuisse inquit Tuscul. in litera B, conclus. 120. num. 45.

Schol. secundum.

Quæro. Est ne verum, quòd Scholares Bononiæ renunciarunt priuilegio fori in criminalibus, quo gaudent Studia generalia ?

RESP. Glos. in auth. Habita Cod. Ne fil. pro patr. tenet fuisse renunciatum, & Oldrad. ibid. dicit, id fuisse tempore Azonis: Verùmtamen Scholares reintegratos, inquit Albertic. in d. auth. sub num. 2. vbi seriem facti recenset.

L X X.

Edita Anno 1563.

IN eminenti dignitatis, & infra pagina 100. Bullar.

COMPENDIVM.

Ordo Monachorum Cisterciensium iam diù vitæ sanctitate floruit, sed paulatim ab ea recessit, §.1. Cuius reformatio tunc haberi proponitur Papæ, cum antiquum eorū institutum, & ritus renouetur, amotis quibuscumque indultis in contrarium extortis, ab ipsius Ordinis Superioribus, §.2. Quæ propterea hic Pont. reuocat, §.3. Abbatemq. & alios superiores, omnia Ordinis loca visitare, & corrigere posse, iubet, §.4. Priuilegia huiusmodi Episcopis concessa, quatenus impediat Abbatis, & Superiorum Ordinis visitationem, irritat, § 5. Omnibus ne illum perturbent præcipit, §.6. Monasterijs vt Abbatem, & Superiores recipiant iubet, §.7. Priuilegia Ordinis, cuncta approbat, §.8. Statutaq. eiusdem, §.9. Priuilegia prædicta innouat, §.10. In Monasterijs commodatis personis extra Ordinem, maodat institui mensam Conuentualem sufficientem pro Monachis, §.11. Religiosos alios ibi intrusos eijci, vel in Ordine profiteri iubet, § 12. Vniones, dismembrationes, & suspensiones Monasteriorum prohibet, §.13. Monachos degentes in Monasterijs, alijs pijs locis vnitis, sub correctione Superiorum huius Ordinis remanere decernit, §.14. Moniales alterius Ordinis quando recipi possint in Abbatissas huius Ordinis, declarat, §.15. Monasteria omnia ad contributiones soluen. Abbati, & Capitulo teneri mandat, §.16. Clausulas huius constitutionis præseruatiuas apponit, §.17. Decretum irritans subijcit, §.18. Contrarijs omnibus derogat, §.19. Transumptis credi iubet, §.20.

Schol. primum.

Quæro. Vnde est, quòd priuilegia ab Ordinis Superioribus extorta, hic Pont. reuocauit, vt in §.2. & 3. ?

RESP. Quia hæc priuilegia obseruantiæ ipsius Ordinis, erant valdè obnoxia, Vnde, illis reuocatis, Romani Pont. reformationi adhæserunt, vt in similibus tradit Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 1. quæst. 1. art. 9.

Schol. secundum.

Quæro. Superiorum ergo Ordinis vitio, ipse ruit ?

RESPON. Patritius lib. 1. de Reg. tit. 3. ex Xenophontis dicto inquit, Omnes Societates vitio eorum ruere, qui illis præsint, nam si rectè gubernarentur, perpetuæ omnino, & etiam immortales essent.

L X X I.

Edita Anno 1563.

CVm sicut non sine animi nostri, & infra pagina 102. Bullar.

COMPENDIVM.

Caupones, & Albergatores in Vrbe, decernit de rebus in eorū locis per aduenas, hospites, & Albergatarios quoquomodo furto subtractis, non teneri, nisi isti ea illis consignauerint, §.1. Dummodo caupones, & Albergatores, in eorum ingressu aduenis, hospitibus, & Albergatarijs hoc notificent, §.2. Confirmat priuilegia Societati dictorum Cauponum, & Albergatorum concessa, §.2. Et statuta sacris Canonibus non contraria condendi, facultatem tribuit, §.3. Clausulam, Sublata, &c. apponit, §.4. Derogatorias quoque, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Num ista dispositio, §.1. nouum ius inducit ?

RESP. Non, quia Vlpianus iam decreuerat, Caupones & Stabularios teneri de eo, quod saluum fore receperant in l. 1. ff. Naut. Caupon. & Stabul. Quoniam recipiendo, custodiæ periculum subeunt, vt Vlpian. subdit in l. 1. ff. Furti. Adnetf. Naut. Vnde videbatur è contra decisum, quòd de non receptis, non tenebantur. Recipere autem tunc dicitur, cùm sciente Caupone bona Viatoris fuerunt in stabulo, vel in Caupona reposita, Alexan. in addit. ad Bart. in l. 1. § Recipit, ff. Naui. Caupon. & Stabul. Alber. in rubr. eod. tit. num. 6. Plot. de in lit. iur. §.10. nu. 12. Caball. casu 70. sub num. 5.

Schol. secundum.

Quæro. Addita modo Pij declaratione in d. §.1. quòd Caupones, & Albergatores teneantur protestari, quòd de non receptis nolunt teneri, quid dicen. si tacitè receperint ?

RESP. Credo quòd hæc tacita receptio non prætiudicet, sed necessaria sit expressa consignatio, quam requirit ipsa protestatio l. 1. fin. §. Item si prædixerit, ff. Naut. Caup. & tabul. glos. in l. a. ff. eod. tit. & Caball. vbi supra num. 9. & 10.

LXXII.

Edita Anno ....

LIcet fel. rec. Paulus Papa III. & infra pagina 103. Bullar.

COMPENDIVM.

Narrat, Paulum III. quandam constitutionem super reuocatione exemptionum à solutione Dohanæ Vrbis edidisse, & nihilominus nouas desuper difficultates ortas fuisse, in proœm. Reuocat propterea omnes exemptiones, præter expressas in Capitulis Dohanæ, §.1. Et pijs locis, vel ob numerum duodecim filiorum concessas, quousque in communi viuunt, & in Vrbe continuò degerint, & pro rebus dumtaxat, quas aliundè (excepto vino, quod in Ripa sibi comparauerint) ad Vrbem ipsimet proprio vsu tantū conuehi facient d. §.1. Declarat si aliquis ex illis fratribus, ob Prælaturā, vel ob aliam causam, numerum familiæ suæ augeat exemptio remaneat iuxta numerum personarum, quę erāt tępore impetratæ immunitatis, §.2. Pro alijs personis, & in cæteris rebus alias exęptiones reuocat, §.1. & 2.

Schol. primum.

Quæro. Hæc exemptio nūm locum habebit in bonis conuehi ceptis tantum, tempore obitus aliquot ex eis ?

RESP. Bald. in conf. 117. lib. 1. sub num. 1. vers. secundo casu, inquit, quòd durat immunitas, quia inspectio initio incepit habere vim suam arg. l. Incola 29. ff. ad Municipal. cui adhæret Ripa in l. Ex facto 43. ff. de Vulgar. & pupill, substit. num. 18.

Schol. secundum.

Quæro. Si quis ex dictis filijs ingressus sit Religionem dicitur ne mortuus, vt cesset hæc immunitas ?

RESP. Egregiè Ripa in loco cit. num. 9. defendit opinionem negatiuam, quam relatis alijs tenet Io. Franc. de Ponte conf. 16. nu. 21. & eis libenter assentirem, nisi repugnarent illa verba §.1. *in communi viuant.*

Be-

LXXIII.

BEnedictus Deus, & infra pagina 104. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum indictum fuit à Paul. 3. in sua constit. 33. de qua sup. pagina 127. tom. 1. & deinde à Iulio III. §. 5. Quòd hic Pius in sua constit. 23. de qua sup. pagina 7. prosequi instit, §. 2. Deoq. dante perfectum fuit, & iussu huius Pont. persolutæ Deo laudes fuerunt d. §. 2. Ipsaq. Synodus huius Papæ confirmationem petijt, §. 2. Et ipse in Consistorio secreto comprobauit d. §. 2. Et modo ab omnibus præcipit obseruari, §. 3. Imperatorem, Reges, & Principes, ad eius obseruantiam hortatur, §. 4. Prohibetq. edi commentaria super interpretatione illius §. 5. Declarationem eiusmodi sibi reseruat, §. 6. Et ita, & non aliter iudicari, mandat, §. 7. Hanc constitutionem in Vrbe publicari iubet, §. 8. Transumptis eiusdem credi decernit, §. 9. Sanctionemq. pœnalem adiungit, §. 10.

Edita Anno 1564.

Schol. primum.

Quæro. Huic Concilio censetur ne Papa derogasse, speciali de eo non facta mentione?

RESP. Quamuis quoad alia Concilia necessaria sit specialis derogatio; secus tamen est quoad Tridentinum, cum in cap. fin. sess. 25. expressè disponatur quòd omnia illius decreta intelliguntur facta, salua Sedis Apostolicæ auctoritate, qua Papa vtendo, non videtur aliquid contra illud facere, & sic illi specifice derogare nō est opus, vt censuit Rota in decis. Pamphilij in vna S. Angeli Pensionis 16. Decemb. 1594. & in alia R.P.D. mei Manzanedi in vna Bononien. Prioratus 9. Iunij 1606. Et de stylo Curiæ testatur Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 3. quæst. 39. artic. 4. pag. mihi 119. & Gonzal. de Mensibus, & Alternat. glos. 6. num. 120.

Schol. secundum.

Quæro. Num Episcopus, vel Legatus, contra eiusmodi generale Concilium dispensare valet?

RESP. Soli Papæ id licet, glos. penult. in cap. Dilectus 19. de Præbend. & ita communiter tenetur teste Nauar. in relect. cap. 5. de Rescript. in except. 16. num. 9. Et patet expressè ex eo, quod solummodo huius Concilij interpretatio à Papa, speciali S.R.E. Cardinalium Congregationi data fuit, vt dicetur infra in const. 74. Six. V. in Congr. 8.

LXXIIII.

ROmanus Pontifex, & infra pagina 105. Bullarij.

COMPENDIVM.

Edita Anno 1564.

Græcorum priuilegia quæcumque reuocat à Sede Apostolica concessa, ad hoc, vt locorum Ordinarij, eos, eorūq. Ecclesias, & Prælatos cuiuscumque dignitatis sint, ac Monasteria, & alia pia loca sæcularia, & cuiuscumque Ordinis regularia, in suis Diœcesibus consistentia visitare, ac in illis ordinariam iurisdictionem, & omnimodam superioritatem in his, quæ Dei cultum, Sacramentorum administrationem, animarum salutem, hæresumq. extirpationem concernunt, exercere, & liberè exequi possint, §. 1. & 2. Reliqua Græcorum, in diuinis celebrandis, alijsq. ritibus à Sede Apostolica approbatis indulta, intacta remanere declarat d. §. 2. Et ita, & non aliter iudicari præcipit, §. 3. Obstantiaq. remouet, §. 4. Sed per hæc non intendit Græcos à Græcanico ritu distrahi, vel aliàs per locorum Ordinarios, aut alios impediri, §. 5. Huiusq. constitutionis transumptis fidem dari indulget, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Quid olim statutum est ad animarum salutem retinendam, de qua in §. 1. circa prauos Græcorum vsus?

RESP. Multa quidem: Sed pro nunc vide nonnulla, quæ diffiniuit Cælestinus III. in cap. 9. & 11. de Temporibus Ordinat. & Innoc. III. in cap. fin. de Baptis. vbi Panormit. & antiquiores fusè de his locuti fuerunt, & meminit Pegna in Director. Inquis. par. 2. Comment. 43. vers. quanta verò.

Schol. secundum.

Quæro. Ritus, de quo fit mentio in §. 2. quid est, & in quo differt à consuetudine, stylo, & similibus?

RESP. Ritus propriè est quædam consuetudo in modo ordinandi, vel exercēdo alio actu, solemnitatem actui præbens, cap. fin. de Consecrat. Panormit. ad nostrum propositum Græcorum in cap. 9. de Tempor. Ordinat. nu. 1. Et quid differat à stylo, & similibus, fusè ostendit Rotch. de Curte in rubr. de Consuet. quæst. 4.

LXXV.

SEdis Apostolicæ prouidentia, & infra pag. 106. Bullar.

COMPENDIVM.

Lis orta fuit inter Canonicos Regulares S. Augustini Congregationis Lateranensis ex vna, & Monachos S. Benedicti Congregationis Cassinen. partibus ex altera super eorum præcedentia, quam audiendam, & sibi referendam tribus Cardinalibus hic Pōt. delegauit, §. 1. & 2. Et illi præcedentiam deberi prædictis Canonicis retulerunt, §. 3. Pōtifex ideò sententiam eis fauorabilem promulgauit, dicens, Canonicos, & Prælatos Lateranen. conuentualiter in processionibus, & alijs locis publicis, & priuatis incedentes, præcedere debere Monachos, & Prælatos Congregationis Cassinensis, §. 4. Abbates autem dictarum Congregationum singulariter in Concilijs generalibus, & alijs actibus publicis, & priuatis, inter se iuxta singulorum antiquiorem promotionem, & Abbatiam præferri debere, §. 5. Et modò supplet omnes dictæ sententiæ defectus, si qui sunt. §. 6. Clausulas huius sanctionis præseruatiuas apponit, §. 7. Executores eiusdem eligit, §. 8. Obstantibus derogat, §. 9. Transumptisq. fidem dari decernit, §. 10. Tenor deinde dictæ sententiæ subsequitur.

Edita Anno 1564.

Schol. primum.

Quæro. Cur hi Canonici intitulantur S. Augustini?

RESP. Eo, quod (ni fallor) S. Augustinus cum Sociis suis Hippone annos circiter 40. secundum regulam ipsorum Canonicorum Regularium vixit, vt ex Possidonio, & alijs, sic eum vixisse tradit Nauar. Comment. 4. de Regular. num. 9.

Schol. secundum.

Quæro. Nunquid arctior est eiusmodi Ordo Canonicorum, quàm Monachorum?

RESP. Arctior videtur eo, quod, etsi vtrique fuerint instituti ad vitam contemplatiuam: Canonici tamen instituti fuerunt ad contemplatiuā circa mysteria Ecclesiastica publica: Monachi verò ad contemplatiuam priuatam, vt ex S. Thom. inquit Nauar. vbi supra num. 1. vers. Quarto.

LXXVI.

CVm pro munere, & infra pagina 108. Bullarij.

COMPENDIVM.

Edita Anno 1564.

Reuocat quascumque facultates, habendi libros Lutheranos, aut aliorum hæreticorum, vel de hæresi suspectos, præterquam Commissarijs, vel Inquisitoribus hæreticæ prauitatis concessas, §. 1. & 2. Prohibet eiusmodi libros prohibitos, aut in posterum prohibendos, legi, vel haberi, §. 3. Monet Impressores Bibliopolas, & alios omnes, eiusmodi libros Inquisitoribus locorum consignare debere, §. 4. Obstantia remouet, §. 5. Hanc constitutionem publicari mandat, §. 6. Eiusdem transumptis fidem dari præcipit, §. 7.

Schol.

Schol. primum.

Quaero. Num etiam Iudaei, Infidelibus, Gentilibus, seu Paganis, horum librorum lectio esset permittenda?

RESP. Non, in Terris Catholicorum, vbi eiusmodi commorantur personae, permittenda est lectio librorum prohibitorum, quibus eorum impietas, vel foueretur, vel augeretur, vel conuersio retardaretur, aut de Christiana fide confutanda, vel de erroribus in eam inuehen. tractaretur, alijsque quomodolibet prohibitis. Hæc scribit Pegna in Director. Inquisit. par. 2. Comment. 3. propè finem pag. 94.

Schol. secundum.

Quaero. Si quis libros non consignaret Inquisitoribus, vt dicitur in §. 4. sed combureret, quid dicen.?

RESPON. Pœna dignus videtur, ob spretum Pontificis præceptum huiusmodi, quod libros Inquisitoribus cõsignet, Præter id, quod sicut ex illa librorum traditione clarum oriretur obedientiæ, & fidei testimonium apud Inquisitores, vt aduertit Vmbert. Locat. in Prax. Iudiciar. Inquis. in verbo Libri, loquens de simili Pauli IIII. præcepto, ita è contra Inquisitores ex dicta combustione, si libri traditi fuerint alicuius hæretici, damnari poterunt, & similia defetentes interrogare, vnde habuerint, ita notat Pegna, vbi supra vers. Præterea, & seq. pag. mihi 91.

LXXVII.

Edita Anno 1564.

Dominici gregis, & infra pagina 106. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quoniam libri Hæreticorum, ne dum simplices, sed etiam literatos viros corrumpunt, Concilium Tridentinum Prelatos delegit ad constituen. Indicem librorum prohibitorum. §. 1. & 2. Quem postea perfectum, hic Pont. approbat. §. 3. Illosqoè legi, & retineri prohibet. §. 4. Contrarijs derogat. §. 5. Publicationem huius Bullæ subdit. §. 6. Eiusque transumptis credi. §. 7.

Schol. primum.

Quaero. Prohibitio, de qua in §. 4. comprehendit etiam libros non impressos?

RESPON. Proculdubio, quia adhuc libri sunt, & in eis militat eadem ratio prohibitionis, ita tenet Batth. Vgolin. in tract. de Censor. Rom. Pont. referu. par. 2. vers. Ac eorumdem librorum. 1. vers. quarto, & refert Farinac. quæst. 180. num. 30.

Schol. secundum.

Quaero. Et quid de libris Catholicorum, cum Scholijs vel adnotationibus hæreticorum?

RESP. Eadem sententia tenenda est, ob identitatem rationis periculi, ita aduertit Iacob. Graff. lib. 4. suar. decis. cap. 18. num. 43. de quo meminit Farinac. vbi supra num. 50. in fine.

LXXVIII.

Edita Anno 1564.

Iniunctum nobis, & infra pagina 110. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confraternitas sub inuocatione Sanctissimi Nominis IESV, & in Burgensi, & pluribus alijs Hispaniarum locis instituta fuit, vt Confratres potissimum curarent, ne ipsi, vel alij, coram eis aliquo modo, nisi ob grauissimam causam iurarent, & contrafacientes modestè admonerentur: Vnde blasphemiæ, periuria, & alia illicita iuramenta, commodè prohibebantur, §. 1. Eam ideo hic Pont. approbat, & plenarias Indulgentias elargitur. §. 2. & seqq. Ordinariosque monet, vt eiusmodi Confraternitati faueant, illamque promoueant, §. 7.

Schol. primum.

Quaero. Confraternitatum institutio, ad quos actus regulariter censetur ordinata?

RESP. Aliæ ordinatæ dicuntur ad misericordiæ, & pietatis opera; Aliæ ad actus disciplinæ in vigilijs, peregrinationibus, ieiunijs, & similibus; Aliæ ad vitam contemplatiuam, vt puta in orationibus; Aliæ verò (vt hæc nostra) ad actus charitatis, vt enarrat Petr. de Vbald. in suo tract. de Canon. Episcop. quæst. 14 princip. sub num. 1.

Schol. secundum.

Quaero. Ad canen. blasphemias, quæ hi Confratres possint commodè proponere remedia?

RESPON. Nonem luculenter congerit, comprobatque anthoritatibus, & rationibus, Ioan. Busæus in sua Summa Remedior. spirit. in verb. Blasphemia, quæ potius integrà egent lectione, quàm breui Scholio comprehendi possint, Ea igitur ab ipso perlegas.

LXXIX.

Edita Anno 1564.

Cvm nos per nostrum, & infra pagina 111. Bullarij.

COMPENDIVM.

Declarat, quòd quicquid maior pars Cardinalium Congregationis Sanctiss. Inquisitionis, qui in ea interuenerint, seu conuenerint, de cætero decreuerit, validum sit, perinde ac si omnes Cardinales in dicta Congregatione conuenissent, & maior pars consensisset, §. 1. & 2. Omnimodam potestatem prædictis Cardinalibus per Summos Pontifices attributam comprobat. §. 3. Contrarijs non obstantibus quibuscunque, §. 4.

Schol. primum.

Quaero. Horum generalium Inquisitorum simpliciter sic delegatorum officium, expirat ne morte Papæ delegantis?

RESPON. Non, sic etenim fauore fidei, etiam quantùm ad ea, quæ nequaquam emeserant, censuit Clem. IV. in cap. Ne aliqui 10. de Hæretic. in 6. Canon. ibid. id communiter affirmant, & Nicol. Arelatens. de Hæretic. notab. 4. Simanc. de Catholic. institut. titul. 34. numer. 14. Ioann. Azor. Instit. Moral. par. 1. lib. 8. cap. 18. quæst. 7. & Pegna in Director. Inquisitor. part. 3. Comment. 56.

Schol. secundum.

Quaero. Nunquid ijdem Inquisitores, contra Episcopos inquirere valent, vt ex constit. Pij V. sic diffinitum dicitur?

RESP. Possunt quidem ex prima præced. huius Pij IIII. constit. 67. de qua supra pagina 20. vt iam vidimus. Quamuis Pegna in Director. illam Pio V. attribuerit errore impressoris, quem non aduertit, & Pegnam simpliciter sequitur Farinac. quæst. 186. num. 123.

LXXX.

Edita Anno 1564.

Sicut ad sacrorum, & infra pagina 111. Bullarij.

COMPENDIVM.

Dubitarunt aliqui, ex quo tempore decreta Concilij Tridentini ad reformationem, & ius positiuum spectantia cœperint eos, ad quos pertinent, obligare. §. 1. Hic Pont. dictum Concilium, quamuis ab eo in fine Mensis Ianuarij confirmatum fuerit, quia tamen non parum temporis Romæ in illo emendatè imprimendo consumptum fuit, & de iure communi non nisi post certum tempus, nouæ constitutiones vim habent, propterea à die 1. Men. Maij proximè præteriti, omnes obligare cœpisse declarat, hac die 18. Iunij 1564. §. 2. & 3. Contrarijs derogat. §. 4. Sanctionem pœnalem adiungit. §. 5.

Schol. primum.

Quaero. Quod est tempus à iure communi, de quo in §. 2. requisitum, vt noua Constitutio robur fortiatur?

RESP. Duorum mensium, post earum publicationem, vt cauetur in auth. Vt nouæ fact. constitut. vbi omnes vno ore id affirmant, & post alios Gabr. de Legib. conclus. 4. num. 8. vbi de magis communi opinione testatur.

Schol.

Schol. secundum.

Quæro. Cur hoc temporis spatium omnibus indistinctè iure illo conceditur?

RESPON. Ne istos lex nous liget, ante illos, tollaturq; rixa, contentio, & imparitas subditorum, dum alij, ante alios ligatentur, vt ad nostrum propositum, post Paul. de Leaz. in proem. Clement. §. Nunc igitur sub nu. 41. tradit Nauar. in conf. 1. de Constitut. num. 17. vbi aliter de stylo Vrbis subdit obseruari, post nouæ legis publicationem.

LXXXI.

Edita Anno 1564.

ALias nonnullas constitutiones, & infra pag. 112. Bullarij.

COMPENDIVM.

Multas refert edidisse sanctiones pro reformatione Officialium Rom. Cur. quas, & etiam decreta Concilij Tridentini, vt obseruentur, deputat nonnullos S. R. E. Cardinales dicti Concilij, & dictarum Reformationum executores, cum facultate contrauenientes coercendi, etiam sub pœna executionis istæ sententiæ, & priuationis officio rum, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, § 1. Sibi tamē reseruat declarationem dubiorum, si quæ super illis emerserint d. §. 1. & 2. Contrarijsq; derogat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quomodo se gerere debent hi executores Reformationum circa censuras Ecclesiasticas?

RESPON. Formam præscripsit Concilium Trident. sess. 25. cap. 3. de Reformat. quam obseruandam puto.

Schol. secundum.

Quæro. Isti executores potuissent ne brachium sæculare inuocare, si in § 1. eiusmodi facultatem eis hic Pont. non dedisset?

RESP. Non, quia vt hactenus dixi, isti sunt Iudices delegati, qui eam non habent, quam Papa non tribuit potestatem, vt notat post Archid. quem allegat Feder. de Sen. cons. 251. nu. 4. vbi sic de stylo Curiæ obseruari subiungit.

LXXXII.

Edita Anno 1564.

CVm inter crimina, & infra pagina 112. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciat, se nonnullos S. R. E. Cardinales iam Inquisitores super hæretica prauitate deputasse, multisque respectibus indigere eos librorum hæreticorum, & aliàs prohibitorum lectione, retentione, & facultate eos retinendi licentiam alijs dare, id tamen facere non audere, stantibus Indice librorum prohibitorum & alijs Bullis 76. & 77. de quibus supra proximè pagina 22. & 23. §. 2. Huiusmodi ideò facultates eisdem Inquisitoribus elargitur, §. 3. & 4. Cæteris autem retentionem, & vsum, ac lectionem dictorum librorum absque Inquisitorum licentia, interdicit d. §. 3. Contrarijsq; non obstare decernit, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Num legere licet, Catholicorum libros continentes errores hæreticorum, ad eos confutandos?

RESP. Minimè nisi verè pro eiusmodi errorum confutatione legantur, quia cessat tunc ratio prohibitionis Ioan. Azor. par. 1. Instit. Moral. lib. 8. cap. 16. quæst. 2. vbi allegat Nauar. in Manual. cap. 27. num. 56. loquentem de non absimili prohibitione, de qua in Bulla Cœnæ Domini. Quod videtur intelligendum, quando confutatio errorum reperitur scripta in eisdem libris Catholicorum, & non aliàs, per ea, quæ notat Pegna in Director. Inquisitor. par. 2. Comment. 4. vers. Iam ex hoc.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si oculis illos libros inspexerit, sed ore non expresserit?

RESP. Legere dicitur, qui scripturam inspicit, l. a. §. Inspectio, ff. quemad. testament. aperian. & l. 1. §. legi. ff. de his, quæ in testam. delent. & tradit Graff. lib. 4. Suar. decis. in expositione Bullæ Cœnæ Domini cap. 1. num. 45. cui adhæret Vgolin. de Censur. par. 2. §. Ac eorundem librorum vers. Decimo. fol. mihi 88.

LXXXIII.

SVperna prouidentia, & infra pag. 113. Item, Continua mentem nostram, & infra pagina 118. Bullarij.

Edita Anno 1564. & 1565.

COMPENDIVM.

Quoniam Pauli IIII. constitutio 10. de qua supra pag. 140. tom. 1. edita super Cancellarijs Stat. Eccles. malè obseruatur, ideò hic Pont. iterum reuocat quascumque concessiones ex causa non onerosa de eis factas, §. 1. 2. & 5. Innouat d. const. Paul. IIII. §. 4. & 5. Cancellarios, statim publicos Notarios creatos esse decernit, §. 6. Originarios, & exteros, Cancellarias emere posse indulget, §. 7. & 15. Occupantesq; eas, inde expelli iubet, §. 9. Thesaurarium ad explicationem dubiorum & cognitionem litium super his Cancellarijs deputat § 10. Facultatem disponendi de dictis Cancellarijs omnibus Officialibus aufert, præterquàm eius Thesaurario, §. 11. & seq. Eas per triennium non vacare decernit, §. 13. Cancellarijs facultatem quæcumque a ?a, & instrumenta rogandi, tribuit. §. 14. Easdem ordinationes has, & etiam Pauli IIII. taxasque obseruare iubet. §. 17. Confirmat eisdem indulta Paul. IIII. §. 18. Contributiones prohibet. § 19. Auditorem Cameræ eorum Iudicem deputat §. 22. & 23. Alienationes earum, si Camera vltra dimidium læsa sit, irritat. §. 24. Instantibus Cancellarijs inquirere de facultatibus aliorum Notariorum præcipit. §. 27. Scripturarum reconsignationis formam præscribit. §. 25. & 28. Causarumque distributionis. §. 29. Muneris quoque, & extractionis Mensarij. §. 30. Cancellarios in scripturis Archiuiorum se intromittere prohibet, §. 31. Arrham dantes eis pro scripturis, ad reluitionem cogi mandat. § 33. Cancellariorum officia non nisi pro læsæ maiestatis, falsitatis, & homicidij criminibus confiscari indulget, §. 36. Societates officiorum desuper creari permittit § 37. Easque resignari. §. 39. Cancellariorum Collegium, priuilegijs Archiuij Roman. Cur. gaudere, habereque sigillum, & nemini subiacere decernit. §. 40. & 43. Et per substitutos exerceri posse. §. 41. Ac de quibuscumque scripturis rogari. §. 42. Cancellarios expeditionum exactores Rom. Cur. priuatiuè quoad alios deputat, §. 44. Thesaurario facultatem Cancellarias prædictas locandi concedit in §. 2. constit. huic annexæ.

Schol. primum.

Quæro. Si Cancellarius habet nudum nomen sui Officij, vt puta pater emit pro filio Cancellariam, cum promissione ne quicquam super eo, sine ipso disponat, nunquid societates, de quibus in §. 37. valdè contrahuntur?

RESP. Valide quidem, dummodo non in præiudicium patris, cuius respectu censetur facta prohibitio non disponendi de dicto officio, sic tenet Rota in decis. Gyp. sij 9. Maij 1588. in vna Romana Societatis in meis manuscriptis tom. 1. fol. 302.

Schol. secundum.

Quæro. Si super duabus Cancellarijs, vel alijs duobus Officijs contracta esset societas, vacaret ne venditio vno ex dictis Officijs?

RESP. Non, si Officium, quod remansit, capax est summæ societatis, de qua agitur, sic censuit Rota in decis. Blanchett. die 14. Ianuarij 1575. in vna Romana Societatis impressa post Marchesan. de Commissionib. part. 1. §. 2. pag. mihi 834. in Nouis.

Cum

Edita Anno 1564.

LXXXIV.

CVm Magiſtrum, & infra pagina 119. Bullar.

COMPENDIVM.

Reſtrinxit primum omnia indulta Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe, & aliorum locorum piorum, diſpenſandi ſuper impedimentis matrimonialibus, & irregularitatibus, & etiam Indulgentias, & poſtmodum in conſtit. 62. de qua ſupra pagina 19. reuocauit, §. 1. Concilium Tridentinum, quæſtores eleemoſynarum ſtatuit aboleri, & indulgentias per Ordinarios certo modo publicari, atque colligi, §. 2. Nunc pro huius Hoſpitalis, in quo multa pia opera exercentur, ſubſtentatione, innouat indulgentias, & gratias dicto Concilio non contrarias, § 3. Eleemoſynaſq; fideliter, & nulla prorſus mercede recepta oblatas, colligi concedit. §. 4. Clauſulam, Sublata, &c. appoñit. § 5. Et clauſulas derogatorias. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Vbi colligendi eleemoſynas normam tradidit Concilium, vt dicitur in §. 3.?

RESP. In ſeſſ. 21. cap. 9. vt Genitor meus etiam in huius conſtitutionis apoſtilla adnotauit, & conuenit etiam dictum Bald. in conſ. 27. lib. 1. ſub nu. 5.

Schol. ſecundum.

Quæro. Eleemoſyna, ſine pœnitentia, delet ne peccatum.

RESP. Sola non delet, ſed eſt magna pars ad conſequendam remiſſionem peccati per legitimam pœnitentiam ad tex. in cap. Non ſufficit, 63. de Pœnit. Diſt. 1. vbi Turrecremat. & Archidiac. hoc explicant, & tenet Nauarr. in cap. Medicamentum. 77. eod. tit. de Pœnit. Diſtinct. 1. in 3. not. o. 1. & 4. ex S. Thoma. 4. lib. Sentent. Diſtinct. 15. quæſt. 1. art. 4.

LXXXV.

Edita Anno 1564.

ROmanum Pontificem, & infra pagina, 120. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confidentiæ beneficialis prauum abuſum tollere intentus, decernit beneficia in confidentiam recepta, à die receptionis vacaſſe, §. 1. & 2. Et Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſeruat d. §. 2. Eorum redditus Cameræ Apoſtolicæ applicat, §. 3. Has confidentias de cætero prohibet, §. 4. Prouiſiones de eis factas irritat, §. 5. Et ita, & non aliter iudicari mandat, § 6. Obſtantibuſque derogat, §. 7.

Scholium primum.

Quæro. Nunquid huiuſmodi confidentia ante hanc Bullam punibilis erat, ob enarratam hic conſuetudinem?

RESP. Conſuetudo non excuſabat à peccato, ſed pœna temporali, vt communiter DD. ita firmarunt, quos allegat Pariſ. in ſuo Tractat. de Confident. quæſt. 5. per tot pag. mihi 19. & ſeq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Hæc Bulla cenſetur odioſa, & ſtrictè intelligenda, vel potius fauorabilis, & latè interpretanda, ita ut locum habeat etiam in confidentia commiſſa in tranſlatione penſionis?

RESPON. Multis, & quidem vrgentibus rationibus, Nauarr. conſ. 3. de Conſtitut. lib. 1. per totum, egregiè probat eſſe ſtrictè intelligendam, & non comprehendere confidentiam circa penſionem, quæ propriè non eſt beneficium, & Bulla loquitur de confidentia beneficiali, Et in alio fortiori caſu idem tenet Nauar. conſ. 26. de Simon. in fin. lib. 5 pag. mihi 446.

LXXXVI.

Edita Anno 1564.

SAnctiſſimus in Chriſto, & infra pagina. 121. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Monaſteria Virorum ſupra valorem ducentum florenorum auri de Camera iuxta communem æſtimationem, & Prioratus, Præpoſituras, & alias dignitates Conuentuales, & Præceptorias generales quorumcunque Ordinum, ſuæ diſpoſitioni reſeruaſſe, §. 1. Diſpoſitiones ab alijs factas, modò irritat, & earum confirmationem à Sede Apoſtolica infra ſex menſes tantùm impetrari poſſe decernit d. §. 1. & 2. Contrauenientibuſq; pœnas imponit. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Prioratus Conuentuales, de quibus in §. 1. qui dicuntur?

RESP. Qui in Conuentu Religioſorum, vbi non eſt Abbas, præfecti & capita ſunt, ad text. in clem. 1. § Cæterum, & ibi Canoniſtæ commuoiter de Stat. Monachor. & notat Gonzal. de Menſib. & Alternat. gloſ. 8. ou. 513. pag. mihi 241.

Schol. ſecundum.

Quæro. Florenorum, de quibus in d. §. 1. fit mentio, origo, & denominatio à quibus habita?

RESP. A Florentinis, qui certam ob cauſam, iamdiù eos cudi fecerunt, & eorum vſus ad alias Prouincias deuenit, vt luculenter enarrat Villan. lib. 6. Hiſtor. cap. 54. & proſequitur Ludouic. Gom. ſuper Reg. Cancellat. in tit. de Valor. exprim. quæſt. 9. verſ. Conſequenter.

LXXXVII.

Edita Anno 1564.

CVm inter cæteras animi curas, & infra pag. 122. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro vlteriori reformatione Cameræ Apoſtolicæ, de qua in conſt. 55. ſup. pagina 16. confirmat eius priuilegia huic reformationi non contraria, §. 1. & ſeqq. Innouatq; & firmiter obſeruari præcipit. §. 4. Clericorum eligendorum qualitates præſcribit, §. 5. Camerales cõtractuum Cameræ participes eſſe prohibet. §. 6 Contractibuſq; Cameræ cum eorum conſanguineis, vel affinibus vſque ad quartum gradum intereſſe vetat, §. 7. Et etiam diſcuſſionibus cauſarum eorumdem, §. 8. Suſpectos ex cauſa à pluribus probata, Clericos, & Camerales allegari permittit, §. 9. Contractuum Cameralium formam tradit, §. 10. Et prouentus Cameræ ſub haſta licitari iubet, §. 11. Dies, quibus Camera fieri debeat, declarat, §. 12. Curſoreſque pridie eam intimare debere. §. 13. Camerales, abſque Camerarij, vel Decani licentia, abeſſe non debent, §. 14. Veſtibus præſcriptis indutos, in Camera ſtare decernit. §. 15. Miſſamque poſtmodum audire, & inde ad Cameram ſe conferre, §. 16. Procuratores cauſarum ſucceſſiuè audire, §. 17. Notarijs Cameræ, Procuratoris officium interdicit, § 18. Miſerabilium cauſas, gratis ab Aduocato; & Procuratore Pauperum, tractari iubet, §. 19. Propoſitiones occurrentium cauſarum ante ceptam Cameram à Clerico Menſario deſcribi mandat, §. 20. Orationem Sancti Iſidori à nouiſſimo Clerico in primis perlegi præcipit, §. 21. Deinde litigantes audiri, §. 22. Cameram poſtea claudi, & per duas horas continuas ad minus haberi, §. 23. Menſarius deinde propoſitiones perlegat, §. 24. Decanus cauſas non concernentes officia particularia Clericorum per turnum diſtribuat, §. 25. Clerici deinde cauſas proponant, ſeruatis nonnullis ab eis obſeruandis, §. 26. Iuxta maiorem partem votorum decidant, §. 27. Votis æqualibus, Camerarius, vel eo abſente maior pars aliorum Cameralium præualet, §. 28. Cauſas gratiam ſapientes ad Papam, & cauſas ſpectantes ad Gubernatorem, A. C. vel Theſaurarium eis remittat, §. 29. Vota reuelantibus pœnas imponit,

nit, §. 30. Delinquentes in Camera coercendi, & Papæ denunciandi sunt, §. 31. Proponentes causas, secum scripturas deferant, §. 32. Decisiones earum in libro Cameræ adnotentur §. 33. expedienda in Camera de voto omnium, vt subscribi debeant, §. 34. Administratores vt rationem reddere debeant, §. 35. Eas Notarius ad calculatores deferat §. 36. Eas, præsente Camerario, & Cameræ Clericis, soluder §. 37. Administratores quem librum tenere debeant, §. 38. Rationum reddino, vbi describenda, §. 39. In solutione rationum Clerici videant scripturas originales, §. 40. Libri rationum, quæ continere debeant, §. 41. In Archiuio custodiantur §. 42. Contrauenientes puniantur, §. 43. Rationes à Clericis quomodo videndæ, §. 44. Administratores quotannis rationem seddant. §. 45. Thesaurarij, & alij Papæ ministri, vt rationes reddere teneantur, §. 46. Commissarij officium, quale sit, §. 47. Computatorumq; Cameræ. §. 48. & 51. Ministrorum Cameræ expeditiones registrentur, & à tergo subscribantur à Computatore, §. 49. Administratores Cameræ iurent, & idoneè caueant, §. 50. Occultatores scripturarum Cameræ puniantur, §. 52. Computatores etiam iurent, & caueant, §. 53. Salarium pro onere alicui à clerico iniunctio, Papa declaret, §. 54. Decretum irritans apponitur, §. 55. Camerarius; horum omnium executor deputatur, §. 56. Contrarijs derogatur, §. 57. Forma, & effectus publicationis huius reformationis adiungitur, §. 58. Et ista constitutio quotannis in Camera legatur. §. 59.

Schol. primum.

Quæro. Quid si suspicione iam probata, vt in §. 9. pars redit ad Clericum, suspectum allegatum?

RESP. Ita rediens censetur à dicta suspicione recessisse, Rota in decis. Seraphini 531. nu. 1. vbi aliam Putei decisionem allegat, quæ est num. 371. in Nouis.

Schol. secundum.

Quæro. Qui se destitit à suspicione, num poterit denuò suspectum allegare?

RESP. Poterit solum ex noua, quæ superuenerit causa, Rota in decis. Seraphini 597. num. 4. vbi multas authoritates allegat.

Edita Anno 1564.

LXXXVIII.

IN sacrosancta, & infra pagina 128. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad fidei Christianæ puritatem præseruandam, decernit, Doctores, Magistros, Regentes ac cæteros cuiuscunque facultatis professores, tam Clericos, quàm Laicos, & Regulares, ac ad Cathedras, & lecturas publicorum Studiorum tàm electos, quàm eligendos, eiusmodi facultatem exercere non posse, nisi præuia fidei Catholicæ publica, iurataque professione, iuxta formam successiuè hic inseren dam §. 1. & 2. Neque Rectores Studiorum, & alij Superiores eligantur; nec etiam ipsi Platini Comites, Scholares quoscunque ad vllum gradum in eisdem facultatibus ad mittere possint, nisi seruatis præmissis, &c. §. 3. & 4. Promouentibus nō seruata lege prędicta, pęnas imponit, §. 5. Promotionesq; aliter factas, irritas declarat, §. 6. Decretum irritans apponit, §. 7. Et contrariorum derogationem subijcit, §. 8. Formam, & effectum publicationis addit, §. 9. Formam quoque emittendi dictę professionis Catholicæ fidei subdit, §. 9. & Sanctionemq; pęnalem adijcit, §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid iuramentum, quod continetur in forma professionis Fidei, vt in §. 10. per Procuratorem pręstari potest?

RESP. Posse non est dubium, cum vera sit iuris regula Quod qui per semetipsum aliquid facere valet, idem per Procuratorem facere potest, l. cum ibi nor. ff. de Procuratorib. cap. Qui facit. 72. de Reg. iur. in 6. Et ad hanc Bullā sic scribit Nauar. cons. 4 lib. 1. n. 2. in tit. de Summ. Trinit. in fine iuxta impressionem Brixiæ Anno 1597.

Schol. secundum.

Quæro. Hoc, vel aliud iuramentum, à futuro Imperatore, & Regibus, pręstandum erit?

RESP. De Imperatore habes text. cum ibi not. in clement. Vnica de Iureiur. Et de Rege habes formulam in Pontificali Romano, Clementis VIII. iussu, edito, pagina mihi 128. Prout etiam, & de Episcopis pag. 79.

Edita Anno 1564.

LXXXIX.

INiunctum nobis, & infra pagina 129. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum censuit, eos, quos Cathedralibus, aut alijs superioribus Ecclesijs præfici, vel quibus de earum dignitatibus, Canonicatibus, & alijs quibuscunque beneficijs curatis, prouideri contigerit, publicam orthodoxæ fidei professionem facere, seq; in Romanæ Ecclesiæ obedientia permansuros spondere, & iurare debere, §. 1. Idem hic Pont. decernit obseruari per quoscunque, quibus de Monasterijs, Conuentibus, Domibus, & alijs Regularium quorumcumque Ordinum, & Militiarum locis, quouis nomine, & titulo, prouideri occurrerit, sub pœnis in dicto Concilio contentis, §. 2. Formamque dictæ professionis subiungit, §. 3. Hanc constitutionem publicari mandat. §. 4. Sanctionemq; pœnalem addit, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Intra quod tempus statuit dictum Concilium, eiusmodi professionem Fidei emitti debere?

RESP. Intra duos menses à die adeptæ possessionis, alioquin prædicti prouisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur in cap. 12. Sess. 24. de Reformat.

Schol. secundum.

Quæro. Omittentem hanc fidei professionem facere, iuuabit fortasse regula Cancellariæ, de triennali possessore, quæ eum tuetur?

RESP. Non, quia dicta regula, quæ odiosa censetur, requirit qualitatem bonæ fidei, quæ deficit in eo, qui ignorantiam huius Bullæ claram dispositionem continentis, allegat, vt in puncto sic respondet Nauar. in conf. 1. lib. 1. de Summ. Trinit. in impressis Brixiæ Anno 1597.

Edita Anno 1564.

XC.

IN Apostolicæ dignitatis, & infra pagina 131. Bullarij.

COMPENDIVM.

In Ecclesia Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium S. Francisci de Vrbe, nuper à nonnullis Christi fidelibus Confraternitas sub inuocatione Sāctorum Duodecim Apostolorum instituta fuit, pro maiori Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti veneratione, Monasterijq; Monialium Domus Piæ fœliciori regimine, ac eleemosynarum, ad pauperum erubescentium, & miserabilium personarum in eorum necessitatibus secreta subuentione, aliorumq; indigentium ope, & commendatione, §. 1. Cardinalis Protector à dicta Confraternitate deputatus fuit, §. 2. Et modò pro prędictorum comprobatione huic Pontifici supplicatur, §. 3. Qui ea confirmat, vnà cum ordinationibus ab eadem Confraternitate firmatis, § 4. Aliaque edendi facultatem tribuit. §. 5. Indulgentiasque Confratribus elargitur, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Quo primum tempore dicta Ecclesia erecta, dicitur, & sub quorum Apostolorum nomine?

RESP. Pelagius I. qui ad Pontificatum Anno 556. euectus fuit, eam à solo ædificare cœpit, quam morte prœuentus perficere nequiuit: Ioannes verò III. eius successor consummauit, & titulo SS. Apostolorum Philippi, & Iacobi consecrauit: ita Baron. in Annalibus Eccles. Anno 559. & Ciacon. in vita supradictorum Pelagij, & Ioannis.

Schol. secundum.

Quæro. Miserabiles personæ, de quibus in §. 1. quæ dicuntur?

RESP.

RESP. Viduæ, pupilli, orphani, cæci, peregrini, decrepiti, diurno morbo fatigati, vel carcerati, & alij quibus natura mouetur ad misericordiam l. vnica, Cod. quand. Imper. int. pupill. & Vid. latè ibi DD. prosequuntur, & Roland. conf. 76. lib. 1. num. 44. Aufer. in addit. ad decis. 556. Guidon. Pap. & Afflict. decis. 257. in princ. Menoc. casu 66. num. 17. & Thesaur. 177. num. 1.

XCI.

Edita Anno 1564.

IN suprema, & infra pagina 132. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia nonnulli Prælati, & alij beneficiati, apud Ecclesias sponsas suas iuxta Concil. Trident. Decretum residere negligunt, §. 1. Eosdem hic Pont. ad eiusmodi residentiam adhortatur, §. 2. Et extra eam decedentium bona, vti spolia, etiamsi testandi licentiam haberent, Cameræ Apostolicæ applicat, §. 3. Et ab Officialibus eius, inuentariari præcipit, §. 4. Licentias testandi extra residentiam reuocat, vnà cum dispositionibus aliter factis, §. 5. Et ita, & non aliter iudicari decernit, §. 6. Alias circa spolia emanatas constitutiones præseruat, præterquam quoad residentes, iuxta dicti Concilij Decretum, & specialem testandi licentiam habentes, §. 7. Hanc Bullam publicari iubet, §. 8. Contrariaque ei non obstare decernit. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Residentia Episcoporum fortasse excusat eum, qui officio fungitur Inquisitoris?

RESPON. Non excusare, scribit Gonzal. de Mensib. & alternat. glos. 43. num. 164. pag. mihi 527.

Schol. secundum.

Quæro. De residentiæ negligentia, de qua in §. 4. notatur forsan beneficij resignatarius?

RESPON. Notatur quidem post captam beneficij possessionem, vt post alios scribit Flamin. Parif. de Resignat. benefic. lib. 1. quæst. 10. n. 20. vbi de communi.

XCII.

Edita Anno 1564.

DVm ad solitam, & infra pagina 133. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reuocat quæcunque indulta Confraternitatibus, locis pijs, alijsq; concessa, homicidam toto die Veneris Sancti, alioque tempore liberandi in Vrbe, & S. R. E. dominio temporali, ne illi, in quorum manus priuilegiorum vsus est, eisdem abutantur §. 1. & 2. præcipit autem aliquem miserabilem casum Rom. Pont. referendum esse, §. 3. Derogatque omnibus contrarijs §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Cur potius homicidarum gratias, quàm aliorum reuocat hic Pont.?

RESPON. Scelus quippe immane est, & adeo ipsi Deo exosum fuit, vt licet prædilectum habuerit Dauid Regem cum de eo diceret, *Inueni Dauid virum secundum cor meum*, Psalm. 88. & Isaias cap. 11. ac Act. cap. 13. Attamen noluit, vt sibi templum ædificaret, quia erat vir sanguinis, eo quod adulterium, & homicidium Vriæ commiserat, Paralipom. cap. 13. Et hæc referuntur in cap. 2. caus. 1. quæst. 7. & recenset Tiber. Decian. lib. 9. sui tract. Crimin. cap. 17. vbi plures consimiles prærogatiuæ habentur contra homicidas.

Schol. secundum.

Quæro. Cur adeò immane censetur?

RESPON. Quinque enarrat causas Decian. in loco cit. quas per te videas: longum siquidem esset eas singulas recensere.

XCIII.

Edita Anno 1565.

CVm Pastorali nostro, & infra pagina 134. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Cõseruatores Vrbis assignare Vniuersitati Mercatorum locum in foro Capitolino vt eius Consules ibi ius dicerent, de rebus spectantibus ad Vniuersitatis artem, §. 1. Senatoremque Vrbis tempore Bonifacij IX. eidem facultatem dedisse, vendendi res quascunque etiam alias Artes concernentes, & erigendi vnum Collegium, §. 2. Et Collegium modò edixisse, Consules cognoscere causas de rebus spectantibus ad Artem vsque ad quamcumque summam, inter homines de Arte, & inter alios vsque ad ducatos 30. auri in auro de Camera inclusiuè, §. 3. Librisque eorum mercantiliter tentis, omnibus partitis simul computatis vsque ad summam ducat. 30. fidem adhiberi, §. 4. Falsitatem dolosè committentes, in eorum libris coerceri, §. 5. Appellarique non posse à sententijs Consulum à decem scutis infra, §. 6. Senatorem, & Conseruatores dicta statuta approbasse, §. 7. Hic modò Pont. supradictas concessiones Senatoris, & Conseruatorum, & dicta Statuta, & Consulum iurisdictionem, comprobat, §. 8. Iudicibus, Vrbis impedimentum, in prædictis dare vetat §. 9. Et ita, & non aliter iudicari decernit, §. 10. Clausulas præseruatiuas apponit, §. 11. Et derogatorias, §. 12. In iurisdictione Consulum alios consentire permittit. §. 13. & 14. Facultatem citandi infra districtum concedit, §. 15.

Schol. primum.

Quæro. Si non extarent illa verba, §. 4. *Omnibus partitis simul computatis*, hoc priuilegium fortasse simili modo intelligeretur?

RESP. Non, sed crederetur libris in qualibet partita quoad ducat. 30. Nam quot sunt partitæ, tot sunt credita, & tot contractus l. Cum plures 72. ff. de Euiction. Dec. conf. 344. in fine præsertim si partitæ essent creatæ diuersis diebus Alex. cons. 135. lib. 4. nu. 1. & seq.

Schol. secundum.

Quæro. Quid creden. si partita non haberet annum, mensem, & diem?

RESP. Non creditur l. 1. §. Rationes, & ibi Angel. ff. de Eden. latè Stracca de Mercat. par. 2. num. 55. & 61. cum alijs citatis per Ioseph. Ludou. conclus. 29. vers. Octauo requiritur.

XCIV.

Edita Anno 1565.

IN Principis Apostolorum Sede, & infra pag. 136. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum multa edidit Decreta, quibus plurima indulta, & priuilegia, dispensationes, immunitates, Confessionalia, Mare Magnum, & aliæ gratiæ, varijs Ecclesijs, Monasterijs, Religiosis, Hospitalibus, Militijs, Patriarchis, Episcopis, & alijs cuiuscumque dignitatis personis, à Romanis Pontificibus elargitæ contrariantur, §. 1. Has ergo gratias, & priuilegia, etiam pluries confirmata, & ex quauis honesta causa concessa, hic Pont. reuocat, §. 2. Eorumq; vigore, acta, & agenda, à die, qua dictum Concilium ligare cœpit, nulla esse decernit, §. 3. Et ita, & non aliter iudicari iubet, §. 4. Contrarijs derogat, §. 5. Sanctionemq; pœnalem apponit, §. 6.

Schol. secundum.

Quæro. Mare magnum quid significat?

RESP. Multitudinem priuilegiorum indicat, vt dicit Roder. to. 1. Quæstion. Regular. quæst. 7. artic. 4. vbi etiam pro diuersis Religionibus nonnullos Roman. Pontt. Maremagnum dedisse recenset.

Schol. primum.

Quæro. Hæc priuilegiorum reuocatio, nùm absolutè valida fuit contra omnes?

RESP.

RESP. Ita sanè, quia Reipublicæ Christianæ illa coperant esse damnosa, cap. Suggestum, 9. vbi Canon. communiter de Decim. latè Philipp. Dec. in cons. 235. num. 1. & surd. decis. 236. num. 21.

XCV.

Edita Anno 1565. INter assiduas, & infra pagina 137. Bullarij.

COMPENDIVM.

Innocentius III. & Honorius III. diuersas gratias Hospitali, & Militiæ S. Lazari concesserunt, & sub protectione Sedis Apostolicæ susceperunt, §. 1. Gregorius IX. quamdam Indulgentiam, porrigentibus pro eis manus adiutrices dedit, §. 2. Et licentiam profitendi vnam ex Regulis approbatis, §. 3. Magnum Magistrum non leprosum, sed sanum eligi voluit, §. 4. Et medietatem Molendini in Nympha concessit, §. 5. Alexander IIII. dedit Prioribus, facultatem absoluendi Fratres quoquomodo se percutientes, §. 6. Regulam S. Augustini iussit obseruari, §. 7. Donationem Federici Imperatoris approbauit, §. 8. Ecclesiam de Galbijs concessit, §. 9. Facultatemque componendi super vsuris, &c. §. 10. Diœcesanos etiam non posse in domibus Hospitalis ponere Rectores §. 10. Nicolaus III. exemptionem tribuit a decimis, §. 11. Clemens IIII. in sua constitut. 5. de qua sup. pag. 19. 1. multa priuilegia dedit, §. 12. & seqq. Ioann. XXII. exemptionem à iurisdictione Ordinariorum elargitus est, §. 26. Gregor. X. seu Alexan. IIII. bona, & personas Militiæ molestari vetuit, §. 27. Exemptionemque à gabellis, & pedagijs pro eorum bonis dedit. §. 28. Paulus II. Leprosiam Capuanam sub protectione Sedis Apostolicæ suscepit, & exemptionem ab omni onere dedit, §. 29. Alex. Vth. Clem. & Gregor. visitantibus Leprosiam Hospitalis de Colle, & eleemosynas subministrantibus, quasdam Indulgentias concesserunt, §. 30. Nicolaus IIII. eas confirmauit, & alias adiunxit, §. 31. Clemens IIII. Hospitali de Valloncellis exemptionem tribuit, à procurationibus legatorum, & quibuscumque collectis §. 32. Leo X. Hospitali S. Lazari, restituit Hospitalia S. Ioannis Leprosorum Panormitan. & Messanen. aduersus Innoc. VIII. suppressionem, §. 33. & 34. Alex. IIII. & alij. quamplura alia indulta elargiti sunt, §. 35. Hic Pius postea omnia comprobauit, §. 36. Et modo omnia comprobat, & iteratò concedit, quatenus Concilio Tridentino non sint contraria, §. 37. Hospitalique Capuano communicat, & omnem eius suppressionem reuocat, §. 38. & 39. Illudque caput Hospitalis, & Militiæ S. Lazari constituit. §. 40. Magni Magistri electionem, ad Conuentum, & Milites spectare decernit, §. 41. Eique facultatem dictam Sedem alibi trãsferendi concedit. §. 42. Habitum quoque, insignia & statuta reformandi. §. 43. Commendas quoque, & beneficia qualitercunque qualificata, de iurepatronatus laicorum erigendi. §. 44. Iuspatronatus prætermandi. personas præsentandi, instituendi præsentatos, & dicta beneficia conferendi §. 45. Hospitalia leprosorum quæcunque sint, ad Hospitale, & Militiam Sancti Lazari spectare decernit, saluâ iurisdictione Ordinariorum, & saluis his, quæ Concilium excepit, & exemit Militiam S. Ioannis Hierosolimitani; in quibus Militia etiam S. Lazari excepta sit, & exempta. §. 47 Facultatem retinendi pensiones pro ducat. 500. concedit, §. 48. Easq; transferendi, §. 49 Magnum Magistrum, & Militiam sub protectione Sedis Apostolicæ recipit, §. 50. Exemptionem à iurisdictione omnium Dominorum temporalium, & spiritualium, tribuit §. 51. Et à decimis, alijsq; oneribus. §. 52. Ac fori priuilegium dedit. §. 53. Exemptionemque à charitatiuis subsidijs, etiam in Regnis Fráciæ, & Hispaniarum, §. 54. Et priuilegiũ extrahendi frumenta, & alias quascunque fruges. §. 55. Exemptionem etiam pro bonis patrimonialibus post emissam professionem concedit, §. 56. Lites omnes ad Magni Magistri decisionem, priuatiuè quoad alios spectare decernit §. 57. & seqq. Cõseruatores, qui pro hac Religione constitui possunt deputat, §. 67. Iura mortuariorum, & vacantium, &c. omnino persoluantur, §. 68. Facultas datur suscipiendi Ordines, à quocunque Antistite, & extra tempora, & celebrãdi in quibusuis Ecclesijs. §. 69. Magnus Magister, Conuentus, Prior Ecclesiæ, alijq; Priores, & Præceptores, infra limites suarum iurisdictionum, sint verè Ordinarij, §. 70. Magnus Magister, & Cõuentus, quoscunque alios coercent, §. 71. Officiales quicunque ad hoc præstu sint, §. 72. Gratiæ præuentiuæ, quoad loca Religionis irritæ sint, & Magnus Magister de eis prouideat, §. 73. Expectatiuæ etiam, reseruationum, antianitatum, & aliarum concessionum. §. 74. & seq. Monentur omnes vsurpatores, ad restituen. loca Ordinis. §. 76. Bona per priuationem vacantia, disponantur à Magno Magistro, & Conuentu. §. 77. & seqq. Loca Religionis non comprehendantur sub reseruationibus Apostolicis, §. 79. Magnus Magister, & Conuentus, personis Religionis ea conferant. §. 80. Debita communi ærario, nulla exemptione impediãtur §. 81. Huic Bullæ, vt non censeatur derogatum §. 82. & seq. Prohibitio disponendi de locis Religionis, preterquam de cõsensu Magni Magistri, & Conuentus. §. 84. Rescissio alienationum in damnum Religionis factarum, & fiendarum, §. 85. & seqq. Concessio, & incorporatio Hospitalium, & locorum omnium sub inuocatione S. Lazari constructorũ, §. 89. & 93. Inhabilitas omnium, præterquam personarum huius Religionis, ad Hospitalia, & loca illius. §. 90. & 94. Facultas Magni Magistri, Conuentus & diffinitorum generalis Concilij imponendi annuum subsidium in signum superioritatis, §. 91. Demoliendiq; omnia loca sub inuocatione S. Lazari, pro quibus obedientia recusabitur, §. 92. Presbyteri sæculares obtinentes beneficia huius Religionis, vt illis cedere valeant. §. 95 & seq. Reuocatio iurispatronatus, preterquam ex fundatione, & dotatione. §. 97. Prohibitio reseruandi pensiones super beneficijs Religionis, nisi in fauorem Fratrum §. 98. Obtinentes beneficia, & pensiones, vel cedant in manibus Magni Magistri, vel habitum suscipiant, & professionem emittant, §. 99. Capellani, vt deputandi. §. 100. Vt differant à Presbyteris sæcularibus, §. 101. Presbyteri huius Militiæ, vnum beneficium curatum, vt retineant. §. 102. Res iudicata super iurisdictione, & ciuili possessione, vt Magno Magistro non præiudicet. §. 103. Personæ Religionis, vt in eius causis recipiendi sint. §. 104. Qui ad deseruiendum Ecclesijs Religionis admittendi. §. 105. Habitum non suscipientes, priuilegijs non perfruuntur, §. 106. Neque vagabundi. §. 107. Manus violentas iniici, in confugientes ad Ecclesias Ordinis, prohibetur. 108. Iura mortuariorum, &c. soluantur, quacunque exceptione non obstan. §. 109. Magni Magistri, & Conuentus facultas, Vicarium deputãdi ad conferen. beneficia Ordinis, antianitates concedén. & pensiones imponen. §. 110. Dispensandiq; super ætate, & defectu natalium. §. 111. Antianitates à Magno Magistro, & Conuentu concessæ, & cõcedendæ, à Sede Apostolica approbatæ censeantur. §. 112. Prouisiones beneficiorum Ordinis, quæ per cessationem solutionis, vel inobedientiam vacauerint, ad Sedem Apostolicam non deuoluantur, §. 113. Magni Magistri, & Conuẽtus authoritas, deputandi Procuratorem generalem in Curia Romana, cum facultate conferendi beneficia Ordinis ibidem, præterquam per resignationem vacantia. §. 114. Magni Magistri, & Conuentus, in conferendis beneficijs, authoritas, quæ §. 115. Et in vniendis, & dismembrandis, antianitatibusq; concedendis. §. 116. Admittendisq; resignationibus. §. 117. Indulgentias publicandi, & eleemosynas colligendi. §. 118. Excommunicatos & interdictos, qui interdicto causam non dederint in Ecclesijs Ordinis sepeliendi §. 119. Donata, & legata exigendi. §. 120. Sacramenta, & Ordines à catholico quouis Antistite recipiendi. §. 121. Arma deferẽdi. §. 122. Capellanis eiusdem Ordinis, dat facultatẽ audiendi confessiones, & Sacramenta ministrandi personis illius, eorumq; familiaribus, & subditis. §. 123. Præceptoriasque erigendi. §. 124. Indulgẽtias communicandi. §. 125. Hospitalia etiã, Cõfraternitates & Oratoria. §. 126. Personis Hospitalis, & Militiæ concedit licentiam testãdi, etiam more militari, & de bonis ex fructibus beneficiorũ acquisitis, ac ad fauorem consanguineorum. §. 127. Priori Ecclesiæ Conuentus dat potestatem celebrandi in habitu

pon-

pontificali, & benedictionem Populo impendendi, §.128. Magnus Magister, milites, & Fratres, cum regulam non obseruant, quando mortaliter peccẽt, §.129. Magnus Magister quos ad Ordinem recipere possit, §.130. militibus in expeditione contra Infideles morientibus, Indulgentia plenaria conceditur, §.131. Indulgentiæ pro visitantibus Ecclesias Ordinis, conceduntur, §.132. Fundatoribusque Commendarum, vel dotantibus, aut aliter subueniẽtibus, §.133. Eleemosynæ, ingredientibus Confraternitates Ordinis quæ dantur, §.134. Et electio Confessorum, qui absoluant, &c. §.135. & seqq. Confratres etiam excommunicati, vt sepeliendi, §.138. Indulgentias Vrbis, vt consequantur, §.139. Oua, & lacticinia quando per eos comedẽda, §.140. Mulieres vt ad Monasteria Ordinis admittendæ, §.141. Priuilegia Hospitalis S. Spiritus de Vrbe, huic Ordini communicantur, §.142. & seqq. Notarijs præcipit reuelare, omnia legata Ordini, §.147. Hortarique infirmos ad subueniendum huic Religioni, §.148. Confessoribus, & Confratribus hoc idem præcipit, §.149. Insistentibus obsequio Hospitalis, & pauperum leprosorum, concedit omnia priuilegia Confratrum d. §.149. magno Magistro dat facultatem componendi super vsuris, &c. §.150. Indulgentiasque publicandi, §.151. Confraternitates instituendi, §.152. Omnia loca sub Inuocatione S. Lazari, sint huic Ordini subiecta, §.153. Confratresq. gratijs Ordinis perfruantur, §.154. Et Priores, ac Præceptores indulgentiam, vt publicare possint, §.155. Et si Sacerdotes fuerint, vt valeant confessiones audire, & Sacramenta ministrare, §.156 Collectasq. etiam nobis sonantibus de licẽtia magni Magistri facere, §.157. Animalibus S. Lazaro oblatis, nolas, seu campanas apponere, §.158. magnus Magister, & Conuentus, & eorum Commissarij, vt valeant indulgentias publicare, in locis, in quibus Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Obseruantia, vel Commissarij pro Fabrica S. Petri de Vrbe, fuerint deputati, §.159. Ordinis indulgẽtiæ, vt non intelligantur suspensæ, §.160. Fratres huius Religionis possint per se, vel alios idoneos presbyteros, in eius Ecclesijs Missas, & Officia Diuina celebrare, §.161. Sacramentaq. infirmis Hospitalis ministrare, §.162. Mortuos etiam sepelire, §.163. Verbum Dei prædicare, §.164. Quecumque priuilegia, quibuscumque militijs concessa, dummodo Concilio Tridentino, & iuribus alterius tertij non præiudicent, elargitur, §.165. Exemptionem concedit in casibus Concilij, vt concessa est Militiæ S. Ioannis Hierosolymitani, §.166. Et indulgentias concessas, & concedendas Hospitali S. Spiritus de Vrbe, §.167. Publicationem mandatorum magni Magistri, iubet omnes ligare, ac si personaliter esset facta executio, §.168. Omnes infra annum in Conuentu comparere decernit, §.169. Et similiter cæteros vocatos, possidentes beneficia, vel pensiones Ordinis. §.170. Nullam in his exemptionem, aduersus obedientiam magni Magistri, valere declarat, §.171. Sed magnum Magistrum, & Conuentum liberè de beneficijs huiusmodi disponere posse, §.172. Huic Bullæ clausulas præseruatiuas apponit, §.173. Et decretum irritans, §.174. Executores eius deputat, §.175. Contrarijsque derogat, §.176. Concilio Tridentino in prædictis non præiudicate declarat, §.177. Transumptis credi mandat, §.178. Gratias Magni Magistri, huius Bullæ insertione non egere indulget, §.179. Sanctionemque pœnalem adiungit, §.180.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore Innocentius VIII. suppressit hanc Militiam, vt enunciatur in §.33.?

R E S P. Anno 490. eam suppressit, & militiæ Sancti Ioannis Hierosolymitani applicauit: Vnde illa tum apud Gallos, tum etiam apud Italos obscurata fuit, ita scribit Franc. Mennenius de Orig. Militiar. pag mihi 50. iuxta impressionem de Anno 1541.

Schol. secundum.

Quæro. Vltra priuilegia multa, quæ huic Militiæ plures Romani Pontt. elargiti sunt, num Reges quoque, & Principes alijs eamdem gratijs honestarunt?

R E S P. Pleriq; diuersisq. temporibus, sicuti enarrat Franc. Menn. vbi sup.

X C V I.

ETsi Romanum Pontificem, & infra pagina 151. Bullarij. *Edita* Anno 1565.

C O M P E N D I V M.

Prohibet Nuncijs Apostolicis, & alijs, ad sæculares Principes destinatis, fauores etiam vocales, & sponte oblatos ambire, vel directè, vel indirectè, ad dignitates, & officia Ecclesiastica consequen. aut sibi, vel alijs eorũ consanguineis, & necessarijs quoquomodo per Romanos Põtifices conferenda procurare, §.1. & 2. Contrauenientibus multas infligit pœnas d. §.2. Preces Principum, etiam per eorum Oratores apud Sedem Apostolicam porrectas, id legitimè, & sufficienter probare decernit, §.3. Et ita, ac nõ aliter iudicari iubet, §.4. Hanc Bullam præcipit, publicari in Vrbe, & post duos menses ligare declarat, §.5. Contrariaque non obstare, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Apud Gentiles etiam ambitus eiusmodi forsan extitit improbatus?

R E S P. Audi nunc solummodo Ciceronem in lib. de Offic. *Miserrima est omnino ambitio, bonorumq. contentio* & Senecam in Epist. 78. *Non tam iucundum est, multos post se, quam alium ante se, videre,* & alibi. *Relinque ambitum, tumida res est, vana, ventosa, nullumq. habet terminum*, &c.

Schol. secundum.

Quæro. Quid est quòd fertur apud eosdem Gentiles, ambitum pro fumo reputari?

R E S P. Fumum reputasse, ex illo dignoscitur exẽplo, quod refert Nauar. in cons. 56. lib. 5. de Simon. num. 2. iuxta impressionẽ de Anno 1610. Venetijs, vbi inquit, quòd Alexander Seuerus iussit, quemdam Turrinum, qui apud Imperatorem magnæ authoritatis videbatur in foro transitorio ad palum alligatum, fumo necasse præcone acclamante, *Fumo punitur, qui fumum vendidit*: Et de his fumi venditoribus, nouissimè verbum facit, etiam Ioannes Baptista Baiard. in sua quæst. crim. 73. num. 14.

X C V I I.

SEdis Apostolicæ, & infra pagina 152. Bullarij. *Edita* Anno 1565.

C O M P E N D I V M.

Commoditati Religiosorum Congregationis Cassineñ aliàs S. Iustinæ de Padua Ordinis S. Benedicti opportunè consulere volens, priuilegio donat Abbates dicti Ordinis, qui ex Apostolico indulto, Pontificalibus vti, & Pontificalem benedictionem elargiri consueuerunt, vt lapides pro vsu Altarium portatilium, pro locis eiusdem Ordinis, benedicere, & consecrare possint, Ordinariorum licentia minimè requisita, §.1. Clausulas huius priuilegij præseruatiuas subdit, §.2. Derogatoriasq. §.3.

Schol. primum.

Quæro. Confracto hoc lapide, altare portatile esset ne execratum?

RESP. Esset sine dubio, ne dum eo confracto, sed etiã enormiter diminuto, quia ipse lapis dicitur sigillum consecrationis, vt censuit Alex. 3. in cap. 1. & 3. de Consecrat. Eccles. vel Altar. vbi Innoc. Anchar. Panormit. & alij vno ore id affirmant.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ erit in casu prædicto, enormis diminutio?

R E S P. Ea ob quam, ille lapis eius formam amiserit, cum illa det esse rei, ita argum. Tex. in cap. Huiusmodi 3. caus. 10. quæst. 2. notat Panormit. in cap. 1. & 6. de Consecrat. Eccles. vel Altar. Quòd totum est ad arbitrium Episcopi redigẽdum, qui etiã oculis debet talia subijcere per se vel per alium, & melius est si per se, dummodò commodè hoc fieri possit, vt inquit, Hostiens. in d. cap. 6. num. 1.

XCVIII.

Edita Anno 1565.

INgens humeris nostris, & infra pagina 152. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit quoscumque Duces, Marchiones, Episcopos, & alios etiam Cardinalatus honore fungentes, qui indulta, gratias, licētias, & alias quascumque concessiones quoquomodo, & qualecumque minimum Cameræ Apostolicæ præiudicium, & interesse concernere censebuntur, illa infra tres menses à die eorum impetrationis computādos in eadem Camera præsentare, ac ibi registrari facere debeant, §.1.& 2. Alioquin illa nullam fidem faciant, nullaq. existant d.§.2. Cardinalis Camerarius sit huius constitutionis executor, §.3. Sicque & non aliter, iudicari posse, §.4. Obstantia reuocantur, §.5. Solaq. huius Motus proprij Signatura sufficit, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Si aliqua sint cōcessa priuilegia Motu proprio, comprehendentur ne hac lege, contra impetrantes priuilegia, loquente?

RESP. Comprehendentur. tum quia lata est significatio verbi, *priuilegium*, quia omne, quod quoquomodo conceditur contra ius à Principe, dicitur priuilegium cap.3. Dist.3. Panormit. in cap. Cum tibi 18. de Verborum significat. num.1. Tum etiam quia gratia facta Motuproprio, eo ipso, quo est acceptata, dicitur impetrata, vt in puncto tenet Ruin.consil.133.lib.1.0.1. & seqq. & Rota in decis.Seraph.365.num.8.& seq.

Schol. secundum.

Quæro. Cur hæc lata accipienda est significatio in hac lege pœnali?

RESP. Quoniam principaliter agitur de vtilitate Cameræ, quæ dicitur vtilitas publica. vt probat Tex.in l.3. C. de Primipil. lib.12. ideoq. ampla verbi significatio recipitur Bart. in l.1.ff. Sol. matrim. num.26. & Iaf.num.40. vbi alios allegat.

XCIX.

Edita Anno 1565.

INter multiplices curas, quibus assiduè, & infra pagina 153. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reuocat omnes licentias, & facultates extrahendi frumenta, blada, & legumina, de Statu Ecclesiastico quomodolibet præterquam ex causa solutionis, & exbursationis pecuniarum concessas, §.2. Quascumque hactenus emanatas prohibitiones huiusmodi extractionum, innouat, §.3. Iterum prohibet dictam extractionem, §.4. Executorē deputat, S.R.E. Camerarium, §.5. Facultates ex causa onerosa haberi prætensas, irritas decernit, quatenus corā Camerario non verificentur, §.6. Contrarijs derogat, §.7. Licentias etiam ex causa onerosa concessas, Camerarij approbatione indigere decernit, §.8.

Schol. primum.

Quæro. Continebitur ne farina appellatione frumenti, de quo in §.1.?

RESP. Certissimum est contineri, ex identitate rationis, euitandi penuriam, Bart. in l. Quæsitum 76.§. Illud. ff. de Legat.3. in fin. & Bertach. post alios de Gabell. par.8. membro 2. num.16. Quamuis contrarium simpliciter dixerit Bald. in l. Si conuenerit 18.§. Si fundus. ff. de pignor. act. in fin.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si ego extraxissem granum, postea pœnitens retrocederem, & in reditu fui deprehensus?

RESP. Non ligaris hac lege, si eras in via, secus si in tugurio, & diceres pœnituisse, nisi alia extarent inditia, ita singulariter docet Ioan. Andr. ad Speculat. in tit. de Constitut.§.1. In apostilla ad num.9. & sequitur Bertach. de Gabell. par.9. sub num.18. subdens, quòd hoc nemo alius dixit præter Io. Andr.

C.

Edita Anno 1565.

EX debito Pastoralis officij, & infra pag.154. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum sess.21. cap.9. aboleri censuit nomen, & vsum quæstuandi eleemosynas, §.1. Hinc Fratres, & Hospitalis S. Antonij Viennen. quæ piorum eleemosynis sustentari consueuerunt, quasi destituta remanebant, §.2. Iste ergo Pont. priuilegium quæstuandi eis restituit, quoad ea tantum, quæ sunt in vsu, & Concilij Tridentini decretis non repugnant, quibuscumque alijs non obstantibus, §.3.& 4. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §.5. Executoresq. deputat, §.6. Obstantia repellit, §.7. Transumptisq. credi iubet, §.8.

Schol. primum.

Quæro. Quis hunc Ordinem dicitur promouisse?

RESP. A Gastono, & Guindo nobilissimis Viennensibus sub Regula S. Augustini, ante Annum 1092. institutum, scribit Ciacon. in vita Vrbani II. pagina mihi 355. in princ. Sed aliter scribit Baron. tom.11. Annal. Eccles. anno 1095. pag. mihi 668. in fine sic dicens. *Hoc eodem Anno Gastono Franco viro nobili Prouinciæ Viennensis, cum Gerino filio eius authore, iunctis sibi octo alijs, institutus asseritur Ordo Ministrantium infirmis, qui sacro igne consumpti perpetuò viuerent, truncatis membris calamitate, Qui cum laici essent pro insignibus, Thau signum sibi sumpserunt.*

Schol. secundum.

Quæro. Ante hanc Pij declarationem, num stricto iure, dictum Concilium Tridentinum quæstum eleemosynarum dictis Fratribus impediebat?

RESP. Non, nisi quatenus prædicando, vel indulgētias publicando, illas quærerent, vt sex, & validis quidem rationibus, benè in puncto explicat Nauar. in consil.79. li.3. incip. An verba num.2.& seqq. pag. mihi 288. pro quo facit consil. Bald.27. lib.1. num.2. vsque ad finem.

CI.

Edita Anno 1565.

ROmanum Pontificem, & infra pagina 155. Bullarij.

COMPENDIVM.

Suburbium, seu Burgum S. Petri nuncupatum, prope illius Basilicam Nicolaus III. & alij Pontf. & præcipue Leo X. pro Vrbis decore ampliarunt, itaut idem Leo Ciuitatem Leoninam appellari voluerit, & priuilegijs, inibi ædificantes ornauerit, §.1. Eius hic Pont. vestigijs inhærendo, aliam statuit viam, ab Arce S. Angeli, ad Palatium Apostolicum directam, ædificijsq. ornare cœpit, & Ciuitatem Piam nuncupari censuit, §.2. & seqq. Scholam publicam ad pueros gratis edocendos instituit iussit, §.7. Ecclesiasticis, & locis Pijs ibi ædificantibus, priuilegia dedit, §.8. & seq. Laicis quoque, & sæcularibus, §.10. Et impudicis etiā Mulieribus, §.11. Aedificia ibidem constructa confiscari vetat, §.12. Dominosq. locorum, seu fundorum, aut ædificare, aut alijs ædificare volentibus, locare iussit, §.13. Hos conductores, à decima parte pretij illorum fundorum affrancare indulget, §.14. Aedificantibus in hac Ciuitate, ius congrui præferri voluit, in venditionibus viridariorum, vineatum, & terrenorū Regionis Transtyberim, §.15. Aliaq. dat priuilegia Ciuitati Leoninæ hactenus concessa, §.16. Executores huius Bullæ deputat, §.17. Decretum irritans apponit, §.16. Clausulasq. derogatorias, §.19. Sanctionēq. pœnalem adiungit, §.20.

Schol. primum.

Quæro. Aedificiorum appellatione, de quibus hic, num quid Capanna continetur?

RESP. Propriè non venit Capanna appellatione domus,

mus, vt inquit Bald. in cap. 1. de duobus fratribus de feud. inuest. in princ. vers. Loquimur. licet Apostill. ibi ob diuersos casus variam dicat esse dispositionē ad propositū Bullę, Sed iudicio Magistrorū Viarum puto committendum, an Ciuitas ex dicta Capanna aliquo respectu ornata videatur, vt in simili casu notat Bard. de Iure Prothomis, §. 7. nu. 7.

Schol. secundum.

Quæro. Aedificare nùm dicitur, qui ędem iam factam in altum edit, vel ampliat?

RESP. Affirmatiuam sententiam, tenet Bard. vbi supra in rubr. de Aedific. sub num. 1. ad finem. Sed rectius dicendum videtur, supradictorum Magistrorum iudicio remittendum, an exinde Ciuitas ornata remaneat, vt mox notatum fuit.

CII.

Edita Anno 1565. INter multiplices curas, quæ mentem nostram, & infra pagina 158. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus IIII. & Leo X. ad ornatum Vrbis, eorum ediderunt constitutiones, §. 1. & seq. Quas hic Pont. approbat, §. 3. Præfigitq; terminum his, qui iam ædificare promiserunt, §. 4. Declarat venditiones domorum intiman. esse vicinis, vt valeant. §. 5. Vicinosque intimatos nonnulla implere debere, §. 6. Eosdem Inquilinis esse præferendos. §. 7. Simulatas venditiones irritat. §. 8. Dubia circa iurisdictionem Magistrorum Viarum soluit. §. 9. Aedificare volentibus, vicinos eorum domos ad venden. cogi, mandat. §. 10. Idem seruari iubet in Casalibus. §. 11. Ad plateas, & vias ornandas, domos vicinas aptandas esse censet. §. 12. Inquilinos domorum cogi ad soluen. quod debent pro pensionibus, iubet, §. 13. Domini habitantes domos occasione ornatus publici diminutas, possunt alios cogere ad vicinas domos vendendum, §. 14. Situs vacantes fabricentur. §. 15. Viculi appropientur vicinis. §. 16. Cloacæ, & cęt. obstruantur. §. 17. Fideicommissa non impediant præmissorum occasionem. §. 18. Canneta ad culturam rediganrur. §. 19. Prata propè viam Angelicam, non reducantur ad canneta. §. 20. Scalæ impedientes vias, tollantur. §. 21. & 24. Hæc sanctio extenditur etiam ad Vineas, & Casalia intra duodecim milliaria ab Vrbe. §. 23. Porticalla tollantur. §. 25. Horti in Vrbe muris claudantur. §. 26. Pontes lignei in vijs publicis auferantur. §. 27. Pontelli de domibus ruinosis amoueantur. §. 28. Artes per Vrbem in certis vijs firmentur. §. 29. & 30. Viæ lateribus coctis sternantur, §. 31. Vicini vijs publicis, eorum possessiones muris cingant. §. 32. Dubia in præmissis Camerarius, & Magistri Viarum suo arbitrio soluant. §. 33. Quando ab eis non appelletur. §. 34. Causas muratorias ipsi cognoscant. §. 35. Camerarium deputat executorem. §. 36. & 39.

Schol. primum.

Quæro. Possunt ne Camerarius, & Magistri, cogere habentem domum dirutam, vnde resultat Vrbis deformitas, quàm ob paupertatem reficere nequit, vt alteri vendat?

RESP. Potest, vt inquit post Specul. quem allegat, Roman. in sing. 784. incip. Pauper. & sequitur Marsil. 470. in cap. Habens.

Schol. secundum.

Quæro. Intimatio facienda vicinis, de qua in §. 5. quæ requirit?

RESP. Latè hoc explicat M. Ant. Bard. in Commentarijs similis Bullæ Six. IV. in quæst. 6. n. 3. & seqq. in suo Tract. de Iure Congr. vbi congruas affert distinctiones, quas hic recensere non possum, dum summaria sit nostra intentio.

CIII.

Edita Anno 1565. SEdis Apostolicæ, & infra pagina. 164. Bullarij.

COMPENDIVM.

In Capitulo generali Florentiæ coacto, Antonius de Sa pientibus Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium generalis, Ministrique, & alij Fratres, pro illius felici statu, & reformatione, nonnullas leges, ad duodecim capitula Regulæ S. Francisci ediderunt. §. 1. Hic Pontifex eas approbat, obseruarique præcipit. §. 2. Contrarijsque omnibus derogat. §. 3. Subsequuntur postea leges ipsæ: Et super c. 1. dictæ Regulæ tres apponuntur declarationes, Circa obedientiam, Paupertatem, & Castitatem; Super cap. 2. declarationes decem, & septem, circa Nouitiorum receptionem, & pleraque alia; Super cap. 3. aliæ declarationes decem, & septem, circa officij recitationem, Missarum celebrationem, Processiones, & alia multa. Super cap. 4. declaratio vnica, circa vsum, & tactum pecuniarum. Super cap. 5. declarationes sex, circa id, in quo Fratres se exercere debent. Super cap. 6. declarationes nouem, circa administrationem bonorum, eorumque vsum, & proprietatem. Super cap. 7. declarationes decem, circa eorumdem Fratrum confessionem, accusationem, incorrigibilitatem, & punitionem. Super cap. 8. declarationes septem, circa illorum electionem, & suffragia, confirmationem, & Capituli generalis conuocationem. Super cap. 9. declarationes septem, circa prædicationem, confessionem, Prædicatorum qualitates, librorumque editionem. Super cap. 10. declarationes quatuor, circa munus, & qualitates Prouincialium. Super cap. 11. declarationes viginti septem, circa colloquia, & consortia cum mulieribus, & missionem Monialium ad habitum, & pleraque alia. Super cap. 12. declarationes quinque, circa missionem Fratrum ad infideles, & nonnulla alia.

Schol. primum.

Quæro. Quid est, quòd præfatio ad leges eiusmodi Regulæ Franciscanæ aliàs à me pluries visæ, à Genitore tuo hic prætermissa videtur?

RESP. Illam impressorum incuria omissam, non autē sedulò ab eo prętermissam fuisse, sæpiùs ab ipso audiui.

Schol. secundum.

Quæro. Nonne ad faciliorem intelligentiam dictarum legum præfatio illa fuisset opportuna?

RESPON. Quinimò præfationes necessarias appellat Bald. in l. 1. ff. de Orig. Iur. in princip. plerosque effectus operari tenent DD. communiter, ad scripta per Barbat. consf. 64. lib. 4. n. 1. & Tiraquel in suo Tractat. de Cess. caus. in 1. limit. num. 64. & seqq. Illam itaque præfationem hic intexere arbitratus sum.

PRÆFATIO.

PRimum omnium satis constat Seraphicum Patrem nostrum Beatum Franciscum, diuino lumine illustratum, Ordinem suum sub titulo Fratrum Minorum instituisse, hocque nomen delegisse, ne Fratres sui (vt Diuus Bonauentura testatur super reg.) de vllo dignitatis gradu contenderent, neque honoris nomen sibi vendicarent, sed omnibus sub Dei honore, se subijcerent, & ad temporalem magnitudinem non aspirarent. Sic verò dicti ad imitationem illorum, de quibus dixit Saluator: Quamdiu non fecistis vni ex minoribus his, neque mihi fecistis. *Huic autem Minorum titulo, in ipsis quasi Religionis primordijs ex Apostolica authoritate nomen Conuentualium accessit, quod vsque hodie à nobis retinetur. Innocentius enim Quartus Pontifex Maxim. vir doctrina, & sanctitate clarus, per Breue, quod in Archiuio Ecclesiæ nostræ Sanctorum duodecim Apostolorum Romæ integrum seruatur, declarauit Ecclesias Fratrum Minorum, vbi eorum Conuentus existebant, Conuentuales vocari: Vnde Conuentualium nomen Minorum titulo adiunctum est: nomen quidem humillimum, quod nullum honoris, nullum dignitatis, vel sanctitatis titulum præfefert; sed tantum Minorum Fratrum ad vnam Regulam,*

ad vtramque vitæ communitatem vniformiter animum significat. Sub hoc titulo per vniuersum orbem creuit Minorum Religio, & adeò celeriter aucta est, vt superstes adhuc Beatus Franciscus in vno Capitulo Assisii habito contemplatus sit quinque, & eo amplius millia suorum Fratrum, quemadmodum annales Ordinis testantur; quòd miraculi loco iure optimo ascribendum foret; non enim sine speciali Dei Omnipotentis virtute, & gratia tot viri ex tot Prouinciis tam breui spatio ad tàm arduum viuendi modum adduci potuissent. Hæc auctio autem non tàm propter hominum multitudinem, quàm propter spectatæ sanctitatis virorum multitudinem ponderanda est; tunc enim quinque illi Martyres, qui Cathalogo Sanctorum ascripti sunt, dum Maomethicam sectam oppugnant, & Christum Deum verum prædicant, apud Marochium Sarracenorum Vrbem sanguinem profuderant. Tunc septem item Martyres ex eodem Ordine in Ceptâ Africæ Ciuitate per martyrium ad Cælos euolauerant. Non referam tot prodigia, & miracula Beati Antonij? Non multiplicem Doctoris Seraphici Bonauenturæ eruditionem, & sanctitatem, cuius opera, & consilio in Lugdunensi Concilio Græcorum controuersiæ de Fide compositæ sunt. Prætermittam Beatum Ludouicum, Episcopum Tolosanum, Beatam Claram, Elisabeth, & innumeros alios, qui miraculis corruscarunt; ex quorum vita, doctrina, & exemplo, maximam vtilitatem, & splendorem Ecclesia semper consequuta est, vt diuersarum Gentium historiæ testantur. Quis Oranum totius Mauritaniæ munitissimam Vrbem, & alia Infidelium Oppida Christianorum Imperio restituit? nisi ille Archiepiscopus Toletanus, & Cardinalis ex Ordine Minorum assumptus, qui ex prouentibus suæ Ecclesiæ aduersus Mauros classem parauit; & eidem præfuit? Quis Vsumcassanum Persarum, & Armeniæ Principem contra Tyrannum Turcarum adeò excitauit, vt postea (Deo votis nostris fauente) ferè semper illis infestus fuerit? Quis Græcos, & eorum Imperatorem Paleologum ad Lugdunense Concilium, vt in sententiam Rom. venirent Ecclesiæ, adduxit? Quis Tartarorum gentem, & Parthos ad Fidem Christi verbo, & exemplo traxit? nonne hi omnes ex Minorum Conuentualium sodalitio egressi sunt?

In his studijs, & præclaris gestis Ordo Minorum absque vlla controuersia se exercuit per annos ducentos, & eò amplius, in quibus adeò floruit, vt omnes Ecclesiæ gradus, & dignitates adeptus fuerit, eique Summi Pontifices certatim gratias, & priuilegia conferrent, vt in literis Apostolicis facile est videre. Quis verò tunc fuerit in ordine rerum status, quod vitæ genus, quæ regulæ obseruatio, multæ Summorum Pontificum in regulam nostram declarationes, quarum quædam in Decretalibus continentur, testatum relinquunt: adeò enim dubitationibus, & difficultatibus litera regulæ nostræ scatet, vt nisi eam Sedes Apostolica declarasset, nullus dubitandi esset finis.

Principiò quidem, dum pauci adhuc essent Fratres ex mendicato quotidiè fidelium suffragijs victitabant, & vti etiam quotidianis vtensilibus crimen arbitrabantur, ità vt cogeretur Summus Pontifex Gregorius Nonus eorum conscientiæ per literas Apostolicas consulere, qui hæc dixit; Dicimus itaque, quòd nec in communi, nec in speciali debent proprietatem habere, sed vtensilium, & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere, eorum vsum habeant. Et Fratres, secundùm quòd Generalis Minister, vel Prouinciales duxerint, iis vtantur, saluo locorum, & domorum dominio illis, ad quos noscitur pertinere, *(Hæc Gregorius, qui tempore Beati Francisci claruit, & de se dicit:* Et cum ex longa familiaritate, quam idem confessor nobiscum habuit, plenius nouerimus intentionem ipsius, & in condendo præfatam Regulam, & obtinendo confirmationem ipsius per Sedem Apostolicam sibi astiterimus, dum essemus in minori officio constituti, &c.) *Ad quos verò pertineret prædictum dominium sequentes Summi Pontifices declarant. Innocentius Quartus; qui quidem post Cælestinum (qui decem, & octo tantùm diebus Ecclesiæ præfuit) Gregorio successit, eadem ferè verba dixit, hoc adiungens, quòd bona Fratrum non debent vendi, aut alienari sine licentia Sedis Apostolicæ, cum tàm immobilium, quàm mobilium (inquit) ius, proprietas, & dominium nullo medio ad Ecclesiam ipsam spectent, cui domus, & loca prædicta, cum Ecclesijs, & cæteris suis pertinentiis (quæ omnia in ius, & proprietatem Beati Petri suscipimus) omninò tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus immediatè subesse noscuntur. Idem profert Alexander Quartus iisdem verbis. Clemens verò Quartus Anno primo sui Pontificatus, cum iam Fratres Minores valdè essent propagati, & quotidianæ eleemosynæ ad eos alendos non sufficerent, concessit, vt licitè possent succedere in bonis suorum parentum, & possessiones apprehendere, & in suam vtilitatem conuertere. Et Martinus Quartus ex suis literis idem concessisse videtur, cum de Fratribus Minoribus loquens dicit:* Iidem Fratres, qui pro nulla re temporali possunt in iudicio expetiri, vt exclusis quibuslibet solicitudinibus, liberius, & quietius diuinis vacent obsequiis, & offerentium, donantium, concedentium, aut in vltima voluntate relinquentium Ordini prædicto, vel Fratribus eiusdem Ordinis, aliquid propter Deum; ne pia intentio fraudetur, sitque nobis solicitudini, quòd præfatus Ordo pro suis necessitatibus, quoties ingruerit necessitas, vel vtilitas suaderet, recurrere ad Romanam Ecclesiam cogeretur, ad quam omnium rerum mobilium, & immobilium, quibus Fratres vti possunt, ius, proprietas, & dominium nullo medio spectat; &c. *Hæc eadem explicatius declararunt recentiores quidam Summi Pontifices, & præcipuè (vt omnes in paucos includam) Martinus Quintus, Sixtus Quartus, Alexander Sextus, Clemens Septimus, Paulus Tertius, qui etiam concesserunt, vt in hæreditatibus ab intestato obuenientibus, ipsi Fratres nomine Ecclesiæ Romanæ succedere possent, ac si essent in sæculo; Ex quo liquet quòd quasi à principio surgentis Religionis Fratres Minores cœperunt habere vsum non tantùm mobilium, sed immobilium ex liberalitate Sedis Apostolicæ, quæ ipsorum bonorum ius, & dominium apud se recipiebat, vsum verò Fratribus concedebat, quomodo hactenus ante Tridentinam Synodum nobiscum se gessit.*

Hunc viuendi modum maiores nostri sequuti sunt absque vlla impugnatione, & stimulo conscientiæ solliciti semper Ecclesiæ Catholicæ pro sua in eos benignitate, & clementia totis viribus vicem aliquam grati animi rependere, donec circa tempora Concilij Constantiensis quidam nostri Ordinis Fratres priuilegijs Summorum Pontificum, & eorum declarationibus super Regulam abiectis, soli literæ initi cœperunt, & sub prætextu obseruantiæ Regulæ ad mendicationem quotidianam primorum nostrorum Patrum, in quibus egebant, conuersi sunt; quod à Superioribus Ordinis, ne Spiritui sancto obsistere viderentur, facilè illis concessum est. Verùm isti non contenti subduxisse se à communi vita aliorum, in Constantiensi Synodo, quæ Anno Domini Millesimo

qua-

quadringentesimo decimo octauo celebrata est, subduxerunt se etiam ab ordinaria Superiorum potestate, proprios ex seipsis præfectos postulantes. Et id quidem obtinuerunt, non recusantibus, immò assentientibus prælatis nostris, qui ibi aderant, hac tantùm lege præfixa, vt electi ex ipsis Præfecti à nostris confirmarentur; Et quòd Generalis in persona propria eos visitare posset: quòd seruatum est vsque ad annum Domini Millesimum quingentesimum decimum septimum. Tunc verò sub Leone Decimo Pontifice Maximo ita effecerunt quorundam Principum fauore adiuti, quòd ab obedientia nostri Generalis se subtraxerunt, & Obseruantium Regulam sibi nomen vindicando, etiam proprium Generalem obtinuere: Nos interim Summorum Pontificum declarationem, vsumque bonorum eius post Patres nostros, qui Ecclesiam illustrarunt, secuti sumus, tutius esse arbitrantes, piam Ecclesiæ declarationem amplecti, quàm omnimodam Regulæ completionem cum periculo profiteri, & maximè cum videamus etiam ipsos Obseruantię Regulæ professores habere varios redditus, & prouentus, sine quibus minimè viuere possent. Vnde constat, quòd vsus rerum, nostro vsui à Sede Apostolica concessus, paupertati Regulæ non contradicit: tùm quia maiores nostri, qui doctrina, & pietate insignes fuerunt, ita vixerunt: tùm quia nos Regulam B. Patris nostri Francisci non simpliciter iuxta literam, sed eam iuxta Summorum Pontificum declarationem (ita nos docuit Beatus Pater, cum Sedi Apostolicæ suam Regulam subiecit) profitemur, præsertim Martini Quarti, & Quinti, Eugenij Quarti, Sixti quoque Quarti, & Alexandri Sexti.

Errant igitur, & in Sedem Apostolicam matrem nostram temerè inuehunt, qui asserunt nos propter vsum simplicem rerum temporalium Regulæ nostræ aduersari, vel non satisfacere. Quibus tandem Sacrosancta Tridentina Synodus, quæ nobis concedit, vt possimus habere proprium in communi, ora opprimet. Sed quoniam nulla est adeò bonis legibus instituta Respublica, quæ præuaricatores aliquos non habeat, quibus iusti offenduntur, & mali ad præuaricationem excitantur, ita non est adeò sanctis ordinibus distincta Religio, quæ aliquos minus suæ professioni respondentes non habeat, ex quorum vitio publica sæpè in Vniuersos vergit infamia. Quòd quidem ne Religioni nostræ accidat infrascriptas leges collegimus, per quas Religio nostra in sua puritate, & in Patrum nostrorum disciplina conseruabitur ad Dei gloriam, Animarum salutem, & Ecclesiæ vtilitatem.

C I V.

Edita Anno 1565.

APostolicæ seruitutis officium, & infra pagina 172. *Item*, Decens esse, & infra pag. 173. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Postquàm hic Pont. ad viam ioris reduxit, constitutionem Paoli IIII. soper rescissione alienationum rerum Ecclesiasticarum, vt sup in sua constit. 11. pag. 140. t. 1. cognouit multas alienationes rerum Ecclesiæ Romanæ, & Cameræ Apostolicæ, perperam factas fuisse, §. 1. & 2. Propterea eas sine competenti recompensa, aut necessitate, vel euidenti vtilitate factas, irritat d. §. 2. Nullasque fuisse declarat, §. 3. Occupatoribus vassalagium non deberi decernit. §. 4. Et eosdem ad restitutionem cum fructibus teneri. §. 5. Clausulas pręseruatiuas apponit, §. 6. Decretum irritans addit. §. 7. Contrarijs derogat. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Quæ requiruntur, vt ex necessitate, de qua in §. 2. dicatur facta alienatio?

R E S P. Quinque: Et primò, quòd necessitas sit euidens; Secundò, quòd in eum modum sit permissa venditio; Tertiò, quòd non sit superflua quantitas; Quartò, quòd respectu loci, & temporis, immineat opportunitas; Quintò, quòd cesset omnis fraus, vt fusè hæc tradit Osasch. in decis. Pedemont. 171. num. 14. & seqq. cui adhæret, Card. Tusc. in verbo, Necessitas, conclus. 22. n. 9.

Schol. secundum.

Quæro. Sed de qua necessitate intelligendum?

R E S P. De fatali, vt putà si quis incidit in latrones; Et etiam de naturali, vt puta ob infirmitatem, aut familiæ sustentationem. Sed non de alia, quæ euenit data opera, sponte contrahẽdo debita, vel committendo delicta Bald. cons. 20. Incip. Quid importat lib. 2. n. 1. & Boer. decis. 44. n. 27.

C V.

Edita Anno ....

CVm nuper generali, & infra pagina 173. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Taxam mercedis Notariorum causarum ciuilium Gubernatoris Vrbis, Vicarij, Iudicis Burgi, Magistrorum Viarum, & Iudicum Curiæ Capitolij, in casibus, in quibus per Statuta non est prouisum, præscribit, in princ. Et tabellam dictæ Taxæ in loco publico affixam teneri præcipit ibid. Tenorem eiusdem Taxæ subiungit. Et deinde in fine decernit, pro pauperibus miserabilibus personis soluere impotentibus, nihil percipi, iuxta formam suarum literarum.

Schol. primum.

Quæro. Prouisio Statutorum circa eiusmodi taxas, de qua hic in princ. vbi habetur?

R E S P O N. Io lib. 3. fol. mihi 58. secundum impressionem Romæ Anno 1519. Sedente Leone X. non tamen illæ taxæ, sed aliæ à Paulo V. nuper editæ in sua constit. 72. de qua infra seruandæ sunt.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ sunt literæ ad quas fit relatio hic in fine?

R E S P. In const. hanc immediatè subsequenti: Vnde patet, quòd illa istã præcedere debebat: Quod autem subsequatur, impressorum incuria id creditur euenisse.

C V I.

Edita Anno ....

CVm nuper generali, & infra pagina 175. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Taxam mercedis Notariorum causarum criminalium Gubernatoris Vrbis, A C. Vicarij, Senatoris Vrbis, ac Iudicis Burgi, præscribit, in princ. Tabellam dictæ taxæ, in loco publico affixam, teneri pręcipit ibid. Tenorem taxæ subiungit. Et quòd in omnibus casibus pro paupere nihil recipiatur in fin. Ac de paupertate stetur relationi Aduocati, vel Procuratoris paoperum ibid.

Schol. primum.

Quæro. Pauper, quo pacto hic intelligendus?

RESPON. Ita miserabilis, vt mercedem, de qua agitur, soluere non possit, Quia circa Notariorum taxam, habetur etiam alia præcedens constitutio (quæ tamen, vt ibi dixi, subsequi debebat), & ibi post verbum *pauperibus* extant verba illa, *miserabilibus, soluere impotentibus*, & clara est ioris regula, Quòd vna lex aliã declarat l. Sed, & posteriores 28. vbi glos. 1. communiter recepta. ff. de Legibus cum similibus Præsertim quòd sunt inter se vicinæ, Mantic. de Coniectur. vltim. volunt. lib. 6. tit. 13. n. 4.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si quis sit pauper de præsenti, sed spectatur, quòd potens sit soluere in futurum?

R E S P. Posset eius recipi obligatio, quod Notarius tunc habebit ab eo, quod fuerit iustum, & rationabile prout in Rota seruari dicitur in decis. 2. de Constitution. in Antiqu.

PIVS V. Italus, creatus Anno 1566.

CONSTIT. I.

Edita Anno ....

SAnctissimus D. N. Pius, & infra pagina 177. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vt negotia fidei cæteris alijs præferantur, præcipit omnibus Officialibus, Sanctitati Suæ, & S. R. E. mediatè, & immediatè subiectis, necnon alijs locorum Ordinarijs, cæterisq; Magistratibus, & Officialibus, & cuiusuis status, & conditionis hominibus, in tota Republica Christiana eorumq; mandatis, in quibuscumque Officium S. Inquisitionis concernentibus pareant, & obediant, §. 1. Reges, & quoscumq; Principes sæculares hortatur, vt eisdem Inquisitoribus in prædictis faueant. §. 2. Delatos apud dictum Officium, suspensa aliorum criminum cognitione, ad Cardinales prædictos, ac Inquisitionis carceres remitti iubet, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Ante horum generalium Inquisitorum delegationem, quo primùm tempore Inquisitores delegari cœperunt?

RESPON. Circa Annos Domini 1200. temporibus Innocentij III. B. Dominico Ordinis Prædicatorum institutori, exploratum est, eiusmodi Officium fuisse commissum, vt aduertit Pegna in Director. Inquis. part. 3. Comment. 32. vbi de eodem B. Dominico nonnulla recensèt egregia facta: deinq; de prædictæ Inquisitionis exordio, refert Scac. in suo Tractat. de Iudic. cap. 67. n. 4. & meminit Ciacon. in vita d. Innoc.

Schol. secundum.

Quæro. Hoc certè præcipuum Episcoporum munus hæreticos iudicandi erat, cur ergo alijs demandatum?

RESP. Propter varias eorum curas, vel absentiam, ignauiam, vel imperitiam, vt post alios inquit Simanc. de Catholic. institut. tit. 25. num. 1. & 4. & ei assentitur Pegna iam cit.

II.

Edita Anno ....

CVpientes vt beneficia Ecclesiastica, & infra pagina 177. Bullarij.

COMPENDIVM.

Beneficia Ecclesiastica curata in Vrbe, & eius districtu, vt idoneis conferantur personis, statuit, vt à nullis Ordinarijs Collatoribus etiam S. R. E. Cardinalibus aliqua de eis fiat dispositio, nisi à Papæ Vicario generali Vrbis, eiusq; districtus præuio examine, per examinatores ad hoc approbatos, idoneus fuerit repertus, & approbatus, §. 1. & 2. Aliter factas dispositiones irritat, quibuscumq; non obstantibus, §. 3. & 4.

Schol. primum.

Quæro. Quod beneficium dicitur curatum?

RESP. Illud, quod obtinet Sacerdos habens potestatem ligandi, atque soluendi in foro pœnitentiali, & necessitate adstringitur ecclesiastica administrare Sacramenta fidelibus, ad eum accedere coactis in loco certo, certis q; limitibus designato, in quo Populus alicui Ecclesiæ deputatus degit, vt plenè ostendit Rota in decis. Cantuccij 52. par. 2. Diuersor. num. 2. & seqq. & in alijs decisionib. cumulatis à Gonzal. de Mensib. & Alternat. glos. 6. n. 35. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Si plures reperiuntur idonei, quis præferendus?

RESP. Magis idoneus, vt in simili dispositione cauetur in cap. 18. sess. 24. Concil. Trident. At magis idoneus quis sit, multa aduertenda censuit Rota in decis. Cantuccij 16. part. 2. Diuersor. in fine, & in alia decis. Ludouis. nunc Sanctissimi in decis. 40. par. 1. Diuersor. in Nouissimis, vltra alias, quas cumulat Gonzal. vbi supra glos. 4. n. 11. & seqq.

III.

Edita Anno 1566.

SVper gregem Dominicum, & infra pag. 178. Bullarij.

COMPENDIVM.

Innocent. III. Medicis præcepit, vt cum eos ad ægrotos vocari contigerit, ante omnia eos moneant, vt animarum Medicos vocent, §. 1. Hic Pont. id innouat in Medicos, qui hoc cum infirmis in lecto iacentibus, non fecerint, §. 2. Additq; ne tertio die vlterius eos non confessos visitent, nisi confessor longius tempus ob rationabilem causam concesserit §. 3. Coniunctos, & domesticos infirmorum monet, vt de infirmitate Parochum certiorem faciant, §. 4. Parochus, & coniuncti infirmos ad peccatorum confessionem suadeat d. § 4. Medicis contrauenientibus huc Pont. innouat pœnas dictæ constitutionis Innocen. III. Additque pœnam infamiæ, & priuationis gradus medicinæ, & eiectionis ab Vniuersitate Medicorum, necnon pœnam arbitrio Ordinariorum declarandam, §. 5. Medicos non doctorati, nec medendi facultatem habere iubet, nisi præuia promissione iurata hæc omnia obseruandi, alias promotores, & licentiam dantes pœnam priuationis vlterius doctorandi imponit, §. 6. Ordinarijs publicationem huius constitutionis iniungit, & præcipit, vt iuramentum à promotis, vel licentiam habentibus exigant, & hæc iurare recusantes gradu Medicinæ, omnibus priuilegijs priuent, ac ab ingressu Ecclesiæ arceant, quousque resipuerint, §. 7. Contrarijs; non obstare decernit, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. vbi habetur Innocen. III. prohibitio, de qua in §. 1.?

RESP. In cap. Cum infirmitas 13. de Pœnit. & Remiss. de cuius intelligentia agit Nauar. in Manual. Confessor. cap. 25. num. 61. vers. Tertio peccat.

Schol. secundum.

Quæro: Num istæ constitutiones intelliguntur solùm, quoad infirmitates periculosas, & dubias?

RESP. Quicquid alij dicant, intelligas quoad omnes, ob quas infirmi Medicos vocant, cum sic generaliter istæ leges loquantur, & generalis est ipsarum ratio expressa, quæ est, vt infirmis de spirituali remedio prouisis, ad corporale medicinæ remedium salubrius procedatur, & ne qui à principio non grauiter morbo laborant, si deinde grauiùs laborarent, & tunc Confessor confessionem suaderet, io desperationis articulum incidere possent, quod non esset, dum in leui infirmitate, Confessor ex istarum constitutionum præcepto id ageret, vt docet post alios Syluestr. in sua Summ. in verbo Medicus quæst. 3. & Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 1. quæst. 47. artic. 3. vers. Hæc assertio.

IIII.

Edita Anno 1566.

SAnctissimus in Christo Pater, & infra pagina 178. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reuocat quascumque licentias, & indulta celebrandi Missas vespertino tempore, contra antiquum Catholicæ Ecclesiæ ritum, ac Sanctorum Patrum decreta, §. 1. Prohibet illorum indultorum, aut quouis alio prætextu quemquam præsumere eo tempore celebrare, aut celebrari facere, §. 2. Derogatq; contrarijs, §. 3.

Schol.

Schol. primum.

Quæro. Hoc tempus vespertinum quo pacto intelligendum?

RESP. A meridie, qua hora CHRISTVS expirauit, vsque ad Auroram, qua surrexit: Sed cum res morales tàm indiuisibiliter præscribi non possint, dico, quòd meridies intelligitur de hora circiter nona, Aurora autem de prima lucis irradiatione, seu initio crepusculi diei, vt post Summistas, & regulam Missalis Romani, habetur apud Roderic. tom. 1. Quæstion. Regular. artic. 1. & 2. vbi in specie loquitur de interpretatione huius constitutionis.

Schol. secundum.

Quæro. Singulis autem diebus cur Missa celebratur?

RESP. Vt quotidie recordemur mortis eius, qui pro nostrorum remissione peccatorum in Ara Crucis passus est, ita S. Ambros. in cap. 4. de Consecration. distinct. 2. Vt etiam, quia nos quotidie peccamus, & ille denuò mori non potest, per istud Sacramentum, remissionem peccatorum consequamur, vt inquit S. Gregor. in capit. Quid sit sanguis. 73. vers. Prouidens. ead. Distinct. 2. de Consecrat.

V.

Edita Anno 1566.

CVm primùm Apostolatus officium, & infra pagina 179. Bullarij.

COMPENDIVM.

Innouat omnes pœnas iam impositas contra neglectus Diuini cultus, & Simoniæ, Blasphemiæ, & Sodomiæ criminum reos, §. 1. & 2. Et contra eos ab Ordinarijs, & locorum Gubernatoribus procedi iubet. §. 3. Diuini cultus in Ecclesijs obseruantiam, in multis præscribit. §. 4. Tempore Missarum, & Prędicationum, pauperes eleemosynas petere non possint. §. 5. Cadauerum capsæ in Ecclesijs super terram existentes, amoueantur. §. 6. Festorum obseruatio præcipitur. §. 7. Contra simoniæ labe attinctos, Pauli II. & aliorum constitutiones obseruari mandat, & alias pęnas imponit, videlicet. Pro simonia in consequendis Ordinibus, suspensionem eo ipso per decennium, & carcerem per annum, & pro simonia in acquirenda dignitate Ecclesiastica, priuationem ipso iure, & inhabilitatem ad eam, & aliam obtinendam. Ac pro simonia in adeptione beneficij, aut officij Ecclesiastici priuationem, & fructuum restitutionem, vltra inhabilitatem, de qua supra adijcit. §. 8. Pęnas auget contra hoc crimen pluries committentes ibid. Simoniam sacramentalem seuerissimè puniri mandat iuxta Statuta Concilij Tridentini, §. 9. Blasphematoribus pęnas infligit. §. 10. Sodomitis pęnam capitis imponit. §. 11. Contra Concubinarios Ordinarij procedant iuxta statutata Concilij Tridentini. §. 12. Contra Simoniæ, Sodomiæ, & Blasphemiæ criminum reos, etiam ad secretam denunciationem procedi iubet, §. 13. Calumniosos accusatores, ad pęnam talionis teneri mandat, §. 14. Mulctas pecuniarias pro duabus partibus, locis pijs, & pro alia, accusatoribus applicat, §. 15. Baronibus S. R. E. feudatarijs, sub pęna priuationis feudorum, obseruantiam prædictorum iniungit; Aliosque, Principes ad idem hortatur, §. 16. Contrarijs omnibus derogat, §. 17. Transumptis credatur, §. 18. Sanctionem pęnalem adijcit. §. 19.

Schol. primum.

Quæro. Simonia circa Ordines poterit ne committi ab ipsis Competitoribus inter se?

RESP. Poterit quidem tribus modis. Primo, si alter alteri pretium det, vt à concursu desistat, vel suæ electioni cedat. Secundo, si paciscatur non opponere exceptiones, quas habet, & qui beneficium consequetur, alteri pensionem solueret, cum beneplacito Sedis Apostolicæ. Tertio, si pecuniam det viro potenti, vt metum alteri inferat, quòd à concursu cesset, ita scripsit Maiol. de Irregular. lib. 5. cap. 45. nu. 3. Nauar. conf. 3. de Simon. num. 1. in Antiqu. ac Pauis. de Confident. quæst. 47. num. 10. Necnon Bartholom. Vgolin. de Simon. tab. 1. cap. 48. §. 3. n. 5.

Schol. secundum.

Quæro. Calumniosus accusator, de quo in §. 14. quis propriè dicitur?

RESP. Qui scienter falsa crimina intendit l. 1. §. Calumniari, & ibi DD. communiter ff. Ad Senatusc. Turpil. Felyn. & alij Canon. in cap. 1. de Calumniatorib. Boss. de Accusat. n. 24. & Clar. quæst. 62. sub n. 4.

V I.

Edita Anno 1566.

ROmanus Pontifex, & infra pagina 181. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus IV. in sua const. 5. de qua sup. pag. 138. c. 1. contra Hebræos in Statu Ecclesiastico degentes, nonnullas leges edidit, §. 1. Quas hic Pont. comprobat, §. 2. Colorem birreti à masculis, & signi à Mulieribus Hebræis deferen. declarat eum esse, qui vulgo, *giallo*, nuncupatur, §. 3. Prælatis præcipit, vt in eorum locis hanc constitutionem publicent, §. 4. Principibusq; sæcularibus, vt Prælatis faueant in pręmissis rogat, §. 5. Quibuscumque, & etiam Bulla 48. Pij IV. non obstantibus, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Iudæi cur ita nuncupati?

RESP. Multorum sunt variæ opiniones, quarum vna mihi arridet, quòd idem sit dicere Iudæum, & peregrinū, prout re ipsa ita eis successit, cum ferè semper peregrinati sint, modò in Aegyptum, modò per desertum, & modò per vniuersum Orbem, vt ex Paulo Episcopo Burge., scribit Marquard. in tract. de Iudæis par. 1. cap. 1. n. 7. vbi subdit, quòd Euseb. lib. 3. cap. 4. Histor. Eccles. tradit, Petrum Apostolorum Principem, ad eos Epistolam scripsisse, qui in dispersione gentium sunt, intelligendo de Iudæis, tamquàm à proprijs Laribus pulsis, & in dispersione positis.

Schol. secundum.

Quæro. Distinctio habitus Iudæorum, cuius color declaratur in §. 3. quo primùm tempore à Summo Pontifice inducta fuit?

RESP. Innocentius III. in Lateranen. Concilio generali id primùm statuit, ad euitandam confusionem qualitatis personarum, & ritus, quæ excessum præbebant occasionem cap. In nonnullis 15. vbi Zabar. Panormitan. & alij notant de Iud. & Sarrac. & notat Petrus Gregor. lib. 12. Syntagm. iur. cap. 4. n. 9. in fine, & lib. 10. cap. 2. n. 38.

V I I.

Edita Anno 1566.

CVm nobis ex parte, & infra pagina 182. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat bona naufragantium plerumq; ab incolis, & Officialibus locorum diripi in Terris S. R. E. in princ. Imponit ideò pœnas his, qui naufragium patientibus, non subueniunt, §. 1. Commissarium, & Consulem deputat pro eorum recuperatione, §. 2. Soluentibus, aut recuperantibus dicta bona, prohibet ne absque dicto Consule de eis disponant, §. 3. Baronibus, & Officialibus præcipit, vt eidem Consuli faueant, & auxilientur, §. 4. Subuenientibus naufraganti, indulgentias elargitur, §. 6. Commorantibus propè loca naufragiorum, auxilium petentibus pręstari iubet, §. 6. Communitates, & Dominos locorum secuti naufragij, latrones, & occupatores capere decernit, §. 7. Camerarium S. R. E. istarum causarum Iudicem deputat, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Naufragium quid est?

RESP. Damnum secutum ex fractione Nauis, & dicitur Naufragium, quasi nauis fractio, siue damnum sit de ipsa naui, siue de personis, siue de rebus, vt colligitur ex tit. ff. de Incend. Ruin. & Naufrag. iuncto tit. ad leg. Rhod. de Iact. & tradunt Syluest. & Zab. in eorum Summis in verb. Naufragium.

Schol. secundum.

Quaero. Incidit ne quis in poenas, qui retinet bona, quae inuenit ob naufragium in mari iactata?

RESP. Distinguendum est, an ea habita sint pro derelictis, vel non: Quia primo casu licitè, secundo verò illicitè retinentur; Nam qui proijcit illa in mare ad euaden. periculum, non desinit esse Dominus, & qui occupat animo retinendi, furtum committit, vt sequendo glos. iuris ciuilis, sic docet Syluest. in sua Summa in verbo Naufragium. num. 4. Et subdit quod si non restituit quam primùm potest, est excommunicatus per tex. in cap. 3. de raptorib.

VIII.

Edita Anno 1566. & 1570.

CIrca pastoralis, & infra pagina 184. *Item*, Decori, & honestati, & infra pagina 185. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inhaerendo constitutioni Bonif. VIII. in cap. 1. de Statu Monach. in 6. & decreto Concil. Trident. sess. 25. cap. 6. de Reformat. decernit, cuiuscumque Ordinis, & Religionis etiam Militiarum tacitè vel expressè Religionem professis, quocumque nomine nuncupatis, etiamsi ad clausuram non teneantur, clausuram omnino seruare debere, §. 1. Et recusantes, ad eam cogi iubet, §. 2. Mulieres Tertiarias quoque in Congregatione viuentes, & cum solemni voto Religionem professas, ad eamdem clausuram teneri, & si votum solemne non emiserint, Ordinarij, & earum superiores studeant, vt illud emittant, & profiteantur & deinde clausurae se subijciant §. 3. Alij autem volentes absque professione, & clausura viuere, neminem de caetero recipere, & receptationes inualidas esse decernit. & ad sic viuendum inhabiles reddit, §. 4. Vt verò earum, quae viuunt in clausura, victui consulatur, mandat pro eis colligi eleemosynas per earumdem Conuersas non professas, vel professas aetatis annorum 40. & extra Monasterium degentes, Conuersasq; professas amplius recipi vetat §. 5. & 6. Vel alio modo de eleemosynis, eis Ordinarij, ipsarumque Superiores prouideant, §. 7. Et numerus monialium recipiendarum reguletur iuxta redditus monasteriorum d. §. 7. Executores deputat Ordinarios, & monialium Superiores, etiam in locis exemptis, §. 8. & seqq. monialibus è monasterijs exire, & Superioribus licentiam exeundi dare, omnibusque eas comitare, & recipere interdicit, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepraе, aut epidimiae & dum modo infirmitâs haec, praeter alios Ordinum Superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu aliũ loci Ordinarium, etiamsi monasteria exempta sint, cognita, & expressè in scriptis sit approbata, §. 1. in subseq. Bulla: Indulta, & licentias, & facultates totaliter reuocat, §. 3. Decretum irritans addit, §. 4. Locorum Ordinarios huius constitutionis, & Concil. Trid. atque constitutionis praedictae Bonif. VIII. executores deputat, §. 5. Contraria remouet, §. 6. Et transumptis credi indulget, §. 7.

Schol. primum.

Quaero. Illae tres exceptiones (de quibus in §. 2. secundae constitutionis) extenduntur ne ad quemcunq; alium morbum non contagiosum, de quo tamen Medici iudicent aliquam monialem morituram, si inde non exeat in aliquem locum illi, morbo infectae salubriorem?

RESP. Affirmatiuam sententiam multis probat argumentis Nauar. de Regular. Comment. 4. n. 49. Sed egregiè eam reprobat Gutier. de Canonic. Quaestion. lib. 1. c. 14. n. 8. quando casus infirmitatis, vel similis, aliquas singulas moniales concernit: Secus si omnes, vt sunt supradicti tres casus excepti, & potest esse exemplum in casu imminentis belli, vt latè ipse declarat, eiusq; declarationem verissimam puto, eamq; tenet Petr. Cened. in sua Collect. ad ius Canon. & cap. 1. de Statu Regul. in 6. pag. mihi 558.

Schol. secundum.

Quaero. Quid si puella inter moniales pro educatione degens infirmatur?

RESP. Siue infirmetur, siue non, semper (amplius tamen non reuersura,) exire potest, quia clausuram ipsa, professa non est, nec ista constitutio alias, quam moniales ligat, vt notat Nauar. vbi supra, num. 47. vers. Circa quod, vbi sic decisum testatur in Praetorio sacrae Poenitentiariae; Idemq; supponunt multa sacrae Congregationis super interpretatione Concilij Tridentini decreta, quibus conditiones recipiendarum puellarum praefinitae fuerunt, quas recenset Capuccin. in suis adnot. ad Compẽd. Priuilegior. Ordin. Mendic. & non Mendic. in §. Ingredi monasteria, easq; & alias cumulauit Roderic. de Quaest. Regul. lib. 1. quaest. 46. artic. 10.

IX.

Edita Anno 1566. & 1571.

CVm ob innumeras Rom. Pont. occupationes, & infra pagina. 186. *Item*, Dudum postquam, & infra pagina 187. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Pius IIII. in eius constit. 52. de qua supra fol. 15. in causis treguae, & pacis fractae, ab earum fractoribus, vel fideiussoribus, offensam ex noua causa allegari vetuit, §. 1. Et in causis mixti fori, inter Iudicem Ecclesiasticum, & Laicum prouentioni locum dedit. §. 2. Hic Pontifex restringit illam prohibitionem ad principales comprehensos in pace, tregua, vel fideiussione de non offendendo. §. 3. Et terminum sex mensium à Pio IIII. bannitis ad comparẽdum concessum, ad annum extendit. §. 4. Bullam Pij IIII. circa dictam praeuentionem ad terminos iuris reducit. §. 5. Et in subseq. constit. declarat, contra bannitos infra annum captos, sententias, legitimis praecedentibus inditijs, latas, executioni demandan. esse, nec admitten. fore ad nouas, vel alias defensiones absque speciali gratia Papae. §. 6.

Schol. primum.

Quaero. Principales, qui non valent allegare nouam causam, vt in §. 3. poterunt ne saltem se defendendo, excipere, quòd constat ex processu met facto per Curiam?

RESP. Poterunt quidem, vt hanc Bullam sic interpretatus est Hercul. de Caution. cap. 13. num. 5. Baiard. q. 57. num. 55. & Farinac. quaest. 107. num. 507. apud quem, alias habes huius Bullae declarationes. Quibus adde cum ex confessione partis constat de noua causa, ad scripta per Dec. in rubr. de Probat. nu. 85. & 97. & Veron. cons. crim. 57. n. 6.

Schol. secundum.

Quaero. Quae dicuntur esse ea legitima inditia ad inquiren. de quibus in §. vlt.?

RESP. Prolixo sermone opus esset perlege igitur: Marsil. in cons. 2. n. 17. & 47. vsque ad n. 53. & benè Chartar. de hoc loquentè in suo Tract. de Execut. Sent. contum. c. fin. n. 58. & seqq. & postremò Farinac. q. 1. num. 46. & q. 11. n. 16. & seqq. Et hic te monere non praetermittam, quòd hac Bulla non obstante, multae competunt exceptiones bannito, etiam legitimis praecedentibus inditijs condemnato, quas Chartar. eruditè describit, & latè in cap. vltimo: Et ex supradictis exceptionibus à Genitore meo, plerosque à poena capitis liberatos audiui.

X.

Edita Anno 1566.

EX supernae dispositionis arbitrio, & infra pagina 188. *Item*, Indefessa Pastoralis, & infra pag. 190. *Item*, Cum nos nuper, & infra pag. ead. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert à Pio II. editam fuisse constitut. 8. quae est pag. 66. tom. 1. §. 1. Et aliam constitut. 4. à Paulo Secundo editã pag. 68. §. 2. ibid. Subdit Sixtum IV. confirmasse dictam constit. Pij II. qui decreuerat condemnatos pro homicidio saluumconductum à solo Papa habere posse, §. 3. Refert à Iulio II. promulgatam fuisse aliam const. 6. quae est sup. ibid. pag. 84. §. 4. Et aliã const. 6. à Iulio, in qua decreuerat Barones, & alios non posse, bannitos, & criminosos homines receptare, & fauere, sed illos capere debere. §. 5. Refert

etiam

etiam à Leone X. editam fuisse Bullã 36. quę est ibid. pag. 103. §. 6. Et alteram Bullam 10. à Clemente VII. quæ est ibid. pag. 109 §. 7. Et à Pio IIII. editam fuisse aliam constit. 27. hic sup. pag. 8. §. 8. Hic modò Pontifex supradictas omnes cõstitutiones approbat, & innouat, §. 9. Communitatesq. teneri declarat ad damna, & interesse damnum passi ab homicidis, sicarijs, bannitis, si impunè euaserint, necnon ad tantundem Cameræ Apostolicæ persoluen. §. 10 Pœnas in fautores bannitorum ampliat in subseq. const §. 2. Et in altera subsequenti constitutione quotannis hanc Bullam à Communitatibus publicari, & in publicis archiuijs asseruari mandat in §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Hodie carceratus reperitur Compater meus, quod receptauit quemdam bannitum, & pro sua defensione allegat, quòd non potuit prohibere, illum ingredi domum suam de nocte, & summo mane inde discessit, quid futurum credis, attento §. 2.?

RESP. Probato quod asserit, liberabitur à pęna receptationis, vt in terminis similis statuti sic inquit Marsil. in l. 1. §. Item Diuus nu. 13. ff. de Sicar. & Rol. qui alios congerit in cons. 45. lib. 1. num. 76.

Schol. secundum.

Quæro. Allegat idem carceratus, quòd ignorabat illum esse bannitum, & Fiscus probat, quòd publicè dicebatur esse bannitus, quis obtinebit?

RESP. Reus obtinebit, quia ab vno possunt testes publicè dici audiuisse: Secus verò erit, si probaretur publica vox, & fama, quòd esset bannitus Bart. & alij in l. 1. ff. de receptator. Simon. de Pret. cons. 81. num. 18. cum seqq. Scribb. communiter in l. 5. Cod. de his qui latron.

X I.

Edita Anno 1566.

CVm ad vberes, & infra pagina 191. Bullarij.

COMPENDIVM.

Fratres, Monachos, & Moniales, siue Sorores Ordinũ Mendicantium, & alias vtriusque sexus personas Regulares, in toto Orbe constitutas, & eorumdem Conuentus, Ecclesias, & loca omnia, etiam vnita, & dependentia, Terrasq. agros, & cuiuscumque generis bona, necnon & illorum colonos, locatarios, negotiorumq. gestores, eximit ab omnibus collectis, pedagijs, & vectigalibus, subsidio triennali, equorum taxis, & hospitijs Militum, alijsque oneribus impositis, & imponendis, §. 1. 2. & 4. Redditus eorũ, per ipsos Mendicantes, & in eorundem substentationem dũtaxat expendi præcipit, §. 3. Officialibus Camerę Apostolicæ mandat, vt Monasterijs supradictorum Mendicantium in Statu Ecclesiastico existentibus, tantũ salis, quantum pro eorum vsu suffecerit, quotannis assignent, §. 5. Contrauenientibus pœnas infligit, §. 6. Et ita, & non aliter, iudicari decernit, §. 7. Executores huius indulti deputat, §. 8. Contrariaq. omnia refellit, §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Hoc indultum fuitne à Gregorio XIII. reuocatum?

RESP. Reuocatio Gregorij. de priuilegijs à Pio V. erga Regulares elargitis, quæ habetur infra in sua const. 9. hanc Bullam Pij non comprehendit, vt in dicta constit. 9. Gregorij dicetur, Quòd aduertit etiam Author Catechesis Neapol. fol. 302. & Sorbus in Compendio Priuilegior. Fratr. Minor. fol. 451. quos citat, & sequitur Quarant. in Summa quarundam Bullarum in §. priuilegia Regularium fol. 416. in fine.

Schol. secundum.

Quæro. Hac exemptione à gabellis, potiri forsan poterit laicus, habens rem communem cum Regularibus?

RESP. Non, sed diuidenda illa erit iuxta prætij partem, quæ laici portionem tangit, vt relatis alijs tradit Roderic. tom. 3. Quæst. Regul. quæst. 74. art. 14.

X I I.

Edita Anno 1566.

PRouidentia Romani Pontificis, & infra pag. 192. Bullar.

COMPENDIVM.

Reuocat licentias, & facultates concessas Græcis, Latino more, & Latinis, Græco ritu Missas, & alia Diuina officia celebrandi, §. 1. Prohibet Græcis præsertim vxoratis, ne Latino more, & Latinis ne Græco ritu, in vim eiusmodi facultatum, aut quouis alio prætextu celebrent d. §. 1. Huius legis obseruantiam Prælatis, & alijs omnibus præcipit, §. 2. Contraria quæcumque remouet, §. 3. Hanc sanctionem publicari, eiusq. transumptis credi iubet, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid Latinus celebrans in pane fermentato, sit de iure communi grauiter corripiendus?

RESP. Deponendus venit, idest officio, & beneficio priuandus, ad tex. in cap. vlt. de celebration. Missar. & ibi Panormit. num. 1. & idem est dicendum de Græco, qui in Azimo celebraret.

Schol. secundum.

Quæro. Quare in azimo celebrandum est potius, quàm in fermentato?

RESP. Quia Sacramentum Eucharistię CHRISTVS instituit prima die azimorum Matth. cap. 27. Vnde cum ea die nil fermentatum esset in domibus Iudæorum, præsumendum est, quòd CHRISTVS in azimo dictum Sacramentum instituit. Panormit. vbi sup. & Gregor. Tolos. lib. 2. Syntagm. Iur. Vniuers. capit. 6. num. 5. Vnde inquit, D. Paulus 1. Corinth. 5. *Epulamini in azimis sinceritatis, cum Pascha nostrum imolatus est CHRISTVS*, quo tempore Paschæ hoc sacrificium Dominus instituit.

X I I.

Edita Anno 1566.

SAnctissimus in Christo Pater, & infra pagina 193. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciat Pium IIII. decreuisse, quòd in dispensationibus matrimonialibus, pro diuersis consanguinitatis, seu affinitatis ex eosdem stipite prouenientibus, gradibus cõiunctis, non remotioris solùm, sed etiam propinquioris graduum expressa mentio fieri deberet, aliàs dispensationes nullæ essent, in princ. Subditq. illud decretum à dispositione iuris cõmunis, & antiquo Romanę Curiæ stylo nimium recedere, ac libertatem, & fauorem matrimonij restringere ibid. Subdens remotioris gradus non expressionem non inualidare dispensationem d. §. 1. Et propterea hic Pont. dicto mori, ac stylo, atque Gregorij XI. & Clementis VI. vestigijs inhærendo, ac libertati matrimonij fauendo, statuit remotiorem tantummodo gradum exprimere satis esse, obtentis tamen postea literis declaratorijs super propinquitate gradus iuxta Gregorij, & Clem. constitutiones, §. 1. Et ita, & non aliter iudicari posse, §. 2. Contrariaq. non obstare, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Dispositio iuris communis, ac stylus Romanæ Curiæ, de quibus hic mentio facta est, vbi habetur?

RESP. Ius commune constat in cap. 3. & cap. fin. de Consanguin. & affinit. Stylus autem, & constitutio Clem. VI. citatur à Calder. in cons. 1. de Consanguinit. vbi eam subdit non esse impressam, necnon respectiuè à Couar. supra 4 Decret. par. 2. cap. 6. num. 12. & à Guttier. canonic. quæst. lib. 1. cap. 15. num. 128. vbi meminit etiam de alia cõstit. Greg. XI. & pariter à Sanchez. de Matrimon. lib. 8. disput. 24. num. 24. & seqq. pag. mihi 113. qui alios congerit. Et si præterea constitutionẽ Pij IIII. hic pariter enunciatam videre cupis, impressam habes in antiquiori Genitoris mei Bullario pag. 888. ab eo tamen in hoc posteriori vti, reuocatam, scio prætermissam.

Schol.

Schol. secundum.

Quæro. Illa verba, *obtentis postea literis declaratorijs*, de quibus in fine §.1. quæ conditionem importare videntur, fortassè operabuntur, quòd, ante impetrationem dictarum literarum, matrimonium sit inualidum?

RESP. Verba prædicta verè in isto casu non important conditionem, quia in Bulla deciditur, primas literas validas esse, etiam non expresso proximiori gradu. Quòd intellige, si affinitas consurgit ex actu fornicario occulto, Prob. in addition. ad Monac in rubr. de Cognat. spirit. in 6. Secus verò si dispensatio petitur in foro exteriori: Tunc enim sunt secundæ literæ obtinendæ, ad tollendam ansam scandali eorum, qui videntes, non esse dispensatum in gradu proximiori, existimarent matrimonium irritum esse; Ita censuit Stephan. de Gaeta in repet. cap. Ad limina caus. 3. quæst. 1. §. 4. num. 263. Et meliùs explicat Sanch. mox citat. num. 28. & seq. Et apud eos eiusmodi literarum declaratoriarum tenorem poteris videre.

XIIII.

Edita Anno 1566. Sanctissimus in Christo Pater, & infra pagina 193. *Item*, Cum illius vicem, & infra pagina 194. *Item*, Ad Rom. Pontificem, & infra pagina 194. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciat Concilium Tridentinum decreuisse, inter certas tantùm personas contrahi cognationem spiritualem, & deinde dubitatum fuisse, an qui ante confirmationem dicti Concilij, vltra personas prædictas cognatione spirituali coniuncti erant, absque dispensatione Apostolica matrimonium contrahere possent in princ. Et enunciat dictū Concilium decreuisse affinitatem, quæ ex fornicatione contrahitur in illis tantum attendi debere, qui primo, vel secundo affinitatis gradu coniunguntur, & deinde fuisse dubitatum, an matrimonia inter personas, quæ ante confirmationem Concilij, tertio, vel vlteriori gradu eiusmodi affinitatis coniunctæ erant, post prædictam confirmationem dicti Concilij absque dispensatione Apostolica contracta, & quæ contrahi contigerit, dirimi debeant, §. 1. Declarat itaque primum dubium, & affirmatiuè resoluit, §. 2. Secundum verò negatiuè, si fornicatio infra secundū gradū peruenit, §. 3. Præterea quia Concil. cognationem spiritualē inter certas personas restrinxit, declarat ad alias personas, quàm expressas, nō extendi, §. 1. subseq. const. Et nullum hodie impedimentum remanere, quominus in vlterioribus gradibus, quàm à Concilio expressis liberè, & licitè matrimonium contrahi possit, §. 1. alterius subseq. const.

Schol. primum.

Quæro. Cognatio eiusmodi contrahitur ne inter patrinos?

RESP. Non, etiā inspecto iure antiquo, & ideò multo minus iure isto, quia Concil om, & Pius voluerunt potius cognationem hanc coarctare, quam protendere, vt ad propositum huius Bullæ notat Sanchez. de Matrim. lib. 7. de Impediment. matrim. disput. 54. num. 12.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si vir, & vxor simul, alienum puerum de sacro fonte leuent?

RESP. Nulla inter eos contrahitur spiritualis cognatio & sic post alios, aduertit Sanchez. ibid. nu. 13. vbi alios authores adducit.

XV.

Edita Anno 1566. Sanctissimus in Christo Pater, & infra pagina 194. *Item*, Cupientes litium, & infra pag. 195. *Item*, Quia sicut accepimus, & infra pagina 195. Bullarij.

COMPENDIVM.

Dānat abusum, quo familiares Cardinalium Defunctorum, bona in eorum ministerijs teneri solita, inuitis heredibus, vsurpent, vel in nouorum Cardinalium creatione, aut alijs temporibus certum quid extorqueant, §. 1. Decernit quòd super bonis quorumcumque Prælatorum Curiæ familiares non possint in præiudicium aliorum creditorum petere salarium non conuentum in princ. constitut. subseq. Innonatq. constitutionem 43. Pauli III. quæ est sup. pag. 130. §. 1. Prohibet peti regalia, de quibus hic supra in princip. §. 2. Cameram in satisfacien. creditoribus præferri iubet, pro anulo, & capella, §. 3. Postea creditores pro rebus cibarijs, §. 4. Successiuè pro vestiarijs, §. 5. Deinde mercenarios pro mercede conuenta, §. 6. Executorem deputat Aud. Cameræ, §. 7. Contrarijsq. derogat, §. 8. Declarat Aromatarios non connumerari inter creditores pro cibarijs in §. 1. subseq. constit.

Schol. primum.

Quæro. Nonne etiam de iure communi, salarium non specificè conuentum, minimè debetur?

RESP. Verissimum esse probat Tex. in l. 1. in fine, & in l. Salarium 17. Cod. mand. l. Qui mutatam. 6. §. Salariū. eod. tit. Natta conf. 376. num. 4. Rota in decis. Seraphini 65. num. 1. in Nouis, & in decis. Binarini 559. par. 2. Diuersor. num. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Est ne propterea hæc Bulla otiosa?

RESP. Non, quia locum habet eius dispositio, etiam in familiaribus, qui essent soliti locare operas suas, Dominis eos solitis conducere, & etiam quòd in Vrbe extet generalis consuetudo dandi salarium. Derogat etenim hæc Bulla, quibuscumque contrarijs, & sic non attenditur solitum, neque consuetudo prædicta, quæ erat attendenda de iure communi, Alex. conf. 109. lib. 6. in princ. Socc. sen. consil. 196. in fin. Natta, & Rota in decis. præcit.

XVI.

Edita Anno 1566. Pia deuotio, & assidua cura, & diligentia, & infra pagina 196. Bullarij.

COMPENDIVM.

Commendat artem Agriculturæ Vrbis Romę, §. 2. Confirmat noua eius Statuta, §. 3. Iurisdictionem cognoscendi causas inter homines artis, & de rebus ad artem spectantibus Consulibus dictæ artis delegat, §. 4. Decretum irritans apponit, §. 5. Contrarijs derogat, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Perdit fortassè priuilegia nobilitatis, qui Agriculturæ artem exercet?

RESP. Non, qui eam in suis fundis exercet, vt remotis contrarijs scribit Tiraquell. de Nobilit. cap. 32. vbi latè & Guidop. decis. 41.

Schol. secundum.

Quæro. Qui sunt homines huius Artis Agriculturæ, & quæ res spectantes ad eam artem?

RESP. Statuta dictæ Artis cap. 22. & seq. ita bene explicant, vt nihil vltra desiderandum videatur, iunctis præsertim annotationibus celeberrimi Iurisconsulti D. Fuluij de Fuluijs, & Benignis in Romana Curia Aduocati Primarij appositis ad dicta Statuta eiusdem Artis, Romæ edita, Anno 1595.

XVII.

Edita Anno 1566. Dignum, & rationi congruum, & infra pagina 196. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Paulum III. reintegrasse facultatem Populi Romani, cuius Conseruatores consueuerunt ex Pontificali, & Imperiali priuilegio quoscumque sclauos Christianos iam effectos ad eos pro libertate cōfugientes, & libertatem acclamantes, liberare, §. 1. Eamdem facultatem ipse Papa confirmat, & de nouo concedit, §. 2. Et sclauos sic de cætero liberandos, pro liberis hominibus, & Romanis Ciuibus,

bus, vbique haberi decernit ibid. Et ita, ac non aliàs iudicari præcipit, §.3. Contrarijsq. derogat, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Pauli III. indultum hic enunciatum vbi per legere possem?

RESP. In antiquiori Genitoris mei Bullario fol. 357. vbi in fine (impressorum forsan incuria) hæc verba desiderantur, videlicet. Datum Romæ apud S. Petrum quinto Kal. Iulij anno Primo, & ob id ab eodem Genitore in hoc nouo eius Bullario illud prætermissum puto.

Schol. secundum.

Quæro. Num hodie Christiani in bello victi, efficiuntur sclaui, aut serui Christianorum?

RESP. Non, ex antiqua, & obseruata, laudibilique consuetudine, de qua meminit Bart. in l. Hostes. 24. ff. de Captiu. & post lim. reuers. & Simanc. de Catholic. instit. in tit. 61. de Seru. num. 2. vbi alios ad hoc allegat.

X V I I I.

Edita Anno 1566.

CONsiderantes varia dispendia, & infra pagina 197. Bullarij.

COMPENDIVM.

Declarat iurisdictionē Aud. Cameræ nō præiudicare iurisdictioni Vicarij Papæ, circa personas Ecclesiasticas, loca pia, eorumq. bona, etiamsi agatur de obligatione in forma Cameræ, seu Ripæ, & Ripettæ §. 1. Et ita, & non aliter iudicari posse d. §. 1. Contrarijsq. derogat, §. 2. & 3.

Schol. primum.

Quæro. Quid hodie seruatur in causis eiusmodi obligationis Cameralis, quoad Hebræos?

RESP. Reformatio Pauli V. in sua constitution. 71. §. 7. nuperrimè edita, ideòq. à Genitore meo in rubr. huius Bullæ de more non indicata.

Schol. secundum.

Quæro. Cameralis obligatio semel extensa inter easdē personas in vno Officio Notariatus, erit forsan extendenda de nouo, vel reproducenda in Officio alterius Notarij causæ, cuius ipse est actuarius?

RESP. Affirmatiuam sententiam tenuit Rota coram Lancell. in vna Romana Releuationis à molestijs die 12. Ianuarij 1601. in vers. Non obstat. in manuscriptis meis tom. 8. fol. 121. eam adducens rationem, quod Notarij, licèt sint vnius Tribunalis, habent tamen acta separata, neque vnus intromittit se in negotijs alterius, vt dixit etiam Rota coram Pamphilio in vna Romana Cēsus die 4. Decembris 1595. d. tom. 8. fol. 120. vers. Non obstat.

X I X.

Edita Anno 1566.

CVpientes pro commisso nobis Apostolico munere, & infra pag. 197. Bullarij.

COMPENDIVM.

Innouat constitutionem Clementis VII. editam contra Barones, & alios, frumenta, vltra eorum vsum ementes, aut ad Vrbem deferri impedientes, §. 2. Ementes absque licentia blada, vltra dictum vsum, vt carius vendant, pœnis alligat, §. 3. Baronibus, & alijs vltra dictum vsum, subditorum frumenta, aliaq. blada ementibus, vel ad Vrbem deferentes impedientibus, alias pœnas infligit d. §. 3. Et hos deferentes à solutione Gabellarum, & aliorum onerum eximit, §. 4. Quidquam ab eis exigi, omnibus interdicit, §. 5. Imò eos pro debitis etiam Cameralibus non molestari præcipit, §. 6. Agriculturam exercentes, dum colunt, vel seminant, aut colligunt frumēta, pro eorum debitis vexari prohibet, dummodò aliundè quam ex Agriculturæ fructibus soluere non possint, §. 7. Boues, & instrumenta aratoria in hypotheca non comprehendi, & priuilegijs dotis gaudere, ac in executione ciuili non auferri mandat, §. 8. Executores deputat, §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Instrumenta aratoria, de quibus in §. 8. quæ dicuntur?

RESP. Ligones, aratra, vltra boues, & seruos aratorios, l. Executores 7. & ibi Bald. & alij Cod. quæ res pignor. oblig. poss. Plot. de in lit. iur. num. 712. Ferret. de Gabell. num. 125.

Schol. secundum.

Quæro. Si executor eiusmodi instrumenta aratoria caperet, posset ne Dominus eorum propria authoritate recuperare de manu executoris?

RESP. Posset, quia executori iniustè exequenti, resisti potest, tamquàm priuato, vt in specie sic probat Plot. in loco cit. & Menoch. de Arbitrar. Iud. casu. 578. numero 7. Quòd limita in casibus, in quibus possent ea capi, non obstante dicta regula prohibitiua, quorum duo ponuntur à Ploto in illis duobus limitationibus ab eo traditis.

X X.

Edita Anno 1567.

REgularium personarum, & infra pag. 198. *Item.* Decet Romanum, & infra pag. 199. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reuocat quascumque facultates, & licentias ingrediendi Monasteria, & domos virorum, cuiuscumque Ordinis Regularis, Mulieribus cuiuscumque status, ordinis, & cōditionis, & quacumque dignitate, & præeminentia præditis quoquomodo concessas, §. 1. & 2. Mulieribus illas prætendentibus excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruatæ pœnam, post habitam eiusmodi Bullæ notitiam, infligit, §. 3. Viris autē Regularibus ne eas admittere præsumant, sub pœna priuationis officiorum, inhabilitatisq. ad illa, & alia, & suspensionis à diuinis ipso facto incurrēda, prohibet, §. 4. Quascumque Mulieres comprehensas declarat, etiam non habentes, vel habere prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi Monasteria Virorum Ordinis Regularis, §. 1. & 2. in constit. subseq. Aditum autē eisdem Mulieribus non præcludi ad Monasteria, & Claustra, quando in eis Missæ, & Diuina Officia celebrantur, & dum processiones fiunt, & quando Christi fidelium cadauera sepeliuntur, ac pro eis suffragia fiunt, §. 3. Vel quando Diuinum verbum in Claustris proponitur, vel alia ex causa tantus Populi concursus fit, quòd cōmodè ipsæ Mulieres non possent ingredi, & egredi, per portam Ecclesiæ, quo casu illæ cum alijs sæcularibus personis, possint ingredi, & egredi per portam Claustri, dummodò recto tramite accedant ad portam, qua exitur à Monasterio. §. 4. Et ita, & non aliter iudicari mandat non obstan. quibuscumque, §. 5. & 6.

Schol. primum.

Quæro. Appellatione Monasteriorum, & domorum de quibus in §. 1. num veniunt etiam illa, quæ sunt in fieri, vel in quæ Conuentus non fuerit introductus, sed aliqui Regulares potius pro Fabricæ seruitio, quàm aliter habitauerint?

RESP. Non quia in eis non est talis clausura, vt Mulieres ex intrando huius Pontificis lege comprehendantur prout diffinitum fuisse à Congregatione Illustrissimorū Dominorum Cardinaliū super interpretatione sacri Cōcilij Trident. scribit Capuccin. in Cōpend. Priuil. Fratr. Minor. in §. Ingredi Monasteria vers. Et aduertendū pag. mihi 365. in fine, & sequitur Steph. Quarant. in Sum. quarundam Bullarum in verbo Monasteria pag. mihi 307.

Schol. secundum.

Quæro. Licentia eiusmodi ingrediendi Monasterium intelligitur forsan finita statim finito negotio, ad quod concessa fuit?

RESP. Moraliter debet interpretari, non autem punctualiter, & metaphisicè, vt nulla mora ingredi sit necesse, recta via, completo negotio: Sed ibi aliquantulum permanere, officinas circumiendo, dummodò absit corrupta aliqua intentio, vt ex mox supracitato Capuccino Colle-

ctore

ctore Compend. tenet, & explicat Roder. de quæst. Regular. tom. 1. quæst. 47. artic. 11.

X X I.

Edita Anno 1566.

CVm sicut accepimus, & infra pag. 200. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit Procuratores Officij Sacræ Pœnitentiariæ, seu Contradictarum, & quoscumque Solicitatores, & Scriptores, qui veritatem facti in dispensationibus matrimonialibus, & alijs gratijs obtinendis à narratione, quam à partibus habuerunt, quoad substantialia, & qualitates necessariò exprimendas, diuersam faciunt, interuertunt, immutant, deprauant, & per subreptionem, vel obreptionem gratias à Papa extorquent, pœnam falsi incurrere, eaq; puniri decernit, §. 1. Mandat Iudicibus Gubernatoris Vrbis, Aud. Cameræ, & Vicario, reos culpabiles repertos, pœna falsi puniri, §. 2. Quibuscumque non obstantibus, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quod est munus eiusmodi Procuratorum Pœnitentiariæ?

RESP. Hi, veluti causarum patroni, libellum suarum precum dictitant, & quasi causas orant apud ipsum Summum Pœnitentiarium, à quo postulata concedi, & exinde diplomata expediri curant. Ita scribit Vestr. in pract. Rom. Cur. lib. 1. cap. 2. num. 4. Gomes. in prolog. Regular. Cancell. quest. 1. Necnon Petrus Greg. Tholos. par. 2. Syntagm. iur. lib. 15. cap. vlt. sub num. 16.

Schol. secundum.

Quæro. Nùm pœna falsi, de qua hic, incurratur, etiam si dispensatione quis vsus non sit?

RESP. Affirmatiuè, quia delictum totaliter consummatum fuit, in ipsa falsa expressione, quæ hic ponitur per ea, quæ notant Hostiens. & alij in cap. penult. de Crimin. fals. & tradit Farin. quæst. 150. n. 54.

X X I I.

Edita Anno 1566.

INter multiplices curas, & infra pag. 200. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, quòd ipse in minoribus existens, Sanctissimi Officij Romanæ, & vniuersalis contra hæreticam prauitatem Inquisitionis negocia tractauit, & quòd rei inquisiti diuersimodè sententias, & decreta ad eorum fauorem extorserunt, & varias literas Apostolicas desuper habuerunt, in princ. Eas ergò in causis hæresis emanatas, reducit ad terminos iuris communis, & reuocat easdem, quatenus contra sui fint iurisdictioni, & stylo Inquisitionis, & eiusmodi sententias absolutorias sic prolatas nunquam transire in iudicatum decernit, §. 1. Datq; facultatem Inquisitoribus, huiusmodi causas reuidendi, non obstantibus sententijs à Sede Apostolica confirmatis, §. 2. Pauli IIII. const. 19. de qua sup. pau. 142. contra hæreticos editam comprobat, §. 3. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §. 4. Contrariaque remouet, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Nùm etiam de iure communi verum est, sententias absolutorias eiusmodi non transire in iudicatum, vt hic quoque dispositum est in §. 1.?

RESP. Sic fauore fidei tenendum probat Luc. de Pen. in l. vnica arg. d. l. Cod. de Sent. aduers. Fisc. lib. 10. num. 3. quem sequitur Ioann. Royas, & Simanc. quibus adhæret Pegna in Director. Inquisit. par. 3. Comment. 37. vers. Sed quid si absoluatur, & Scac. de Iudic. cap. 95. num. 2.

Schol. secundum.

Quæro. Ampliatur ne hæc regula, etiamsi rei sint tamquàm innocentes absoluti?

RESP. Ita sanè, quia etiam eo casu militat fauor fidei ideoq; est pariter attendendus, prout tenet Pegna in addit. ad Conrad. Brunaliter sentientem, in tract. de Hæret. lib. 4. cap. 8. n. 14. & Farinac. quæst. 185. n. 197.

X X I I I.

Edita Anno ...

CVm fel. record. Pius IIII. & infra pagina 201. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. in sua const. 79. de qua sup. pag. 23. statuit, quòd quicquid maior pars Cardinalium Congregationis Sanctissimę Inquisitionis, qui in ea interuenerint, validum sit, perinde ac si omnes ibidem interuenissent, in princip. Hic Pôt. idem mandat in eo, quod maior præsentium statuit, vel duo solum aliquibus absentibus, perinde, ac si omnes, & singuli interuenissent, §. 1. 2. & 3. Contrarijsq; derogat, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Illa dictio, *perinde*, nùm veritatem, hoc est totalem iuris similitudinem importat, in casu assimilato?

RESP. Ita sanè, secundùm Bald. in l. Vtrum 26. §. perinde. ff. de Petit. hæred. num. 1. Dec. cons. 360. num. 4. Ac Igneus in l. 1. §. Seruus. ff. Ad Syllanian. num. 13. vbi ex Bart. quem allegat, quasdam huius significationis limitationes adducit, quæ non faciunt ad casum nostræ constit.

Schol. secundum.

Quæro. Absentes, de quibus hic, fortasse intelliges, ab Vrbe?

RESP. Non, sed à Congregatione, aliàs difficillimum foret ostendere, quæ pars Cardinalium abesset ab Vrbe de præsentibus in Congregatione, ita è contra loquendo de absentibus à Congregatione intellexisse censetur d. l. Vtrū, & l. Sed & posteriores. 28. ff. de Legib. cum alijs vulgat.

X X I V.

Edita Anno ...

CVm sicut accepimus à dilecto filio, & infra pag. 202. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. & alij Pontt. decreuerunt, reos condemnatos ad fauorem Fisci Cameræ Apostolicæ non admitti ad appellan. non facto deposito pęnæ, in qua quis condemnatus est, vel de se constituendo in carcere, & ibidem remanendo in quacumq; parte iudicij §. 1. Hic Pont. limitat, & restringit ad diuites, alios autem appellare indulget, data fideiussione in forma deposit., §. 2. Excipit tamen confessos, contra quos Iudex à quo exequi poterit, §. 3. Contrarijs derogat, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Si quis à sententia Iudicis Baronis appellat ad eumdem Baronem, qui habeat secundas instantias, tenetur forsan ad depositum, vel cautionem, de qua hic?

RESP. Non certè, quia hæc ad fauorem Fisci Cameræ Apostolicæ constitutio emanauit, cuius interesse cessat in casu proposito, & spectat ad Baronem, ita tradit Farinac. quæst. 101. nu. 104. Scacc. de Appellat. lib. 3. cap. 2. quest. 17. limit. 48. n. 34. & Marchesan. de Commissionib. appell. in caus. crim. par. 1. §. 1. n. 105. iuxta vltimam impressionem.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si vassallus à sententia Iudicis Baronis, appellaret ad Curiam Papæ?

RESP. Iste casus contingere potest, si secundæ instantiæ non sint à Papa concessæ Baroni priuatiuè quoad Cameram Apostolicam; Et tunc dico locum habere dispositionem, de qua in hac Bulla, quoad depositum, & executionem Peregrin. de Iure fisc. lib. 1. tit. 2. num. 98. in fine. Quia tunc pœnæ spectant ad dictam Cameram Thesaur. decis. 250. num. 1. in fine iuncto num. 5. vers. 5. & in fine, Capic. decis. 27. num. 19. Capiblanc. de Author. Baron. in Pragm. 8. par. 1. num. 18. & in terminis nostris Farinac. vbi sup.

sup. sic obseruari vidisse affirmans, & sequitur Scac. in loco cit. & ambo loquuntur de Bulla Pij, de qua hic agitur. Et Farinaccio non benè contradicit Guazin. de Defens. reor. defens. 36. cap. 5. sub num. 2. Quia fundat se in Chassaneo, & Narta, qui non loquuntur in istis terminis appellationis, & depositi.

XXV.

Edita Anno ....

ACcepimus, quòd postquam, & infra pagina 202. Bullarij.

COMPENDIVM.

Dominicus, & Angelus de Capranica S.R.E. Cardinales, vnum Collegium Scholasticorum in Vrbe, & aliud Stephanus Nardinus Cardinales fundarunt, & dotarunt, & constitutiones pro vita, moribus, & professione ibi studentium, ediderunt, in princ. Eorumq. Collegiorum gubernium Custodibus Hospitalis S. Saluatoris de Vrbe cōcesserunt ibid. Sed Scholares illorum Custodium regimē, & iurisdictionem euitare tentarunt, §. 1. Paulus III. eorūdem iurisdictioni subiecit, & Scholaribus appellationem in casu grauaminis, ad Vrbis Conseruatores dedit, Scholaresq. recusantes sustinere conclusiones secundum Statuta, ipso iure à Collegio expelli decreuit, §. 2. & 3. Paul. IV. hæc approbauit, §. 4. Necnon pariter, & Collegij constitutiones hic Pont. comprobat, §. 5. Armorum omnium vsum (non tamen ensis in Camera) prohibet, §. 6. Ludos quoq; alearum, & taxillorum, §. 7. Vestem lōgam cum solito Capuccio, & extra Collegium à Scholaribus deferri iubet, §. 8. Logicæ, & Philosophiæ operam eò vsque dare permittit, quousque eis sufficiat ad ingressum Theologiæ, & pariter iuri ciuili, quousque sufficiat pro ingresso ad ius canonicum, §. 9. Scholares elapso triennio quatuor Ordines minores accipere iubet, §. 10. Et quotidie Officium Beatæ MARIAE Virginis recitare, §. 10. Ac idoneos se præbere, ad recipien. Ordines sacros, si beneficia Ecclesiastica eis conferrentur ibid. Obseruātiam huius constitutionis dictis Custodibus præcipit, §. 11. Cōtrarijsq. derogat, § 12.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore prædicti Cardinales creati, & ab eis Collegia ista instituta fuerunt?

RESP. Dominicus à Martino V. anno 1426. & Angelus à Pio II. anno 1460. Stephanus autem à Sixto IIII. anno 1473. Vt scribit Ciacon. in Vit. dictorum Pontificū. Collegium verò Capranicen. pro pauperibus Scholaribus ex testamento Dominici anno 1458. & Nardinum à prædicto Stephano anno 1488. instituta fuere, vt scribit Camill. Fanuc. de Oper. pijs Vrb. lib. 2. cap. 5. & 6.

Schol. secundum.

Quæro. Quidam Scholaris, qui (vt heri euenisse fertur) vendit alteri suum locum huius Collegij, committit ne simoniam?

RESP. Hoc sodalitium licet non sit spiritnale, videtur tamen ei annexum ex his? quæ disponuntur in §. 8. & seqq. & ideò hæc venditio importat simoniam; prout in vendente ius patronatus, quod est spirituali annexum, ita de similibus Collegijs loquendo arguit, & tenet Nauarr. cons. 47. de Simon. num. 1. secundum impressionem Brixiæ, & 89. iuxta impress. Venet. Subdit tamen non incidere in pœnas extrauag. 2. de Simon. quia illæ imponuntur ibi contra simoniacos in ordine, & beneficio Ecclesiastico.

XXVI.

Edita Anno 1567.

CVpientes malitijs nonnullorum, qui fructus, & infra pag. 204. Bullar.

COMPENDIVM.

Applicat Cameræ Apostolicæ, omnes fructus, & iura beneficiorum Sedi Apostolicæ reseruatorum, seu affectorum, Regni Neapolis, aliter, quàm per cessum vacantium, & pro rata temporis, quo vacant, §. 1. Ordinarijs, & alijs prohibet, ne in illis se intromittant, §. 2. Sic iudicari præcipit, §. 3. Nuncio dat facultatem illos colligendi, §. 4. Quibuscūq; non obstan. §. 5. Transumptis credi mandat. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. A quo addiscam, quæ sint huiusmodi beneficia Sedi Apostolicæ reseruata, de quibus in §. 1.

RESP. Plures de hac materia scripserunt, sed omnium plenissimè Gonzal. sup. 8. Reg. Cancell. in glos. 51. per totam. Illam perlege.

Schol. secundum.

Quæro. Affecta autem, de quibus in d. §. 1. quæ sunt, & in quibus differunt à reseruatis?

RESP. Affecta dicuntur beneficia, quæ semel Papa contulit: Eius etenim prærogatiua est, supremę suæ potestatis, ut in quibus manum apposuerit, alij se non intromittant, vt per multa iura ostendit Mandos. in procem. Regul. Cancell. quæst. 5. num. 6. & seqq. & Simonet. in suo tract. de Reseruat. benef. quæst. 64. quibus adhæret Gonzal. supra Reg. 7. Cancell. num. 115. in Procem. Et differunt à reseruatis, quia reseruatio fit verbo, idest lege, vel regula, affectio autem fit facto, idest per manus appositionem, vt tradunt ijdem vbi supra.

XXVII.

Edita Anno ....

ACcepimus multos, & infra pagina 204. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit in causis discussionum Tribunalis A.C. creditores vsque ad summam scutorū quinquaginta inclusiuè pro quolibet, qui verè sint, & pauperes miserabiles personæ, cæteris creditoribus præferri, eisque satisfieri, §. 1. Et summariè per A.C. desuper procedi, §. 2. Et ita, & non aliter iudicari, §. 3. Contrarijs remotis quibuscumque, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Num etiam in alijs Tribunalibus Vrbis hanc eamdem legem obseruari videmus?

RESP. Coram omnibus Iudicibus Ordinarijs obseruabatur olim, & nuper fel. record. Paulus V. in sua constit. 71. §. 11. hoc idem expresse decernit.

Schol. secundum.

Quæro. Miserabilis persona, dicetur ne vidua, si diues sit?

RESP. Non, quia priuilegium istud non est concessum personæ miserabili simpliciter, quo casu dubitabilis esset iste articulus, sed pauperi, & miserabili, vt patet ex proœmio: Ideò cessante paupertate, non sufficit qualitas viduitatis, quæ miserabilitatem inducit, vt in his terminis docet per illum tex. Card. Zabarella in cap. Significantibus. 38. de Offic. Delegat. nu. 1. & 2. ad finem. vers. Quæro. Imola ibid. num. 2. 11. & 16. quos sequitur Maran. in suo Specul. par. 4. §. Iudicium mercatorum. nu. 195. & seq. Ias. in l. Titiæ textores. 36. ff. de Legat. 1. no. 31. & alij plerique.

XXVIII.

Edita Anno 1567.

SIcuti bonus Agricola, & infra pagina 205. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. in sua constit. 95. de qua sup. pag. 28. multa priuilegia Militiæ, & Hospitali Sancti Lazari, & alia concessit, §. 1. Et hic Pont. comprobauit, §. 2. Nunc autem illa reformare intendens, declarat reintegrationem, & translationem dictæ Militiæ, & Hospitalis firmas remanere, §. 3. Concessiones, & indulta ante Pium IIII. confirmat, quatenus in vsu sint, & nemini præiudicialia, §. 4. Concessiones autem Pij IV. reuocat, & limitat, vt infra, cum conditione, quòd ipsa Militia obsequijs S.R.E. semper parata sit, contra eius hostes, §. 6. & 7. Subdit infra-

strascripta subsistere priuilegia, videlicet. Quòd electio Magni Magistri spectet ad Religionem: Confirmatio verò à Sede Apostolica infra tres menses obtineatur, §.8. Magnus Magister, & Conuentus de licentia Sedis Apostolicæ principalem locum transferre, & habitum, regulam, & statuta reformare possit, §.9. Magnus Magister instituere valeat quæcumq; simplicia beneficia de iure patronatus laicorũ, in Commendas, & Hospitali, ac Militiæ incorporare, & in eis, de personis idoneis prouidere. § 10. Quòdq; confirmatio einsmodi institutionum, & eorum incorporationis, si citra, infra quatuor menses, si verò vltra menses einsmodi beneficia consistant, infra sex menses, à die, quo factæ fuerint, à Sede Apostolica impetrentur, §.11. Hospitalia, & leprosariæ quæcumque Hospitali S. Lazari subiecta censeantur, & per Fratres huius Religionis regantur, §.12. Præseruatur tamen iurisdictio Ordinariorum iuxta ius commune, & Concilium Tridentinum, præterquàm in exemptis ab eo, pro militibus Hierosolymitanis, & excepta contributione pro Seminarijs, §. 13. Facultatem dat Militibus etiam cum vna tantùm & virgine coniugatis, percipien. annuam pensionem ducat. 500. §. 14. Exemptionem à iurisdictione quorumcumque tàm spiritualium, quàm temporalium, & à solutione cuiuscumq; oneris realis, & personalis, §. 15. In atrocioribus tamen locus sit præuentioni inter Magnum Magistrum, eiusq; deputatos, ac locorum tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus Ordinarios, §. 16. Exemptionemque concedit à decimis, noualibus, quartis, seu canonica portione, & charitatiuo subsidio, §.17. Facultatem quoque extrahendi frumenta, ac alios fructus, & pecunias, ex locis Militiæ, & Hospitalis, §.18. Exemptionem extendit quoad bona patrimonialia post emissam professionem, §. 19. Iurisdictionem tribuit, & authoritatem Magno Magistro, eiusq; delegatis, inter omnes personas Ordinis, priuatiuè quoad alios, §.20. & seqq. Prouidendiq; contra inobedientes, §.23. Et quascumque lites ad se auocandi, §. 24. Ac sententias, & rem iudicatam exequendi, §.25. Appellationem à sententijs delegatorum concedit ad Magnum Magistrum, & Conuentum, & ab istis, ad Capitulum generale, §.26. Decernit expeditiones eorumdem, à nemine posse impediri, §.27. Eosdemque contra Clericos, seu alios, occupantes bona Religionis, vel eius debita non soluentes, procedere posse, §.28. Conseruatores Religionis quoscumque in dignitate Ecclesiastica constitutos eligi permittit, §.29. Obtinentes beneficia Hospitalis, teneantur soluere iura mortuariorum, vacantium, & similia, §.31. Personæ Religionis possint recipere Ordines, etiam extra tempora, & certo modo celebrare in omnibus eius Ecclesijs, §.32. Magnus Magister, Conuentus, Priores, & Præceptores infra terminos suarum iurisdictionum, verè existunt Ordinarij, §.32. Officiales locorum omnium teneantur prædictis auxilium præstare, pro capiendis, & transmittendis Ordinis delinquentibus, §.34. Annullantur omnes reseruationes, antianatus, expectatiuæ super locis Religionis absq; consensu Magni Magistri, & Conuentus, & ad illos prouisio spectet, §.35. Et interim possessiones ab eis apprehendantur, §.36. Loca Religionis non comprehendantur sub reseruationibus Apostolicis, §.37. Beneficia Ordinis conferantur à Magno Magistro, & Conuentu, personis dicti Ordinis, § 38. Exemptiones non suffragentur circa eorum debita, erga commune ærarium Hospitalis, & obedientiam Magni Magistri, & Conuentus, §.39. Loca Religionis non, nisi in ea professis, & habitum gestantibus, conferantur, §.40. Alienationes rerum Religionis non fiant, & factæ viribus omnino careant, §.41. Ius patronatus, & præsentandi, vt reuocentur, §.42. Reseruationes pensionum super beneficijs huius Ordinis, prohibentur alijs, quàm eiusdem Fratribus, §.43. Ad parochiales, & alias dicti Ordinis Ecclesias, Fratres Capellani, vt deputari possint, §.44. Ijdem Fratres Capellani vt differant, à Militibus Presbyteris, & Clericis d. §. 44. Fratres Milites, vt beneficia retinere possint, §.45. Presbyteri ad parochiales, vt admittendi, §.46. Priuilegijs Religionis perfruantur, qui habitum susceperunt, & professionem emiserunt, §.47. In Romana Curia, vt eis vti valeat, §.48. Manus violentas inijcientes in eos, qui ad Ecclesias Ordinis confugiunt, excommunicantur, §.49. Magno Magistro, & Conuentui liceat in Prioratibus Ordinis, Vicarios deputare, cum facultate conferendi Præceptorias, & domos deputandi, & onera super beneficijs imponi solita, exigendi, §.50. Liceatq; etiam deputare Procuratorem, in Curia Romana, cum facultate conferendi beneficia, etiam affecta, reseruata, & deuoluta, §.51. Antianitatesque concedere, & beneficiorum resignationes admittere, §.52. Cœmeteria etiam habere, & mortuos interdictos certo modo sepelire in Ecclesijs parochialibus, §.53. Legata, & donata exigere, §.54. personis Religionis intra Regularia Hospitalis degentibus, dat facultatem recipien. Ecclesiastica Sacramenta, à quocumq; Catholico Antistite, §.55. Arma quoq; vbique locorum deferendi, §.56. Capellanis audire confessiones, Sacramentaque administrare permittit, §. 57. Cuiq; etiam licere decernit erigere Præceptorias, Domos, & Hospitalia, absq; licentia Ordinariorum, quæ gaudeant priuilegijs Religionis, & in eis nulla sit Ordinariorum iurisdictio, §.58. Personis Religionis facultas testandi, vt permissa, §. 59. Priori Conuentus, vt liceat celebrare in habitu Pontificali, & dare benedictionem, §.60. Milites, & alij quando ex transgressionibus Ordinis, mortale peccatum incurrant, §.61. Personæ Religionis tempore sumptionis habitus, & professionis, atq; in articulo mortis, vt possint eligere Confessorem, qui Indulgentiam plenariam concedat, §.62. Notarij, vt tenentur notificare legata facta Hospitali, & Militiæ, §.63. Priores, & Præceptores in Dominica Palmarum, & per eius Octauam, vt possint confessiones audire, §.64. Campanasque animalibus Ordinis apponere, §.65. Indulgentiæ, & gratiæ huius Ordinis, vt non intelligantur suspensæ, §.66. Fratres vt possint celebrare Diuina Officia, & Sacramenta Ecclesiastica ministrare & corpora fidelium sepelire, §.67. Verbumq; Dei prædicare, §. 68. Concedit priuilegia aliarum Militiarum, §. 69. Publicatio priuilegiorum literarum Summorum Pontificum, & mandatorum Magni Magistri, vt afficiat, §.70. Fides quæ adhibenda literis Magni Magistri, & Conuentus, §.71. Magnus Magister, & Conuentus, vt possint priuare inobedientes, iura Religionis non seruantes, & in soluendis annuis censibus morosos, §.72. Nulla exemptio valeat aduersus obedientiam Magni Magistri, eiusq; in illos authoritatem, §.73. Huius Bullæ clausulæ præseruatiuæ subduntur, §.74. Et decretum irritans, §.75. Contrariorumq; derogationes, §.76.

Schol. primum.

Quæro. Initia Ordinis huius S. Lazari, à quibus temporibus repetuntur?

R E S P. A temporibus S. Basilij Magni, Cæsarien. Episcopi, vt in eius vita legitur: Et hunc Basilium, Hospitale eiusdem Sancti excitasse scribit Gregorius Nazianzenus, vt nouissimè refert Francisc. Menuen. de Orig. Ord. Equestr. pag. mihi. 50. vbi eiusdem Ordinis Historiam bene prosequitur. At prædictum Basilium Anno 378. vita functum inquit post alios Baron. in Martyrolog. die prima Ianuarij.

Schol. secundum.

Quæro. Beneficiorum huius Religionis præseruatio, de qua in §.37. num de iure etiam communi competat?

R E S P. Competijsse probat tex. in clem. 2. §. Præmissa, de Relig. Domib. vbi glos. & communiter scribb. idem affirmant, & nouissimè Gonzal. sup. 8. Regul. Cancellar. de Mensib. Alternat. glos. 8. nu. 52. & seqq. pag. mihi 237.

X X I X.

C Vm ex Apostolatus, & infra pagina 213. Bullarij. *Edita* Anno 1567.

C O M P E N D I V M.

Beneficia ecclesiastica propter hæresim vacantia, cuiuscumque sint qualitatis, dispositioni Sedis Apostolicæ reseruat, §. 1. Et illa in impetrationibus nullo modo comprehendi decernit, nisi dispositiuè vacationis modus expressus fuerit, aut per impetrantem deductum fuerit crimen in iudicium, & sententia fauorabilis obtenta. §. 2.

Et

Et ita, & non aliter iudicari præcipit, §.3. Hanc Bullam in Cancellaria Apostolica, & in acie Campi Floræ de more publicari, & inter constitutiones perpetuò valituras descri bi mandat, §.4. Transumptisq. fidem adhiberi, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid de iure antiquo hæc beneficia ob cri men hæresis ipso iure vacabant?

RESP. Sic profectò, ad tex. in cap. Ad abolendam 9. in illis verbis, *et sic omni beneficio priuatus*, & tenet Iul. Clar. in §. Hæresis. nu. 16. & quæst. 73. nu. 7. Rota in decis. 728. par. 3. Diuers. lib. 3. num. 1. Pegna in Director. Inquisitionis Comment. 162. vers. Mihi tamen. vbi de hac Bulla in specie mentionem facit, & dubitationem hanc penitus au ferre affirmat.

Schol. primum.

Quæro. Eodem modo vacabant fortasse, etiam beneficia filiorum ipsorum hæreticorum?

RESP. Ita quoque vacare, communis est opinio, vt post alios scribit Guttier. de Canonic. Quęst. lib. 2. cap. 30. num. 37. vbi tamen subdit, contrarium seruari in Regno Hispaniæ: Sed tamen primam, & communem firmauit Rota in decis. Peregrini 6. Martij 1598. in vna Concben. Pensionis n. 9. & seqq. de qua meminit Gonzal. in Reg. 8. Cancell. glos. 15. sub n. 67. & ea impressa habetur in Tract. Marches. de Commissionibus, par. 2. §. 3. pag. mihi 215.

X X X.

Edita Anno 1567.

ETsi Dominici gregis, & infra pagina 214. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reuocat quascumque Indulgentias à Romanis Pont. quibuscumque pijs locis concessas quauis de causa, pro quibus consequendis porrigendæ sunt manus adiutrices, & quæ facultatem quæstuandi continent, §. 1. Prohibet quæstures, & quæstuandi, quæstoresq. deputandi facultates, §. 2. Decretum irritans apponit, §. 3. Contrariorumq. derogationem, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Num censetur reuocata Indulgentia Ecclesiam aliquam visitantibus, & aliqua sua bona secundum suam deuotionem, & distribuentibus concessa?

RESP. Ita sanè, quia Indulgentiam concedere distribuenti bona pro Indulgentia consequenda est Indulgentiam concedere porrigenti manus adiutrices, prout sic istã Bullam declarauit. Nauar. cons. 2. lib. 5. de Pœnit. & Remiss. num. 7. pag. mihi 571. iuxta impressionem Brixiæ.

Schol. secundum.

Quæro. Si elemosynam quis tribuat Hospitali, putans propterea consequi Indulgentiam, quam tamen falsò publicauerat quidã quæstor, num Indulgentiã consequetur?

RESP. Non, quia bona intentio ad id non sufficit, vt post Oldrad. Felyn. & Cardin. quos allegat, tenet Dec. consil. 276. num. 1. Sed habebit meritum eleemosynæ, quia talis dolus, respectu ipsius decepti, videtur bonus, quia eum prouocat ad melius, argum. capit. Dilecti. 6. de Dolo cum ibi not. & tradit Graff. in Append. suar. Decis. lib. 2. cap. 5. num. 70. in fine.

X X X I.

Edita Anno 1567.

AD immarcescibilem vitæ æternę coronam, & infra pag. 215. Bullar.

COMPENDIVM.

Clemens VII. in cõst. 11. de qua sup. pag. 109. t. 1. Congregationem Clericorum Theatinorum confirmauit, §. 1. Et in alia constitut. 38. de qua sup. pag. 117. to. 1. quasdam gratias elargitus est, §. 2. Paulus III. decreuit maiorem partem Capituli, illud totum repręsentare, cum omnimoda potestate super Præpositos, & alios §. 3. Et in paritate vocalium, ibi voluit esse Capitulum, vbi antiquior repetitur vocalis, §. 4. Capituliq. ius supremum esse, §. 5. Superiorum officia anno expleri, §. 6. Præpositorum, & eorum loca tenentium, eamdem esse authoritatem, §. 7. Præpositurис vacantibus Capitulum prouidere decernit, §. 8. Antiquiorem vocalem succedere ipso iure Præpositurę vacanti per lapsum anni, §. 9. Laicos venientes ad Ordinem, vti posse vestibus Clericalibus, & gaudere priuilegijs Ordinis indulget, §. 10. Iulius III. hæc omnia confirmauit, §. 11. Paulus IV. Bullam Iulij III. approbauit, & priuilegia Clericorum de Somasca communicauit, §. 12. Administrandique Sacramenta in omnibus Ecclesijs, facultatem dedit, §. 13. Priuilegia insuper Clericorum Societatis IESV, concessit, §. 14. Hic Pont. modò omnia confirmat. §. 15. Præpositoq. dat facultatem, absoluendi venientes ad Ordinẽ, à quibuscumque casibus non reseruatis in Bulla Cęnæ Domini, §. 16. Clericis dat authoritatem administrandi Sacramenta, omnibus existen. intra habitationes Congregationis, ac cæteris in casu necessitatis, §. 17. Ad processiones nõ posse cogi decernit, §. 18. Contraria omnia aufert, §. 22.

Scholium primum.

Quæro. Congregatio ista vbi cœpit habere primam Sedem?

RESP. Romæ in Ecclesia S. Syluestri in Monte Quirinali, tempore Clementis VII. qui eam confirmauit Anno 1524. Et licet ob inuasionem Vrbis fugerit Venetias Anno 1532. redijt postea Romam, Paulo IV. eius institutore Summo Pontifice creato Anno 1560. vt recenset Nauar. cons. 9. lib. 1. de Maiorit. & obed. iuxta impressionem Venetijs num. 1. pag. mihi 191.

Schol. secundum.

Quæro. Num laudabiliter vsque in hanc diem progreditur?

RESP. Ita quidem, vt experientia docet, & Nauar. scribit in d. cons. 9. vbi eam illustrissimam appellat, eiusq. multa, & magna priuilegia vidisse testatur. Et re vera sic esse patet, attendendo pręsertim, quòd omnia indulta Cõgregationis Lateranen. ei dedit Clem. VII. in supracitata constit. 11. sup. tom. 1. pag. 109. in fine, & alia Societatis IESV iste Pius V. vt hic in §. 14.

L X X I I.

AGit nos necessitas, & infra pagina 218. Bullarij. *Edita* Anno 1567.

COMPENDIVM.

Vicecancellario S. R. E. Abbreuiatoribus literarum Apostolicarum, & alijs mandat, vt super omnibus gratijs & concessionibus Apostolicis, de quibusuis beneficijs per resignationem etiam apud Sedem Apostolicam vacantibus, & Sedi Apostolicæ reseruatis, in quibus addita est, (& in forma dignum) literas Apostolicas certo modo expediant §. 1. Et super alijs beneficijs per eamdem resignationem vacantibus, post verbum (mandamus) certas clausulas apponant d. §. 1. vers. In cęteris. Et alias apponi in mandatis prouisionum, seu commendis, de quibuscumq; beneficijs, & Monasterijs per similem resignationem, seu cessum vacantibus d. §. 1. vers. Propterea. Et alias in alijs prouisionibus vsque ad finem d. §. 1. Præcipit hanc Bullã in quinterno Cancellariæ Apostolicę, & etiam in Camera registrari, & ab omnibus inuiolabiliter custodiri, §. 2. Et contraria nequaquam obstare, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Resignatio censetur ne fauorabilis, vel odiosa?

RESP. Fauorabilis, quando fit ob vtilitatem, & necessitatem Ecclesiæ, vt quia resignans non potest inseruire, & quærendum est de vtiliori necessitate: Odiosa autem cum fit respectu personæ resignatarij tantum, & non beneficij, vt pleoè post antiquos deducit Paris. de Resignat. lib. 1. quæst. 18. num. 1. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Num omnia beneficia possunt resignari?

RESP. Regulariter possunt, etiam Consistorialia, & electiua, ac Iurispatronatus, & alia, vt fusè prosequitur

Pa-

Parif.in d.tract.lib.2.q.1. & seqq. vbi aliquas ad hanc regulam limitationes adducit.

XXXIII.

Edita Anno 1567.

IN conferendis beneficijs Ecclesiasticis, & infra pag.219. Bullar.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum sess.7. cap.13. & sess.24. c.18. de Reformat. præscripsit formam conferen. Ecclesias parochiales, & interim de Vicario eis prouideri, §.1. Hic Pont.prouisiones aliter factas,& fiendas irritat,beneficiaque vacare decernit, Sedique Apostolicæ eorum collationem reseruat,§.2.& 3. Et etiam ea, quæ iuxta formam dicti Concilij, Ordinarij non prouiderint infra sex menses à die vacationis,perfecto examine, beneficia quorum collatio ad Ordinarios pertinet,§.4. Vel beneficia etiam reseruata infra quatuor menses à die vacationis notificata non fuerint d.§.1. Prohibet tempus decem dierum à Concilio præfixum Ordinarijs, & Patronis ad nominandum idoneos Clericos coram examinatoribus, vltra alios decē dies prorogare, §.5. Prohibet eisdem collationem beneficiorū sic reseruatorum, §.6. Collationem beneficiorum idoneis fieri præcipit,& grauatis à mala electione appellare ad nouum examen permittit,§.7. Sed non suspensiuè, §.8. Et à Iudice appellationis ad Sedem Apostolicā iterum appellari decernit,§.9. Huiusq. Bullæ transūptis credi iubet,§.10.

Schol. primum.

Quæro. Appellans à mala electione, vt in §.7. debebit forsan docere prius de sumo læsionis, & grauaminis?

RESP. Sacra Congregatio Cardinalium super interpretatione Concilij Tridentini ad id non teneri censuit, quia esset ligare manus appellanti, cum vt plurimum acta examinis primæ instantiæ tali modo fabricentur, vt exinde de læsione apparere non valeat,& frustratoria redderetur hæc Bulla, quæ ideò disponit, vt appellans possit ad nouum examen prouocare, vt ex illo liqueat de rationabili, vel irrationabili iudicio Ordinarij. vt refert Gonzal. sup.8.Reg Canc.gl.4.num.144. pag.mihi 117. vbi subdit num.146. nouum examen fieri debere infra breue tēpus eo, quod non est attendenda literatura, nisi tempore primi examinis,quando appellans se grauatum fuisse prætendit; nam posset alioquin doctior fieri, sicuti tentum fuit à Rota in decis. Lancellotti in vna Pampilonen. Parochialis,ac in alijs decisionibus ibid. à Gonzal.allegatis.

Schol.secundum.

Quæro. Spatium sex mensium, de quo in §.4. quando currere incepit?

RESP. A die scientiæ vacationis, iuxta decis. Rotæ coram Seraphino 380. in vna Toletana Beneficij num.1. Vbi tamen subdit num.3. quòd ignorantia debet esse omnino verisimilis, & ideò scientiam præsumi,quando extat longitudo temporis vacationis beneficij qualificata.

XXXIV.

Edita Anno 1567.

EXponi nobis nuper fecit tua Maiestas Regia, & infra pag.220. Bullar.

COMPENDIVM.

Philippus II.Rex Hispaniarum exposuit huic Pontifici, quòd matrimonia non, nisi præsente Parocho, aut de eius licentia, contrahi possunt; Nullusq. Religiosus absq; Episcopi licentia prædicare, aut sæcularium confessiones audire valet, §.1. Sed Episcopi, nouas Parochias in locis ab inuicem longè distantibus, constituere possunt, d.§.1. Quia tamen in partibus Indiarum Maris Oceani Religiosi, propter Presbyterorum defectum, Parochorum officio functi sunt, in maximam Christianæ fidei propagationē: Ideò eidem Papæ supplicat,vt de cætero hoc idem exercere valeant,obtenta ab eorum Superioribus licentia, in Capitulis Prouincialibus,eod.§.1. Qui Pontifex dictis Religiosis idioma Indorum intelligentibus,& cum dicta licentia suorum Superiorum,ac seruata circa matrimonia in reliquis solemnitatibus forma Concilij Tridentini, eam facultatē concedit,§.2.Episcopis prohibet,ne illos molestēt, §.3. Decretum irritans apponit, §.4. Executores deputat, §.5.Contrarijs derogat,§.6. Transumptis credi iubet.§.7.

Schol. primum.

Quæro. Quid si quis pro parte intelligit, & pro parte non intelligit Indorum idioma,de quo in §.2,

RESP. Non videtur sufficere,cum pro forma requiratur hæc intelligentia, & nihil videtur actum,cū aliquid deficit cap.1.de Bapt. Et forma ita transgreditur in minimo defectu,sicut in magno Felyn.in cap. Cum dilecta 22. de Rescrip. num.10. & in terminis Gomes. super Regul. Cancell.in Reg.de Idiomat. quem sequitur Roder.in expositione huius Bullæ,in 1.tom. Quæst.Regul. quæst.35. art.1. vers. Secundo nota.

Schol.secundum.

Quæro. Hoc indultum est ne comprehensum in reuocatione Gregor.XIII. qui, priuilegia Religiosis concessa ab isto Pio ad terminos Concilij Tridentini reduxit?

RESP. Non comprehenditur in dicta reuocatione, quia hæc emanauit fauore fidei, & conuersionis Indorū, pro quibus multa contra dictum Concilium concessa fuere,teste Roder. in loco cit. in vers. Tertio non.

XXXV.

ADmonet nos, & infra pagina 221. Bullarij. Edita Anno 1567.

COMPENDIVM.

Vltra Prędecessorum prohibitiones circa bonorum Ecclesiasticorum alienationes decernit, Ciuitates, & loca S.R.E. etiam alienari, & infeudari solita, ad Sedem Apostolicam quomodolibet deuoluta, & deuoluenda, absque alia declaratione incorporata censeri Sedi Apostolicæ, & ad eius pristinum dominium redijsse, §.1.& 2. Vetat de cætero quauis de causa alienari, & infeudari,ac de his tractari, §.3. Reuocat priuilegia quæcumque de illis meliorandis, & vsque ad melioramentorum refectionem retinendis,quomodolibet concessa, §.4. Clausulas huic Bullæ præseruatiuas apponit,§.5. Et decretum irritans, §.6. Derogatoriasq. §.7.Iubet hanc Bullam à Cardinalibus absentibus,vel de cætero creandis iurari,sicut à Cardd. præsentibus iuratum fuit,§.8.& 9.

Schol.secundum.

Quæro. Illa verba *quomodolibet deuoluta,& deuoluenda* comprehendunt ne deuolutionem, quæ oritur ex condemnatione, seu confiscatione ob delicta?

RESP. Negatiua opinio verior videtur, attendendo illa verba *ad pristinum dominium*, & illa *absque alia declaratione*: Siquidem confiscatio non supponit pristinum dominium, & requirit declarationem, idemq. probat illa prohibitio meliorandi, quæ non cadit in bonis deuoluendis Cameræ, per confiscationem ex delicto:Intellige tamē nisi esset delictum tale,propter quod,ex natura feudi, deuolutioni locus sit, vt habetur in tit. Quib.mod.feud.ammit. & in tit. Quæ fuit prim. caus. ammitt. cum ibi not, Tunc enim deuoluuntur bona rei,etiam si confiscatio non fiat. Alijs autem casibus,si est locus confiscationi, transeūt in Fiscum, vti successorem rei,non autē redeunt via deuolutionis ad Cameram,vti directam dominam Boss.de Bonor.public. num.53.& seqq. Clar.in §.Feudum. q.84.

Schol.secundum.

Quæro. Hæc Bulla habebit ne locum, quando res non agitur cum Sede, vel Camera Apostolica, sed inter particulares personas?

RESP. Negatiuè, Rota in decis.Seraphini 1231. numero 6.in Nouis.

Mi-

XXXVI.

Edita Anno 1567.

MIrabilis Deus in Sanctis suis, & infra pag. 223. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ioannes XXII. S. Thomam de Aquino in sua constitut. 11. de qua sup. pag. 40. canonizauit, §. 1. Hic Pont. ob eiusdem Sancti præclara merita, illius Festum in Regno Neapolis, vbi nobilissima deget familia Aquinatis, solemniter, sicut alia Festa de præcepto, in alijs verò locis, sicut festiuitates quatuor Ecclesiæ Doctorum, à Bonifacio VIII. institutas, celebrari præcipit, §. 2. & 3. Indulgentiasque eius Altaria in Ecclesia S. Dominici Neapolis visitantibus, elargitur, §. 4. Et alias in alijs locis Festum eius agentibus, & Sacella visitantibus concedit. §. 5. Exemplis huius Bullæ credi mandat, §. 6. Sanctionemq; pœnalem apponit, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Dum Bonifacius Festum S. Thomæ agi voluit, sicut festiuitates quatuor Ecclesiæ Doctorum peraguntur, nonne adnumerauit eumdē inter illos Ecclesiæ Doctores?

RESP. Ita sanè, vt in specie aduertit Baron. in Martyrolog. die 7. Martij.

Schol. secundum.

Quæro. Bonifacij VIII. institutionem, festiuitatum quatuor Ecclesiæ Doctorum, de quibus in §. 3. vbi perlegere possem?

RESP. Ante oculos habes, in cap. vnico. de Reliq. & Vener. Sanctor. in 6.

XXXVII.

Edita Anno 1567.

SAnctissimus in Christo Pater, & infra pagina 224. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quæcumque indulta S. R. E. Cardd. quomodolibet à Summis Pontt. & à Sede Apostolica concessa, circa collatiōnem quorumcumq; beneficiorum Ecclesiasticorum, renocat, quoad ea, in quibus illa non sunt sortita effectum, §. 1. Formam huiusmodi indultorum de cætero concedendorum præscribit, §. 2. Et ita, & non aliter iudicari posse iubet, irritum decernēs quicquid in contrarium scienter. vel ignoranter contigerit attentari, §. 3. Contrarijsq; derogat, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Decretum irritans, de quo in §. 3. habetur forsitan in corpore iuris communis?

RESP. In cap. fin. vt lite pend. in 6. habentur nonnulla verba huius decreti, & plura in c. Si eo tempore 45. de Electione in 6. & ibi Canon. omnes dicunt, ꝙ dictum decretum ligat, etiam si Bulla non esset publicata, quoad nullitatem actus, non autem quoad pœnam, Rota in decis. Put. 278. lib. 1. & in decis. Robustet. decis. 578. part. 1 diuers. n. 3.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si in §. 3. non esset appositum verbum, *ignoranter*?

RESP. Idem dicendum esset cap. penult. de Præbend. in 6. & tradit gl. in d. cap. 1. Si eo tempore in verb. ignoranter, & latè Gabr. de Clausul. conclus. 3. nu. 2. & etiam Gonzal. sup. 8. Regul. Cancell. glos. 67. nu. 18. vbi alios cumulat pag. mihi 676.

XXXVIII.

Edita Anno ...

APostolicę Sedis poscit authoritas, & infra pagina 225. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, quòd Pius II. Paulus II. Innocentius VIII. & Iulius II. ac Iulius III. & Paulus IIII. super solutione Quindenniorum de beneficijs perpetuò vnitis, suas ediderunt constitutiones, ad fauorem Cameræ Apostolicæ, in princ. Hic Pont. eas approbat, omnesq; defectus supplet, §. 2. Declarat insuper, Monasteria taxata in Camera, et reliqua perpetuò vnita, etiam manualia, & etiam de iurepatronatus, excedentia valorem ducatorum viginti quatuor ad præstationem quindenniorum, & aliorum iurium Cameræ teneri, §. 3. Et illa tenentes obligare se debere, ad eorum præstationem, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Monasterium manuale, de quo in §. 3. quod esse dicitur?

RESP. Quod non confertur alicui in perpetuum, sed ad nutum conferentis, vel aliter ita, vt pro libito illius amoueri possit quandocumque, & quomodocumque voluerit, cap. Ad monasterium. 6. de Stat. Monachor. §. Talis cap. 1. §. fin. de Priuileg. in 6. Rota in decis. Cassad. 8. per totam Gonzal. sup. 8. Reg. Cancell. § 6. glos. 5. n. 2.

Schol. secundum.

Quæro. Institutionem Annatarum, & Quindenniorum, de quibus hic quis author me luculenter edocebit?

RESP. Quamplures de hac re scripserunt, & præter alios Campeg. in suo tract. de Institut. Annat. & doctissimè Gallesi. in suo breui, egregio tamen tract. de Annat.

XXXIX.

Edita Anno 1567.

QVoniam nos pluries, & infra pagina. 226. Bullarij.

COMPENDIVM.

Populus Romanus (hoc adhortante isto Pontifice) condidit. Statuta super reformatione, & moderatione dotium, in Vrbe, in princ. Quæ ipse comprobat, §. 1. Statutum primum fuit, quòd dos sit solummodò ducatorum quatuor mille, & quingentorum de carolenis cap. 1. Statutum secundum, quòd Notarij aliter instrumenta non conficiant in cap. 2. Statutum tertium, quòd nemo desuper sit mediator, aut testis in cap. 3. Statutum quartum, quòd hæc reformatiō liget nobiles omnes, & Clericos in c. 4. Statutum quintum, quòd sponsa non possit ad pompam ostendere parafernalia in cap. 5. Statutum sextum, præfiniuit munera, & ornamenta inter sponsos, & eorum coniunctos in cap. 6. Subsequuntur nomina Deputatorum huius Reformationis.

Schol. primum.

Quæro. Munera, de quibus hic, data sponsæ à consanguineo sponsi, acquiruntur ne marito?

RESP. Opinio Bart. quæ videtur communis, est quòd acquirantur marito, sed Bald. opinio contraria videtur verior, & eam secuta est Rota in decis. 1108. Seraphini num. 6. in Nouis.

Schol. secundum.

Quæro. Et quæ sponsus donat sponsæ, si non sequatur matrimonium, sunt forsan restituenda sponso?

RESP. Sunt profectò, nisi adesset pactum de non reuocando, vel nisi per sponsum steterit, quo minus matrimonium sequatur, sic censuit Rota in alia decis. Seraphini 914. sub num. 1. vbi rationes, & authoritates allegat.

XL.

Edita Anno 1567.

LIcèt alias fœl. record. Pius Papa IIII. & infra pag. 227. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Pius IIII. edidit const. num. 52. de non audiendis bannitis, nisi in carceribus constitutis, & defuncti hæredibus non citatis, de qua sup. pag. 15. in princ. Hic Pon-

tifex eam extendit, ad condemnatos in contumaciam pro pœna corporis afflictiua, & in quacumque instantia, §. 2. Irritat absolutiones aliter obtentas, §. 3. Clausulam, Sublata, &c. apponit, §. 4. Contrarijs derogat, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Hæredes erunt ne citandi, probato quòd iam pacem dederunt?

R E S P. Non, quia cessat ratio huius legis. Aduerte tamen ne pacem testibus probes; Nam etsi per testes eam probari posse teneant Vulpell. in tract. de Pace quæst. 66. num. 4. Mascard. de Probat. lib. 3. conclus. 1156. num. 2. Caball. casu, 141. num. 10. Verùmtamen. Vulpell. vbi supra num. 5. Clar, quæst. 58. num. 40. & Baiard, num. 72. dicunt, in practica non recipi probationem pacis, aliter quam per publicum instrumentum, contra Fiscum.

Schol. secundum.

Quæro. Exilium venit appellatione pœnæ corporis afflictiuæ, de qua in §. 2.?

RESP. Exilium sumendo pro confinatione ad certum locum, vel pro interdictione à certo loco, non est verè, & propriè pœna corporis afflictiua l. si quis fortè. 6. ff. de Pœn. Clar. quæst. 32. num. 5. Farinac. quæst 99. n. 67. Menoch. de Arbitrar. quæst. 80. num. 129. Caball. casu 146. & Peguer. decis. 23. num. 1, vers. His tamen. Sumendo autem pro damnatione in metallum, vel opus metalli iuxta l. Aut damnũ, 8. ff. de Pœn. vel pro interdictione aquæ, & ignis, seu deportatione in Insulam cum perpetuis vinculis iuxta l. 4. et l. capitalium 28. eod. tit. proculdubio est pœna corporis afflictiua. Sed proprior eius significatio est de relegatione l. 2. ff. de public. Iudic. l. Exilium. 5. de Interdict. & DD. vtrobique sic tenent.

X L I.

Edita Anno 1567. & 1571.

ETsi Mendicantium, & infra pag. 228. *Item.* Ex supernæ, & infra pagina 232. *Item.* Ad hoc nos, & infra pagina 234. Bullarij.

COMPENDIVM.

Multa priuilegia Ordinibus Mendicantibus concedit, & signanter circa facultatem prædicandi, de sola licentia suorum Generalium, vel Ministrorum, § 1. & 2. num. 1. Et circa facultatem Confessorum num. 2. Et præsertim Monialium num. 3. Receptionemq; Eucharistiæ infra annum nu. 4. Ingressum quoque in Monasteria Monialium num. 5. Examen Puellarum Deo dicandarum n. 6. Receptionem sacrorum Ordinum nu. 7. Celebrationem Missarum, & Diuinorum Officiorum num. 8. Controuersias præcedentiæ nu. 9. Curam animarum num. 10. Quartam funeralium num. 11. & seqq. Contributiones onerum num. 14. Quæstum eleemosynarum num. 15. Delinquentes notoriè nu. 16. Gubernationem Conuentuum num. 17. Recursum ad Ordinarios num. 18. Extra Claustra degentium protectionem nu. 19. & seq. Impedimentum vnionum, & curam animarum num. 21. Pulsationem campanarum, celebrationem Missarum, & sepulturam mortuariorum, num. 22. Constructionem nouarum domorum num. 23. Mandatum, & prædicationem in die Cœnæ Domini num. 24. Recitationem Officij Mortuorum, Monialium sepulturas, Fratrumq; associationem ad sepulturam num. 25. Testantium voluntatis prohibitionem num. 26. Accessum ad processiones, §. 3. Extinguit omnes lites super prædictis §. 4. Confirmat alia omnia priuilegia Concilio Tridentino non contraria, § 5. Decretum irritans apponit, §. 6. Executores deputat, §. 7. Contrarijsq; derogat, §. 8. Sanctionem pœnalem addit, §. 9. Extendit dicta priuilegia ad alios Ordines Regulares in const. subseq. Declarat priuilegium quoad prædicationes, §. 8. Et sepulturas Defunctorum, §. 9. Quartamq; funeralium, §. 10. Decimas, & contributiones, §. 11. Aedificationem nouorum Monasteriorum, §. 12. Exemptionem à iurisdictione Ordinariorum, §. 13. Electionem & facultatem Conseruatorum, §. 14. 15. & 16. Decretum irritans apponit, §. 17. Et derogationes contrariorum, §. 18. Declarat facultatem Conseruatorum, §. 19. Huius Bullæ transumptis credi mandat §. 20.

Schol. primum.

Quæro. Quid circa celebrationem Missarum, Prædicationem, Processiones, & Visitationes Ecclesiarum horum Regularium, à Clemente VIII. nuper statutũ fuisse fertur?

R E S P. Audi in hoc non à Clem. VIII. sed eo sedente à Congregatione Cardinalium Interpretum sacri Concilij Trident. statuta quodam Decreto ex Typographia Camerali anno 1601. Romæ impresso quæ etiam maioris tui commodi causa intexere volui tenoris subseq.

CONGREGATIO Concilij censuit Decretum cap. xij. vers. dies etiam Festi, sess. 25. de Regul. *ita esse intelligendum, vt Regularium ritus illis diebus Festis semper permaneat, quoad Missas celebrandas, & cætera Diuina Officia, tam publicè, quàm priuatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesijs persoluenda, Nec circa hæc ab Episcopis quoquomodo, quicquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse; Quod si de facto præceperint, Regulares nentiquam ipsis Episcopis obedire teneri. Verùm quoad conciones, & lectiones, quas ijdem Regulares ad populum habuerint, debere se conformare Euangelijs, & Epistolis, quibus Clerus sæcularis vtitur illis diebus festis.*

Congregatio item Concilij censuit, Regulares, qui absque licentia Episcopi prædicauerint in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, tametsi Decreto eiusdem Concilij cap. xxi. sess. 5. *contrafecerint, non posse tamen puniri ab Episcopo, sed tantum à suis Superioribus Regularibus.*

Congregatio Concilij etiam censuit, Regulares Monasterij vltra medium miliare à Ciuitate distantis, non posse ab Episcopo compelli accedere ad processiones.

Congregatio itidem Concilij censuit Episcopos, aut alios locorum Ordinarios vigore cuiusuis Decreti eiusdem Concilij, nullam habere facultatem quouis tempore in Monasterijs, Domibus, & Ecclesijs Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum personarum sæcularium visitandi Sacristias, paramenta, vasa sacra, Altaria, & cætera huiusmodi, aut etiam tabernaculum, seu pyxidem, in qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruatur.

HIER. CARD. MATTHEIVS.

Ioannes Franciscus Fagnanus
Sacræ Cong. Concilij Secret.

Schol. secundum.

Quæro. Hæc Regularium priuilegia perduntur ne, si illi irregulariter viuunt?

R E S P. In foro conscientiæ perduntur; Secus verò in exteriori, vt latè deducit Roderic. qui alios citat. tom. 1. Quæst. Regular. quæst. 9. artic. 10.

X L I I.

Edita Anno 1567.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra pagina 238. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ornamenta, & paramenta, vasa, libros, & res sacras, aliaq; bona personarum Ecclesiasticarum, ad cultum Diuinum destinata, non venire sub nomine Spoliorum, ad Cameram Apostolicam spectantium, sed ad eorum Ecclesias, idq; proportionabiliter habita ratione fructuum, & temporis quo beneficia, si plura fuerunt, possiderunt, pertinere, nec ad hæredes ex testamento, vel ab intestato deuenire, declarat, §. 1. 2. & 11. Dispositiones testatorum, aliter factas irritat, §. 3. Detentores ad restitutionem cogi iubet, §. 4. Supellectilia domestica, spoliorum nomine

non

non venire, decernit, §. 5. Nec bona obtinentium pensiones, vel beneficia non excedentes ducatos 30. §. 6. Collectoribus spoliorum præcipit ne desuper se intromittant. §. 7. Et ita iudicari mandat. §. 8. Executores huius Bullæ deputat. § 9. Contrarijs omnibus derogat, §. 10. Transumptis credi iubet, §. 13. Sanctionem pœnalem adiungit. §. 14.

Schol. primum.

Quaero. Quid si quis multos calices, & ornamenta ad celebrandas Missas idonea emisset, vt alijs ea venderet?

RESPON. Ista constitutio, ea non comprehendit, quia non dicuntur ad sacrum vsum deputata, vt ipsa loquitur in §. 1. & ita notat ad hanc Bullam Nauar. de Spol. Cleric. §. 8. sub num. 4. ad fin. vbi idem tenet de tapetis, & aulæis, quæ Beneficiarius principaliter habet ad suam domum ornandam, quamuis ea quandoque commodet etiam ad ornandum Ecclesias.

Schol. secundum.

Quaero. Suppellectilia, de quibus in §. 5. spectant ad Cameram, vel ad hæredes Beneficiariorum?

RESP. Ad hæredes, quia quæ voluit ad Ecclesias, vel ad Cameram pertinere expressit Pontifex, quod tenet etiā Nauar. vbi sup. sub num. 6.

XLIII.

Edita Anno 1567.

VT ad Artis Lanæ, & infra pagina. 239. Bullarij.

COMPENDIVM.

Artem Lanæ Mediolani, Neapoli, Florentiæ, & alibi, nobilem dicit, in princip. Statuta, & priuilegia dictæ Artis in Vrbe, etiamsi in vsu esse desierint, licita tamen, & honesta, comprobat. §. 1. Consulibus Societatis dictæ Artis, dat iurisdictionem, cognoscendi iuxta dicta statuta, causas ciuiles, criminales, & mixtas, eam concernentes. §. 2. Clausulas huius indulti preseruatiuas subdit, §. 3. Et decretum irritans. §. 4. Consules prædictos ab alijs Iudicibus perturbari, prohibet, §. 5. Contrarijsq; derogat. §. 6.

Scholium primum.

Quaero. Num similis, aut maior iurisdictio fuit Artis Consulibus huiusmodi concessa, in Ciuitatibus, de quibus in §. 1.

RESP. Hoc vnum scio, quòd Neapoli maior iurisdictio data fuit, vt videre est in decis. Vinc. de Franc. 679. vbi maximam proposuit quæstionem. An si Carcerarius Curiæ illius Artis delinqueret in officio, ab illius Consulibus, vel à magna Curia esset punien.

Schol. secundum.

Quaero. Inter statuta licita, & honesta, de quibus in §. 1. connumerabitur forsan statutum, quo prohibeatur emere volentibus pannos lanæ à mercatoribus Artis, si secum non ducant Cimatores ad capien. inspicien. & ostenden. pannos, ac eorum venditioni interessen.?

RESP. Hanc quæstionem in puncto proposuit, & affirmatiuè resoluit, Anchar. multis motus rationibus hic ob breuitatem sedulò prætermissis in cons. 157. incip. Summæ num. 4. & seqq. & Anchar. simpliciter sequitur Boss. in tit. de Vnion. num. 6. & Decian. lib. 7. sui tract. Crimin. cap. 21. de Monopol. num. 24. qui tamen numerum dicti Consilij corruptè allegant sub num. 166.

XLVI.

Edita Anno 1567.

ROmanus Pontifex tàm vniuersalis Ecclesiæ, & infra pag. 240. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quamuis Fratres omnium Ordinum Mendicantium à contributione Seminarij Clericorum, & subsidio quocunque, ac decimis, alijsque contributionibus hic Pont. exemerit, §. 1. Nihilominus prætextu quòd dicti Fratres ex dispensatione Apostolica bona stabilia quædam possideant, ad prędictas contributiones ab Ordinarijs coguntur, §. 2. Hic ideò Pont. attentis vtilitatibus, quas dicti Ordines Reipublicę Christianę afferunt, Fratres quatuor Ordinum Mendicantium S. Dominici, S. Francisci, Eremitarum S. Augustini, Seruorumque B. Mariæ, necnon Carmelitarum, eorumque domos, & loca, etiamsi in communi bona stabilia, & mobilia possideant, Mendicātium vocabulo contineri, eorumque priuilegijs omnibus gaudere decernit, d. §. 2. Ordinarijsque, & alijs inhibet, ne de cætero eos molestent. §. 3. Clausulas præseruatiuas huius constitutionis apponit. §. 4. Executores eiusdem deputat, §. 5. Clausulas derogatorias addit. §. 6. Transumptis credi mandat. §. 7.

Schol. primum.

Quaero. Dubium quòd isti ordines, non essent Mendicantes, vndè oriebatur?

RESPON. Ex eo, quod bona immobilia possidebant, vt habetur hic, & cōsulendo dicebant Anchar. in cons. 321. num. 3. & Calderin. cons. 15. de Regular. per totum, licèt hæc eorum ratio refellatur à Lap. in sua alleg. 4. num. 4. vbi apostilla allegat concordantes.

Schol. secundum.

Quaero. Si Religiosi alicuius monasterij mendicantium non vtantur priuilegijs mendicantium ex negligentia, & omissione, aut ex commissione, faciendo actus illis contrarios, præiudicant ne illi monasterio?

RESP. Non præiudicant, quia priuilegia sunt data ordini, vt dicimus in simili de Clericis, & in terminis sic tradit Roder. de Quæst. Regul. tom. 2. quæst. 44. artic. 6.

XLV.

Edita Anno 1567.

SEdis Apostolicæ solertia, & infra pagina, 241. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad tollen. perturbationem, quæ oriri potest ex transitu Fratrum minorum Capuccinorum S. Francisci de Assisio, ad Fratres Minimos Sancti Francisci de Paula, & è contra prohibet huiusmodi transitum. §. 1. & 2. Pœnam suæ indignationis, contrauenientibus comminatur, & attentata irritat, §. 3. Contrarijs derogat. §. 4. Fidem transumptis adhiberi mandat. §. 5.

Schol. primum.

Quaero. Huiusmodi indignationis Papæ pœna, quæ est?

RESPON. Arbitrariam esse dixit Bald. in auth. Statuimus. Cod. de Episc. & Cleric. num. 2. quam opinionem communiter receptam esse patet ex his, quæ scripsit Menoch. de Arbitr. Iudic. casu 361. num. 3. & Farinac. quæst. 19. sub num. 32.

Schol. secundum.

Quaero. Est ne postea alia addita pœna his, qui contraueniunt, vltra prędictam?

RESP. Capuccinus in Compendio Priuileg. Fratr. Minor. in §. Recipere, sic adnotauit. *Et in anno 1591. die 27. Maij à Sacra Regularium Congregatione, authoritate ei concessa à Papa Gregor.* XIII. *fuit decretum, posthac memoratum Pij V. Motum proprium, sub pęna transeuntibus, & illos recipientibus, priuationis officiorum, & vocis actiua, & passiua in perpetuum ipso facto incurren. seruandum esse, & seruari debere. Et hac apud nos Capuccinos seruatur authentica.*

XLVI.

Edita Anno 1567.

DEcet Romanum Pontificem, & infra, pag. 242. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia in priuilegijs monachorum Ordinis Cistercienfis disponitur, quòd spolia eorum spectent ad Mensam Conuentualem loci, in quo expresè professi sunt, seu de-

cesserint, non autem ad eorum Abbates, seu Commendatarios. §. 1. Pontifex hoc idem confirmat, decernens spectare ad monachos, seu mensam dictorum locorum, non autem ad Commendatarios, vel Cameram Apostolicam, §. 2. & 3. Executores huius constitutionis deputat. §. 4. Contrarijsque derogat. § 5.

Schol. primum.

Quæro. Verbum *spoliorum*, de quo in §. 1. reperitur in iure ciuili, vel Canonico.

RESP. Non reperiri inquit Guid. Pap. decis. 110. vers. Et aduertendum; Sed contrarium decidendum est, l. vltima. cum ibi not. ff. de Bon. damnat. quem tex. ad hoc singularem appellat Boer. decis. 224. n. 9. vers. Et pro ista parte.

Schol. secundum.

Quæro. In casu, quo spolia, de quibus hic spectarent ad Cam. Apost. vendicarentur fortasse, & applicarentur illi, in locis vbi spoliorum Collectores non deputantur?

RESPON. Non, quia licèt in omnibus Regnis & Dominijs debuissent illa applicari Cameræ prædictæ, vt cauetur ex constitut. 29. Pauli III. §. 2. in Bullario pag. 659. Nihilominus Rota in decis. Seraphin. 594. num. 14. tenuit, quòd consuetudo seruat, illa solum Cameræ vindicari in locis, vbi Collectores deputantur: Vnum aduertè, quòd Rota in d. decis. num. 15. allegat Bullam Pauli IV. & non Pauli III. à me nunc citati: Illam ergo videre poteris, apud Nauar. de Spol. §. 6. vers. Pauli autem.

XLVII.

Edita Anno 1567.

AD exequendum, & infra pagina 243. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Ordinarij excedebant mentem Concilij Tridentini, in deputandis Vicarijs, ac in assignatione portionum Vicarijs perpetuis Parochialium Ecclesiarum, Monasterijs, Ecclesijs, & beneficijs perpetuò vnitarum, declarat hic Pont. quantitatem ipsarum portionum non esse debere maiorem centum, nec minorem quinquaginta scutorum annuorum, computatis etiam certis emolumentis, & alijs obuentionibus communiter percipi solitis, nisi Vicarijs solitũ fuisset plus assignari §. 1. & 2. Et ad quos spectet onus soluendi quindennia pro ipsis portionibus, §. 3. Vicarios ad nominationem illorum, in quorum Ecclesijs vnitis ponentur, deputari iubet, sed cum Ordinariorum, seu eorum Vicariorum præuio examine, & approbatione. §. 4. Et si parochiales sint vnitæ Ecclesijs Mendicantium, Vicarij nominari possint ex ipsis Mendicantibus ab eorum Superioribus, & si examinati approbentur ab Ordinarijs, deputentur ab eisdem ad nutum suorum Superiorum. §. 5. Et si monachus deputetur, quatuor alij ex eisdem monachis habitent cum eo d. §. 5. Decretum irritans apponit, §. 6. Et derogationes contrariorum. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Nonne hæc Bulla in §. 5. reuocata fuit à Gregor. XIII. in sua const. 9. §. 3?

RESP. Ad terminos iuris reductam fuisse aduertit Genitor meus hic in rubrica; Sed mox cõpertum est, quòd postmodum idem Gregorius ore reualidauit hanc Pij Bullam, dummodo cum Fratre, seu Religioso Vicario ad nutum amouibili per monasterium pro subeunda animarum cura assignando, vnus dumtaxat alius Religiosus extra Claustrum maneat, & non plures, prout sacra Concilij Tridentini Congregatio declarauit pro interpretatione, cap. 7. sess. 7. de Reformat. ita scribit Gonzal. sup. 8. Regul. Cancell. de Mensib. & Alternatiu. glos. 5. §. 4. num. 79. vbi propterea subdit hanc Pij Bullam hodie seruandam fore, pag. mihi 146.

Schol. secundum.

Quæro. Num eleemosynæ Altari, funeralium, & similes computandæ sunt in incertis, de quibus in §. 2.?

RESP. Non, quia intelliguntur de incertis, quæ habent quamdam certitudinem, vt sunt decimæ frumenti, vini, alijq; fructus, emolumenta, & obuentiones, quæ penes Titularem sunt incertæ, quantum ex illis percipere possit ad scripta per Rebuff. de Congr. port. num. 83. 85. & seq. & Leon. in suo Thesaur. for. Eccles. par. 2. cap. 16. de Visit. n. 6.

XLVIII.

Edita Anno 1567.

DE salute gregis Dominici, & infra pagina 244. Bullar.

COMPENDIVM.

Spectacula, vbi Tauri, & feræ in Circo, vel foro agitantur, à Christiana pietate aliena esse enunciat, §. 1. & 2. Agitationes eiusmodi, omnibus cuiuscunque præeminentiæ iuris prohibet d. §. 2. Morientem ibi, ecclesiastica carere sepultura decernit, §. 3. Clericis à quibuscunque, ac Militibus huiusmodi spectacula interdicit, §. 4. Contractus omnes, iuramenta, & vota circa has agitationes irritat, §. 5. Principes obseruantiam prædictorum curare, hortatur, §. 6. Prælatos hanc Bullam publicare, & sub censuris ecclesiasticis cunctos ad obseruantiam cogere pręcipit, §. 7. Contrarijs omnibus derogat. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Quid si quis monachus absque aliquo scandalo interesset huiusmodi spectaculis?

RESP. Adhuc ipsum ferit ista constitutio, vt eruditè probat Guttier. lib. 1. Cannnicar. quæst. cap. 7. num. 20. & seqq. & sequitur Eman. Ród. tom. 3. Quæst. Regul. quæst. 68. art. 2. vers. Quarto notandum est.

Schol. secundum.

Quæro. Nunquid secundùm ius commune, pœna carentiæ sepulturæ, plectendi essent qui in his spectaculis morerentur?

RESP. In cap. 1. & 2. de Torneam. hæc pœna morientibus in torneamentis infligitur, ob contingentiam damnorum, & scandalorum, & ob eamdem rationem agitationes sunt prohibitæ, ita quòd videtur idem ius statuendum in vtroque casu ob identitatem rationis, quæ attenditur in quacumque lege etiam pœnali; Pręsertim quòd tendit ad bonum publicum, vt in puncto sic tradit Nauar. in Manu. Confess. cap. 15. num. 18. vers. Tertium. Contrarium tamen scribit Eman. Roder. tom. 3. Quæst. Regular. 68. art. 2. vers. Tertio notandum. Scias quoque nonnullas alias extare Pontificias constitutiones Gregor. XIII. & Clem. VIII. ad hanc Pij V. constitut. Eas tamen Genitor meus consultò prætermisit, maximè quòd sunt locales.

XLIX.

Edita Anno 1567.

APostolicæ Sedis, & infra, pagina 244. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ordo Fratrum Minorum S. Francisci de Paula omnibus priuilegijs Ordinum Mendicantium, ex Bulla X. Iulij II. de qua sup. 85. perfruitur, §. 1. Hic Pont. sciens hos Fratres actu mendicare, eorum Ordinem inter alios mendicantes adscribit, & omnia illorum priuilegia eidem communicat §. 2. Ordinarijs, & alijs inhibet, ne desuper dictũ Ordinem perturbẽt, §. 3. Huius indulti pręseruatiuas clausulas subdit, §. 4. Decretumq; irritans, §. 5. Executores deputat, §. 6. Contrariaque remouet. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Qui Ordines principaliter mendicantes nuncupati fuere.

RESP. Quatuor, nempè Ordo Sancti Dominici, Ordo S. Francisci, Ordo S. Augustini, & Ordo Carmelitarum B. Mariæ Burr. cons. 33. in Apostilla in verb. Prædicatores, & nouissimè post alios scribit Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 1. quæst. 2. art. 1. in princ.

Schol. secundum.

Quæro. Cur Mendicantes appellati?

RESP.

RESP. Quia per quæstus publicos, mendicitas incerta eis ex Regula, seu eius fundatione victum præstabat cap. 1.5. confirmatos de Religios. domib. in 6. Ancharan. cons. 109. in princ. Caldet. cons. 17. in tit. de Regular. Gemin. cons. 40. vbi inquit, quòd hi Ordines pro dote habent mendicitatem.

L.

Edita Anno 1567.

ROmanus Pontifex, & infra pagina 245. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregationi Fratrum S. Hieronymi Iesuatorum, elargitur omnia priuilegia Ordinum Mendicantium. §. 1. & 2. Connumeratque inter alios Mendicantium Ordines. §. 3. Præseruatiuas clausules huius priuilegij subdit. §. 4. Executores deputat. §. 5. Contrarijsque derogat. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Nùnquid isti Fratres sunt ex eorum institutione mendicantes?

RESP. Non, quia professi sunt Regulam S. Augustini, vt dicitur in hac Bulla, quæ permittit possidere immobilia in communi, vt post Bald. Bertrand. & alios refert Roderic. tom. 2. Quæst. Regular. quæst. 125. artic. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Ordo mendicantium prodest ne magis Ecclesiæ, quàm Clerici sæculares?

RESP. Prodesse magis, quatuor probat rationibus Nauar. in cons. 1. alias 52. incip. An sit melius de Regular. lib. 3. num. 1. & seqq.

LI.

Edita Anno 1568.

ATtendentes quòd frequenter, & infra pagina 246. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit omnibus Curiæ Roman. Iudicibus, ne quauis auctoritate inhibitiones contra quosuis spoliorum Reuer. Cam. Apost. Collectores decernant, & relaxent, in causis spoliorum, vel illicitarum negotiationum, non citato prius eiusdem Reu. Cam. Commissario, & citatione in actis te producta, §. 1. Neque commissiones in dictis causis, nisi præuia dicta citatione, expediant, §. 2. Inhibitiones huiusmodi concedendas vigore commissionum ita conceptarum, vt discerni non possit, an de causis spoliorum, vel negotiationum illicitarum agatur, nullius esse roboris declarat. §. 3. Hanc Bullam in Vrbe publicatam omnes Roman. Cur. Iudices afficere decernit, §. 4. Eiusque solam sufficere signaturam. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid nomine spoliorum, de quibus in §. 1. id continetur, quod beneficiarius superlucratus est de ea parte redditum beneficij, quam competenti suæ substentationi subtraxit?

RESP. Non, quia illud propria beneficiarij industria dicitur acquisitum Nauar. in Apolog. quæst. 1. monit. 30. & seq. & monit. 78. quem, & alios refert, & sequitur Molina, de Instit. tract. 2. disput. 145. vers. Hinc vult, & disput. 147. vers. Tertia conclusio, vbi tamen subdit, quòd in foro exteriori, tarò fortassis locum habebit hæc opinio, & quòd difficilè probari possit, quòd bona, quæ beneficiario post mortem de redditibus sui beneficij supersunt, ex prædicta causa sint subinsacta.

Schol. secundum.

Quæro. Quid de eo, quod vltra competentem sustentationem, beneficiarius labore, & industria sua, ac vtilitate, quam ministerijs suis Ecclesiæ attulit, est promeritus?

RESPON. Eamdem negatiuam sententiam firmarũt, Nauat. Molina, & alij per eum allegati in loco præcit.

LII.

Edita Anno 1568.

EXponi nobis nuper, & infra pagina 247. Bullarij.

COMPENDIVM.

Fratres Minores S. Francisci de Obseruantia supplicarunt Papæ pro licentia celebrandi qualibet feria quinta, Officium Corporis CHRISTI, iuxta Breuiarium Romanum. §. 1. Quam eisdem concedit, præterquam tempore Quadragesimæ, & Aduentus, & quando occurrerit festum, vel eius Octaua in dicta quinta feria, §. 2. Huius indulti obseruantiam ad fauorem dictorum Fratrum omnibus præcipit, §. 2. Contraria remouet, §. 4. Et huius Bullæ transumptis credi mandat, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Festum, de quo in §. 3. intelligen. est fortasse etiam de simplici?

RESP. Non profectò, vt ratione, & communi vsu verum esse probat in puncto Roderic. tom. 1. Quæstion. Regul. quæst. 42. artic. 16. Et quod magis est, hoc idem censuit Congregatio Cardinalium super sacris Ritibus, vt aduertit Rubrica Breuiarij inter Officia Fratrum Minorum, de qua rubrica meminit etiam Roderic. vbi sup.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ est ratio celebrandi diem octauam, de qua sit mentio in §. 2.?

RESP. Plures quidem rationes referuntur ab his, qui tractatus scripserunt de Diuin. Offic. Ideò (illis prætermissis) dico solùm, quòd eam sanctissimam, & celeberrimam esse debere diuina lex sanxit Leuit. cap. 23. Vnde sancta Ecclesia tempore Euangelicæ gratiæ est mutuata exemplum, vt celebriores quasdam solemnitates, etiam Octauarum additione illustraret: Sanctè etenim, pièq; Dei Ecclesiam ex antiquis illis ritibus, quædam accepisse, testatur S. Leo Papa Serm. 6. de Ieiunio septimi mensis. Hæc habet Baron. in Martyrolog. 2. Ianuarij.

LIII.

Edita Anno 1568.

BEatus Christi Saluatoris Confessor, & infra pag. 247. Bullarij.

COMPENDIVM.

S. Franciscus de Assisio multos Fratres sub vna Regula collegit in princ. Sed hæc vnica illorum Familia pluribus agnominibus distincta fuit, §. 1. Hic ideò Pont. interdicit omnes Congregationes discrepantes ab ipsius Regulæ institutis Fratrum Minorum de Obseruantia, §. 2. Omnesq; Congregationes huiusmodi vnit sub Ordine eorumdem, §. 3. Iuramenta, vota, & promissiones, quæ impedire possent, remittit. §. 4. Hæc adimplere recusantibus, pœnas imponit, §. 5. Et Fratres sic vnitos, non Clarenotum, Amadeorum, aut alio, quàm de Obseruantia, nomine appellari posse, decernit. §. 6. Eorum præcedentiam, & priuilegia declarat, §. 7. Loca regularia absque scitu Pontificis deseri vetat, §. 8. Monialium gubernationem, Superioribus, quibus antea demandata erant, præseruat. §. 9. Ministro Generali facultatem tribuit, circa deputationem Officialium, vsque ad celebrationem Capituli. §. 10. Loca aggregata eius Prouinciæ remanere declarat, intra cuius fines existunt. §. 11. Clausulas huius legis præseruatiuas apponit. §. 12. Et decretum irritans, §. 13. Executores deputat, §. 14. Contrarijs derogat. §. 15. Transumptis credi mandat, §. 16.

Schol. primum.

Quæro. Vltra Clarenos, & Amadeos, quos Fratribus de Obseruantia hic vniuit, nonne etiam vniuit Conuentuales?

Quæro. In Hispania tantùm id egit, vt in eius legitur diplomate, die 2. Decembris 1566. obsignato, cuius authenticum in Bibliotheca Genitoris mei asseruatum perlegi. Et de hac aggregatione meminit etiam Ioan. Ant. Ga-

Gabutius de Vita, & gestis huius Pij lib. 1. cap. 13.

Schol. secundum.

Quaro. Apud quos remansit cura Monialium, quæ à dictis Conuentualibus regebatur?

RESP. Idem Pius eodem anno, & die 12. mensis Decembris eas reformari, & Fratrum de Obseruantia Superioribus regimen dari præcipit, prout in alio legitur diplomate in prædicti Genitoris mei Bibliotheca pariter asseruato.

CIV.

Edita Anno 1568.

CVpientes, vt Monasterium, & infra, pagina 249. Bullarij.

COMPENDIVM.

Monasterium S. Catherinæ de Rosa dudùm in Vrbe erectum fuit, pro educandis, & receptandis miserabilibus puellis, quæ in ipsa Vrbe, & periculo subuertendæ pudicitiæ constitutæ erant, & pro eius gubernio Confraternitas, seu Congregatio prouidorum virorum instituta extitit in ptocem. Vt maius ideò incrementum suscipiat, Cardinali Protectori, seu Congregationi prædictæ, tribuit authoritatem huiusmodi puellas, etiam inuitis parentibus capere, & in dictum Monasterium introducere, & illas occultantes, aut occultari facientes punire, ibid. Causas, & lites quascumque Monasterij, & Puellarum etiam inde egressarum, & nuptarum, super quibuscumque eorum bonis, tam actiuè, quam passiuè, protectori, & Iudici summariè audien. ac diffiniendas committit. §. 1. Cum facultate in Curia, & extra eam citandi, & inhibendi, inobedientes coercendi, & singulis diebus, & horis, præterquam in honorem Dei feriatis, procedendi, non obstan. ferijs ob necessitatem hominum indictis, & indicendis, §. 2. Notarium dictarum causarum deputandi. §. 3. Mandatariumq; §. 4. Executores illius mandata exequi iubet, §. 5. Confraternitatem, Monasterium, Moniales, Puellas, & Administratores, coram ipso Protectore, & Iudice, & non alibi, conueniri posse decernit, §. 6. Clausulas huic priuilegio præseruatiuas apponit, §. 7. Derogatoriasque contrariorum. §. 7.

Schol. primum.

Quaro. Quo primùm tempore hoc pium opus institutum fuit?

RESP. Paulo III. in Sedis Apostolicæ solio sedente, anno 1539. vt scribit Camill. Fanuc. in suo, quod edidit, opusculo, de Pijs Operibus Vrbis lib. 2. cap. 22.

Schol. secundum.

Quaro. Si in §. 2. non esset expressè derogatum ferijs indicendis, nùm illæ censerentur in derogatione comprehensæ?

RESP. Non, quia expressa, & non præsumpta requiritur derogatio eiusmodi, Bart. in l. 1. ff. de Ferijs in princ. Butr. in cap. fin. eod. tit. sub n. 20. Alex. cons. 188. lib. 2. n. 11. & latè prosequitur Gonzal. sup. Reg. 8. Cancell. glos. 14. num. 6. & seqq. pag. mihi 416.

Schol. secundum.

Quaro. Hæc reseruatio est fortassè fauorabilis, vel potiùs odiosa?

RESP. Quatenus excedit personam Episcopi, est fauorabilis, latèq; interpretanda; Et quatenus nocet Capitulo, est odiosa, vt consulendo censuit Hieronym. Gabr. cons. 197. lib. 1. num. 4. & Rota coram Pamphilio in vna Vicen. Beneficij S. Martini 19. Nouembris 1599. quam citat Gonzal. iam relatus in glos. 51. num. 53. pagina mihi 589.

LV.

Edita Anno 1568.

SAnctissimus in Christo, & infra pagina 251. Bullarij.

COMPENDIVM.

Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, secularia, & regularia qualitercumque qualificata, & vbicumque existentia, sede Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, & Primitiali vacante, dispositioni Apostolicæ reseruat. §. 1. Et ita, ac non aliter iudicari mandat. §. 2.

Scholium primum.

Quaro. Hæc reseruatio capit ne etiam beneficia, quorum collatio pertinet ad Cardinales?

RESP. Non, quia specifica esset necessariò facienda mentio de Cardinalibus, vt in similibus reseruationibus loquendo, resoluit Rota coram Seraphino in vna Toletana Parochialis 3. Iulij 1595. decis. 148. num. 1. & coram Iusto in vna Hispalen. Beneficij 19. Aprilis 1602.

LVI.

Edita Anno 1568.

AD Romani Pontificis, & infra pagina 251. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit omnibus Notarijs, vt quascumque dispositiones ad fauorem Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis de Laureto à quocumque faciendas, de quibus quoquomodo eis constare poterit, infra trium mensium in Italia, & extra eam octo mensium spatium, notificent deputatis dictæ Ecclesiæ §. 1. Deputatiq; & Gubernator eiusdem Ecclesiæ idem significent, & in libris suis describant. §. 2. Quibus negligentibus, Commissarij Fabricæ S. Petri de Vrbe, quiotam partem dictorum legatorum exigere possint. §. 3. Negligentiam Ministrorum dictæ Ecclesiæ obstare decernit, cum infra annum in Italia, & extra eam infra biennium à die, quo denunciationes, & notificationes dicto Gubernatori, & Deputatis factæ fuerint, vel eis non factis, infra biennium in Italia, & quinquennium extra eam, à die mortis testatoris, seu alius dispositionis computan. legata exacta non erunt. §. 4. Contrarijsque derogat. §. 5.

Schol. primum.

Quaro. Cur Lauretana, hæc Ecclesia sic nuncupari cœpit?

RESP. Quia cùm anno 1294. quo è Dalmatia in Italiæ regionem B. Virgo ædem suam, in qua de Incarnatione, cælestem Nuntium accepit, transportauit, die 10. mensis Decembris, in Picænum delata in syluam quadam agri Recinetensis consedit, quæ Matronæ cuiusdam Recinetensis erat, diuitis, piæq; Lauretæ nomine nuncupatæ, vt enarrat Baronius tom. 1. Ann. Ecclesiast. An. Christ. 9. pagina 75. & nouissimè post alios sic scribit Horat. Tursellin. Roman, è Societate IESV in suo, qood de Lauretana Historia edidit, opere lib. 1. cap. 6. & seqq. vbi latè.

Schol. secundum.

Quaro. In biennio à die obitus testatoris computan. vt habetur in §. 4. computatur forsan ipsa testatoris postrema dies?

RESP. Licèt multi multa de hac propositione loquantur, verùmtamen in terminis legis nostræ, illa dies non imputatur, sed excluditur, vt plenè scribit Alexan. in l. 1. nu. 16. ff. Si quis caution. & pleniùs Tiraquell. de Retract. lignag. §. 1. glos. 11. num. 17. & seq. & ita obseruari inquit Ias. in d. l. 1. num. 15.

LVII.

Edita Anno 1568.

COrdi nobis est, & infra pagina 252. Bullarij.

COMPENDIVM.

Beneficiorum litigiosorum fructus, lite pendente inter prouisos de beneficio in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, & Capitulum, & Canonicos, percipiebantur à Capitulis, & Canonicis vigore suorum statutorum, vnde lites efficiebantur immortales. §. 1. Hic modò Pontifex decernit, fructus prædictos esse deponen. penes personam fide, ac facultatibus idoneam, à Iudice eligendam. §. 2. Et ita, & non aliter iudicari mandat. §. 3. Contraria remouet. §. 4. Exemplisq; huius Bullæ credi mandat. §. 5.

Schol.

Schol. primum.

Quaro. Persona fide, & facultatibus idonea, vt requiritur in §.2.iudicabitur ne is, qui Notarius est, vel Procurator?

RESP. Non, quia idoneus facultatibus dicitur, qui nedum diues est, sed etiam de facili conueniri potest, l. 2.vbi Bart. Alexand.& Iaf.ff.de in ius vocan. Et ideò si quis esset Notarius, vel Procurator rixosus, & cauillosus, non esset idoneus, vt Bart.& Iaf. ibi declarant.

Schol. secundum.

Quaro. Nunquid hæc Bulla habeat locum etiam in Vrbe?

R E S P. Non, quia Gregorius XIII. speciali eius diplomate postea decreuit, omnia, & singula deposita pecuniarum supra summam scutorum quinque occasione litium in Vrbe fienda, apud Montem Pietatis fieri debere, vt iosta in sua const. 94.

Edita Anno 1568.

LVIII.

QVanta Ecclesiæ Dei incommoda, & infra pag. 253. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia iam suspendit Episcoporum, & aliorum facultatem admittendi resignationes beneficiorum, & de illis sic vacantibus disponendi. §. 1. Nunc eam suspensionem sic relaxat. §. 2. Idest resignationes illi admittere possint senio confectis, aut valetudinarijs, aut corpore impeditis, aut vitiatis, aut crimini obnoxijs, censurisque Ecclesiasticis irretitis, qui nequeunt, aut non debent, Ecclesiæ, vel beneficijs inseruire. §. 3. Et his, qui vnum aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoueri d.§. 3. Religionemque ingressuris, vel matrimonium contracturis, & io alijs casibus contentis in cap. Nisi, de Renunciat. d. §. 3. Non audentibus ob inimicitias in loco beneficij residere, dummodo resignans aliundè possit se commodè sustentare d. §. 3. Permutationes autem beneficiorum iuxta sacros Canones, & constitutiones Apostolicas permittit d.§.3. Episcopis, & alijs, necnon electoribus, præsentatoribus, & patronis vetat, ne in eiusmodi beneficijs successores ab ipsis resignantibus, aut alijs eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos intercedat, §. 4. Collatorum, vel resignantium consanguineis beneficia hæc non conferri decernit. §. 5. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 6. Contraria remouet. §. 7. Publicari hanc Bullam præcipit. §. 8. Exemplis eius credi indulget. §. 9.

Schol. primum.

Quaro. Qui senio dicuntur confecti, vel alij, de quibus in §. 3.?

R E S P. Singulorum exempla recensere fas non est: Tu igitur perlege Paris. in tract. de Resignat. Benefic. lib. 5, cap. 6. per tot. & pariter M. Antonium Genuensem Episcopum Isemiæ in Prax. Archiep. Cur. Neapolit. cap. 6. vbi latam eorum poteris habere explicationem.

Schol. secundum.

Quaro. Nunquid circa beneficiorum permutationes, militat adhuc illorum suspensio, ab isto Pont. in princ. hic indicata?

R ESP. Non, quicquid etenim dicat Paris. de Resignat. Beneficior. quæst. 6. num. 23 r. verissimum est, quòd eam suspensionem hic in §. 3. in fine relaxauit, vt apertè eius verba significant, & clarè explicat Gomes. sup. 8. Regul. Cancell. glos. 14. num. 4 r. & seq.

Edita Anno 1568.

LIX.

NIhil in Ecclesia Dei, & infra pagina 253. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ordo Fratrum Cruciferorũ ab Alex. III. iuxta B. Cleti Tom. II. Compend. disciplinam institutus, dum in sua obseruantia stetit, multum profecit. §. 1. 2. & 3. A qua postea declinans, ferè defecit. §. 4. Innocentius VIII. ideò perpetuitatem Officiorum Generalis, Priorum, Diffinitorum, Rectorum, & Administratorum dicti Ordinis, ad triennium reduxit, iuxta antiquom institutum, §. 5. Verùmtamen perpetuatio illa denuò reuixit, §. 6. Clemens VII. propterea formam eligendi Officiales edixit. §. 7. Prioratus, & Hospitalia vacantia, à Priore, & Capitulo Generali conferri iussit. §. 8. Clemens prædictus, & Paulus III. multa alia pro dicti Ordinis restitutione decreuerunt, quæ minimè obseruata fuerunt. §. 9. Hic modò Pont. Ordinem huoc pristinæ obseruantiæ restituere volens, Bullas Innoc. VIII. Clem. VII. & Pauli III. approbat io his, quæ huic constitutioni non aduersantur. §. 10. Prouisionesque, & collationes, tàm Apostolicas, quàm alias beneficiorum locorom Ordinis, vel eorum fructuum hactenus factas reuocat, §. 11. Prouisos possessione priuatos, ac inde amotos declarat. § 12. Non dimittentibus pœnas imponit. §. 13. Dimittentibus autem titulum, nomen, & insignia retinere, electionisque tàm actiuæ, quàm passiuæ votum permittit. §. 14. Prioris Generalis officium triennio finiri, & in Capitulo Generali eum eligi iubet. §. 15. Aliorum Priorum eligendi formam, & tempus designat. §. 16. Administratorum cuiusque Prioratus munus præscribit. §. 17. Prioribus vitam communem, & alia præcipit, §. 18. Proprietatem omnibus interdicit. §. 19. Vestitum vniformem, porum, & honestum præfinit. §. 20. Hospitalitatem, & studium in locis commodis restitui iubet. §. 21. Mulierum admissionem prohibet. §. 22. Numerum Fratrum in quolibet Conuentu minorem septem vetat, & vbi commodè haberi non possunt, vniri iubet. §. 23. Dispositiones de Prioratibus, & beneficijs Ordinis aliter factas irritat. §. 24. & seq. Omnem recursum prohibet, §. 26. Harum literarum impugnationem interdicit. §. 27. Et secundum eas iudicari præcipit. §. 28. Obseruantiam earumdem toti Ordini iniungit. §. 29. Executionemque Cardinali Ordinis Protectori demandat. §. 30. Obstantibus derogat. §. 31. Transumptisque credi iubet. §. 32.

Schol. primum.

Quaro. Nùm Alexandri confirmatio in §. 3. enunciata, haberi potest?

R E S P. Cosa, licèt non integra, legitur in suo, quod edidit, opusculo, Benedictus Leo Arcadiæ Episcopus, huius Ordinis professor, de Orig. Cruciferor. par. 1. pag. 4. & seqq. & pag. 12. in fine vbi latè. Quòd verios est, quàm quod scribit Ciacon. in vita Idooc. IIII. pag. 573. ab ipso scilicet Innocentio hunc Ordinem anno 1243. fuisse confirmatum; Cum Alexan. III. ad Pontificatum ascendisset anno 1159. nisi dixerimus à pluribus Pontt. confirmari potuisse.

Schol. secundum.

Quaro. Si infra triennium, de quo in §. 5. Prior Generalis decederet, quis eius vicem geret?

RESPON. Primus ex Diffinitoribus vsque ad futurum Capitulum Generale, ex dispositione Constitutionum Ordinis sub rubr. de Offic. General. Ministr. §. Si verò contingat pag. 36. de qua meminit etiam Franc. Monald. conf. 99. lib. 1. num. 1. vbi determinauit secundum Diffinitorem, quamuis primo professum, non subintrare locum prædefuncti Generalis.

LX.

Edita Anno 1568.

QVamuis à Sede Apostolica, & infra pagina 256. Bullarij.

COMPENDIVM.

Facultates, & indulta omnia Comitibus Palatinis, & quibusuis Romanæ Curiæ Collegijs, singulisque alijs personis à Sede Apostolica ad Doctoratus licentiaturæ, & Magisterij gradum promouendi concessa, reuocat. §. 1. & 2. Decretisque Concilij Tridentini inhærendo, promotos à prædictis, quod dignitates, & beneficia Ecclesiastica, nulla gradus prærogatiua gaudere decernit, §. 3. Et sic, &

d iiij non

non aliter posse iudicari. §. 4. Contraria non obstare mandat. §. 5. Et hanc sanctionem in Vrbe publicari, & inter constitutiones perpetuò valituras, describi iubet. §. 6. Eiusque transumptis fidem adhiberi. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. De iure communi facultas doctorandi in Studijs generalibus ad quem spectat?

RESP. Ad Papam, & Sedem Apostolicam, Cardin. & Panormit. in clem. 2. de Magistr. Ancharan. Gemin. & Franc. in cap. 1. de Maior. & obed. in 6. quos, & alios citat, & sequitur Alexan. cons. 110. lib. 6. n. 2. & ibi Apostill. 1. in litera A.

Schol. secundum.

Quæro. Eiusmodi prærogatiua sublata, promotis ex priuilegio, vt habetur in §. 3. quid seruatur in Regnis Galliarum, & Hispaniarum?

RESP. Prærogatiua indigni sunt, prout de Regno Franciæ sic testatur Guido Pap. decis. 388. in fine, & Rebuff. in tract. de Nomination. quæst. 10. num. 3. & 4. Et in Regno Hispaniæ, idem ex speciali Alexandri VI. rescripto, diffinitum fuisse, anno 1493. affirmat idem Rebuff. vbi sup. num. 4. cui adhæret Gratian. lib. 1. Disceptat. Forens. cap. 186. num. 74.

L X I.

Edita Anno 1568.

AD extirpandos, & infra pagina 257. Bullarij.

COMPENDIVM.

Proprietatem Fratribus Minoribus Conuentualibus S. Francisci interdicit in princip. Dispensationes etiam Pontificias desuper concessas reuocat. §. 1. Bona quæcumque in communes omnium vsus conuerti mandat. §. 2. Omnes Fratres in communi Refectorio comedere iubet, §. 3. Donataque Superioribus consignari. §. 4. Et infirmos diligenter curari. §. 5. Bonorum administrationis, & rationis reddendæ formam præscribit. §. 6. Ambitus pro officijs nulli fiant, aut quicquam soluatur, aut munera, vel xenia dentur. §. 7. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 8. Et ita, ac non aliter iudicari præcipit. §. 9. Contrarijs derogat. §. 10. Huius Bullæ transumptis credi indulget. §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Proprietas Religiosis, cur ita strictè prohibetur?

RESP. Quia iugulat, & suffocat matrem Religionis, quæ est paupertas, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. Aufert quoque pacem, quæ est totum bonum Religiosorum, vndè super illo, *Pax super Israel*, dicit glos. in verb. Omnium in cap. 2. caus. 12. quæst. 1. Quietissimè homines viuerent in hoc mundo, si de medio hæc duo pronomina tollerentur, Meum, & Tuum; Hæc scribit etiam Graff. in suis decis. casuum conscientiæ par. 2. lib. 3. cap. 18. n. 7.

Schol. secundum.

Quæro. Nunquid stante huiusmodi paupertatis prohibitione, saltem ad aliquod pietatis opus, poterit Religiosus absque Papæ dispensatione in vltima eius voluntate, quicquam relinquere, de rebus eius vsibus deputatis?

RESP. Non poterit, de eis testando, vel aliter ex eius propria voluntate disponendo, sed solummodo rogando Prælatum suum, vel Conuentum, vt pro sua libera voluntate, illud, aut istud pietatis, vel misericordiæ opus illi, aut isti faciat; Cum hoc nullatenus sit disponere, sed ad piè disponendum, alium piè rogare, quòd cuilibet Religioso etiam Franciscano licet, quia misericordia est virtus omnibus, etiam pauperrimis communis. Sic Nauar. in Manual. Confess. cap. 27. sub n. 270. vbi subdit, eam conclusionem esse quotidianam, eamque practicari vidisse inquit Petrus Cenedus in Collectanea ad ius Canonicum super cap. Ad monasterium de Stat. Monachor. num. 3.

L X I I.

Edita Anno 1568.

AD Romanum spectat Pontificem, & infra, pagina 185. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 3. de Reformat. Matrimon. impedimentum publicæ honestatis abstulit in sponsalibus, quacumque ratione inualidis. Et vbi valida, sunt primum gradum non excedere, §. 1. Hic modò Pont. declarat dictum Concilium procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonijs, per verba de præsenti, contractis, in quibus durare censuit impedimentum eiusmodi in omnibus casibus, & gradibus, quibus de iure veteri erat introductum, §. 2. Contrarijsque derogat. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Concilium, de quo in §. 1. intelligitur ne etiam de impedimento honestatis, ex sponsalibus iam cõtractis?

RESP. Ita sanè, vt reiecta opinione Nauarri, probat Sanchez de Matrim. lib. 7. de Impedimentis disputat. 68. nu. 11. ea, & quidem validissima ratione adductus, quòd hic idem Pius in sua const. 14. de qua sup. pag. 38. alia matrimonij impedimenta sustulit, etiam iam contracta.

Schol. secundum.

Quæro. Nunquid ex solo conatu ad copulam, oritur impedimentum eiusmodi publicæ honestatis?

RESP. Non, imò neque ex ipsa copula, illud oritur, sed affinitas, vt tenent Io. Andr. in cap. vnico de Sponsalibus in 6. n. 3. Anchar. ad finem, quibus assentitur Sanchez vbi sup. num. 22. quicquid aliter tenuerit Archidiac. ibid. num. 10.

LXIII.

Edita Anno 1568.

EA est Officij nostri ratio, & infra pag. 258. Bullarij.

COMPENDIVM.

Extinguit Officium Ministri Visitatoris, & Vicarij Generalis, Fratrum, & Sororum Tertij Ordinis de Pœnitentia S. Francisci in Congregatione viuentium, & sub tribus votis substantialibus astrictorum. §. 1. & 2. Subijcit hunc Ordinem Generali, & Prouinciali Ministro Fratrum minorum de Obseruantia, §. 3. & seq. Protectorem eundem habere iubet. §. 5. In eorum Capitulis, Superiores Fratrum de Obseruantia interuenire præcipit. §. 6. Prouincialium electionem, per vota secreta fieri mandat §. 7. Officiorum tempus præscribit §. 8. Et Visitatorum Prouincialium facultatem. §. 9. Proprietatem Fratribus, & Sororibus interdicit. §. 10. Et in communi viuere decernit. §. 11. Confessoresque, & Concionatores per Generalem, & Prouincialem ministrum iubet approbari. §. 12. Decretaque Rodulphi de Carpo Cardinalis Protectoris obseruari. §. 13. Dubia quoque desuper oriunda, à Generali, & Prouinciali ministro Ordinis Minorum declarari. §. 14. Clausulas huius legis præseruatiuas subdit. §. 15. Priuilegia Fratrum de Obseruantia huic Tertio Ordini elargitur. §. 16. Hanc Reformationem omnino obseruari iubet. §. 17. Executores deputat. §. 18. Contraria tollit. §. 19. Declarat hanc Reformationem nõ præiudicare Reformationi Tertij Ordinis in Regnis Hispaniarum, §. 20. Huius Bullæ transumptis credi indulget. §. 21.

Schol. primum.

Quæro. Quid differunt hi Tertiarij viuentes in Congregatione, & sub votis, de quibus in §. 1. ab alijs non sic viuentibus?

RESP. Illi non sunt verè Religiosi, isti verò Religiosi sunt ex constitut. 42. Leon. X. de qua supra pag. 104. tit. 1. Idq; etiam asseruit consulendo Nauar. in cons. 54. lib. 3. de Regularib. incip. An Religiosus, iuxta impressionem Venetijs anno 1610.

Schol. secundum.

Quæro. Quid est, quòd fertur hunc Pium de extinctio-

ctio-

ctione huius Ordinis cogitasse?

RESP. Perlege subsequentes literas Venerabili Fratri Ioanni Baptistæ Archiepiscopo Rosan. suo, & Sedis Apostolicæ Nuncio in Regnis Hispaniarum, ab eo Pont. contra rium declarante exaratas, & in Bibliotheca Genitoris mei asseruatas, videlicet.

PIVS PAPA V. Generali, & alijs Ministris Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obseruantiæ in Hispaniarum Regni consistentibus. Fraternitas tua certiores hos acceptis literis facere curet, nobis non esse in animo extinguere Tertium Ordinem Fratrum S. Francisci de Pœnitentia vocatum, nec eorum habitum, vel Regulam immutare, sed tantum eos ad obseruantiam ipsius Regulæ reformare; & si quorum excessus puniendi fuerint, debita animaduersione corrigere: Propterea monebis ipsum Generalem, & alios Superiores nomine nostro, aliàs meo, ne eos molestia vlla vltra ea, quæ ad reformationem pertinent, afficiat. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Iulij M. DLXVIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

LXIV.

Edita Anno 1568.

QVod à nobis postulat ratio, & infra pag. 260. Bullarij.

COMPENDIVM.

Diuini Officij forma, à Gelasio I. & Gregorio I. instituta, & à Gregorio VII. reformata, multis postea modis immutata fuit. Et ideò Paulus IV. emendare tentauit in princ. & §. 1. Pius IIII. perfectionem huius operis commisit Concilio Tridentino, quod ad eum remisit, §. 2. & 3. Hic Pont. Breuiarium absolui fecit, illudq; nunc approbat, §. 4. Alia Breuiaria non approbata à primæua institutione, vel consuetudine 200. annos excedente, prohibet, §. 5. Licentias, & statuta aliter orandi, reuocat, §. 6. Breuiarium hoc recipi, & iuxta eius formam orari præcipit, §. 7. Prælatos hortatur, vt illud introducant, §. 8. Indulgentiasq; concedit, recitantibus Psalmos Pœnitentiales, vel Graduales, aut Officium paruum B. MARIÆ Virginis, aut Defunctorum diebus in eis præscriptis, §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Clerico habenti Breuiarium priuatum, ante ducentos annos scriptum, liceret vti hoc nouo?

RESP. Affirmatiuè secundum Nauar. in cons. 5. de Celebrat. Missar. tom. 1. lib. 3. num. 1. iuxta impressionem denono 1610. ea ratione, quòd illud Breuiarium priuatum, non est de exceptis in hac Bulla.

Schol. secundum.

Quæro. Si cæcus, qui memoria tenetet antiquum Breuiarium, indigeret Papæ dispensatione, ne teneatur recitare nouum?

RESP. Si illud recitare non valeret, vt putà quia non habet vt ab alio adiuuetur, non egere dispensatione, affirmat Nauar. vbi sup. in cons. 14. per totum.

LXV.

Edita Anno 1568.

CVpientes pro nostri, & infra pag. 262. Bullarij.

COMPENDIVM.

Rectores Ecclesiarum parochialium cuiuscumq; status, & dignitatis, in quibuscumque Christiani Orbis partibus consistentes, residere præcipit, quibuscumque indultis non obstantibus, §. 1. Eosque residentes fructus omnes beneficiorum lucrari censuit, exceptis distributionibus quotidianis, & alijs, quæ ex iusta causa absentes percipere non solet d. §. 1. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §. 2. Contrariorum derogationem apponit, §. 3. Sanctionemq; pœnalem, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. An ex eiusmodi residentia parochiali, excusabit ne grauis inimicitia?

RESP. Ita sanè; si fit ita grauis, vt Parochus absque sua vitæ discrimine residere non posset glos. in cap. fin. de Cleric. non resident. in verb. excusationem, & tunc si habet parochiam, & Canonicatum resideat in eo, si in parochia habet inimicitiam, sed si solummodò habet parochiam, durante inimicitia, poterit de licētia Episcopi abesse per annum, & interim debet congruenti mercede Vicarium constituere, vt declarauit Sacra Congregatio Cardd. super interpret. Concil. Trident. cuius verba recenset Lopez in Pract. Canon. cap. 50. vers. Octauus casus iuxta impressionem Moguntiæ; Et conuenit dispositio ipsiusmet Concil. sess. 23. cap. 1. de Reformat. vbi decernit, Episcopum vltra bimestre tempus, licentiam non concedere, nisi ex causa graui, quam tamen in casu proposito extare supponitur.

Schol. secundum.

Quæro. Excusabitur ne ille Parochus, cui datus est fortassè ob illiteraturam Coadiutor?

RESP. Non, alioquin melioris conditionis esset stultus, quàm peritus, contra tex. in cap. Eum qui. 18. de Præbend. io 6. Ad quod specialem extare declarationem Congregationis supradictæ, refert Gonzal. sup. 8. Regul. Cancell. glos. 5. §. 9. num. 16. & seq. vbi illius tenorem subiungit. pag. mihi 186.

LXVI.

Edita Anno 1568.

ILla nos cura inter cæteras, & infra, pagina 262. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hic Pont. in sua const. 61. de qua sup. pag. 52. reformationem edidit Fratrum Minorum Conuentualium Sācti Francisci in princ. Fratres in Generali Capitulo Romæ celebrato, aliam ediderunt, §. 1. Quam ipse Pont. præcipit obseruari, §. 3. Executoresq; deputat, §. 4. Erconrraria tollit, §. 5. Oblatorumq; §. 6. Et Laicorum, §. 7. Prouincialis, ex alia Prouincia assumatur, §. 8. Guardianatuum tempus præfinitur, §. 10. Paternitatis titulos, quibus competere possit, §. 11. Fratres in Conuentu quanto tempore durent, §. 12. Et qui eorum numerus esse debeat, §. 13. Regentes Studiorum, quot lectiones interpretari teneantur, §. 14. Fratrum exercitium quotidianum quale, §. 15. Proprietas interdicitur, §. 16. in communi viuatur, §. 17. Infirmorum, & senum cura quæ, §. 18. Bonorum custodia qualis, §. 19. Quisque vnica cella, lectoq; & humili mensa sit contentus, §. 20. Dormitoria efficiantur communia, §. 21. Et etiam horti, sed seiuncti à Nouitijs, & infirmis, §. 22. Bona decedentium, quibus Conuentibus danda, §. 23. Deputatio, vel confirmatio Officialium, gratis fiat, munera etiam gratis data non recipiantur, §. 24. Subuentiones Prælatis, quæ dandæ sint. § 25. Alexandrinæ constitutionis obseruantia, § 26. Habitus, & vestes quæ, §. 27. Ordinationes ad reformationem Ordinis obseruandæ erunt, §. 28.

Schol. primum.

Quæro. Quid est, quòd fertur, fuisse eligendum Prouincialem de ipsa Prouincia, contra determinationem hic statutam in §. 8.

RESP. Hoc vnum perlegi apud Roderic. de Quæstion. Regul. tom. 2. quæst. 52. artic. 6. nempè anno 1600. in Capitulo Generali Romæ celebrato sic diffinitum fuisse, videlicet, Ministri Prouinciales in posterum non eligantur ex alienis Prouincijs, nisi ex vrgenti necessitate, & consensu totius Diffinitorij.

Schol. secundum.

Quæro. Munerum receptio prohibita in §. 24. nunquid valdè omnibus est præiudicialis.

RESPON. Fusè, & multis rationibus, ac etiam Sanctorum Patrum authoritatibus, & exemplis, perniciosa ostendit

ostenditur à Ioanne Busæo in sua Summa Remedior. cōtr. animi morbos pag. 167. in rubr. de Muner. corrupti.

LXVIII.

Edita Anno 1568.

Licet contra notarios, & infra pagina 264. Bullarij.

COMPENDIVM.

Alie sunt editæ constitutiones contra Notarios, in causis criminalibus, & ciuilibus, dicta testium, aut reorum responsiones, absque Iudicis decreto partibus patefacientes, eosq; tamquam falsi reos, & infames, ac periuros, puniri debere statutum fuit. Pontifex iste hæc approbat, & obseruari præcipit, §. 1. Et modo omnes Notarios, tàm principales, quàm Substitutos, Executoresq; & Carcerum Custodes, & alios, quibus carceratos in secretis carceribus, alloquendi facultas conceditur, dicto, vel facto, dicta testium, & responsiones reorum, absque Iudicis causarum, & Procuratoris Fiscalis licentia propalantes, vel nomine eorumdem reorum, & testium, alijs extra carceres nuncium ferentes, vltra pœnas à iure, vel statuto inflictas, pœnam relegationis in perpetuum, vel ad tempus ad triremes, & etiam vltimi supplicij arbitrio Iudicis, pro facti qualitate incurrere decernit, §. 2. Contrariaq; resellit, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Si nomine carcerati in secretis, alijs extra carceres quis nuncium mitteret, in quo nihil contineretur, quod iustitiæ, & Fisco esset præiudiciale, hæc forsan prohibitio, de qua in §. 2. locum haberet?

RESP. Non, quia lex ista, quamnis generaliter sit prohibitiua, restringitur tamen ex ratione præsumpta, & verisimili mente legislatoris, quæ non alia esse potest, quàm præiudicij supradicti; vt in simili casu; perbellè, & copiosè demonstrat Aym. cons. 3. per totum vbi alios cumulat.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ est pœna de iure communi, de qua fit mentio in §. 2. contra propalantes dicta testium, aut responsiones reorum?

RESP. Pęna legis Corneliæ de Falsi. ad tex. vbi communiter id affirmant Scribb. ff. de Fals. cum alijs citatis à Gandin. in tit. de Falsar. n. 15. & à Franc. Marc. decis. 480. lib. 2. num. 2.

LXVIII.

Edita Anno 1568.

Reuerendi DD. Visitatores Carcerum, & infra pagina 265. *Item*. Cum sicut accepimus Visitatores, & infra pagina ead. Bullarij.

COMPENDIVM.

Visitatoribus Carcerum Vrbis authoritatem tribuit, dilationem concedendi carceratis, data cautione de soluendo infra certum tempus, si creditores ditiores sint, & ære alieno non onusti, §. 1. Vel debitoribus non habentibus pecunias in promptu, si consentiant subhastationi bonorum d. §. 1. Vel quando creditor est benè cautus per exequutionem realem d. §. 1. Vel infirmis, §. 2. vers. quarto. Vel quando pertinaces creditores, non subministrant alimenta pauperibus debitoribus, §. 3. vers. quinto. Mulieres autem honestæ carceratæ pro debito ciuili, quamuis publico, relaxentur, §. 4. Vel qui ex natura debiti, non tenentur de iure, vltra id, quod facere possunt, §. 5. Carcerati etiam vti suspecti de fuga, si dent cautionem de se repræsentando sub pęna debiti, §. 6. Et qui cedunt eorum bonis, pro vt de iure, & seruata forma Motus proprij, §. 7. Vel qui manifestè appa ret, quòd sint nulliter capti, §. 8. Decernit etiam, quòd in his relaxationibus, sint præsentes Iudices, qui de meritis causæ rationes reddant d. §. 8. Visitatoresq; eorum arbitrio in causis ciuilibus vtantur, habita ratione qualitatum debitoris, & creditoris, §. 9. Sed in causis criminalibus non relaxent carceratos eorum arbitrio, neque reos confessos, aut conuictos in leuioribus delictis, & in casibus dubijs, vnus ex Visitatoribus cum Iudice causæ, præsente Procuratore, vel Aduocato Fiscali, ac Pauperum Aduocato, causam sibi referat ibid.

Schol. primum.

Quæro. Quo primùm tempore hæc Visitatio Carcerum Vrbis instituta fuit?

RESP. Audi Ciacon. de Vit. Pontt. tractantem, qui in vita Alexandri VI. fol. mihi 101. sic scribit. *Initio sui Pontificatus* (qui fuit anno 1492.) *rebus vrbanis intentus, Carcerum Visitatores instituit*; Et subdit; *Quatuor Iudices creauit, qui de quacunque causa capitali agnoscerent; Et die Martis omnibus se adire, & alloqui volentibus, seipsum exhibuit; Vnde ius in Vrbe seuerissimè dici cœptum*.

Schol. secundum.

Quæro. Nùm dispositio, de qua in §. 3. & vers. quinto comprehendat Hebræos?

RESP. Perlege quid in Gubernatoris Vrbis decreto typis euulgato continetur.

CVM in publica Visitatione Carcerum die 13. Augusti 1620. re maturè discussa, Fuerit declaratum in cap. 5. Constitutionis PII V. de facultatibus Visitatorum Carcerum Vrbis, & similiter in cap. 5. Constitutionis S. D. N. super reformatione Tribunalium Vrbis tit. de facultatibus Visitatorum Carcerum. non comprehendi Hebræos; Declarationem præfatam idem Sanctissimus Dominus Noster viuæ vocis oraculo approbauit, confirmauit, & publicari, ac in omnibus Tribunalibus Vrbis per omnes Iudices seruari voluit, & mandauit. Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ hac die 20. Augusti 1620.

Berling. Episc. Arim. Gub. & V. Cam.

LXIX.

Edita Anno 1568.

Volentes indemnitati Ecclesiarum, & infra pagina. 266. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Camerario, & Clerici Cameræ Apostolicæ, & alijs Romanæ Curiæ Officialibus, data erat facultas, concedendi commissiones alienationum, permutationum, & affrancationum rerum Ecclesiarum in forma, Si in euidentem, siue earum confirmationum; Ideò indemnitati Ecclesiarum, & locorum Piorum consulendo, eiusmodi facultatem Motu proprio reuocat, §. 1. Decretum irritans apponit, §. 2. Contrarijsq; derogat, §. 3. Solam Signaturam sufficere iubet, §. 4. Et in Cancellaria Apostolica, & in acie Campi Floræ publicari mandat, §. 5. Et eius exemplis fidem dari, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Nùm gratia, si in euidentem, de qua in §. 1. nulliter executa, poterit denuò executioni demandari?

RESP. Non, quia Iudex à Papa ad hoc deputatur, & Iudicis delegati iurisdictio, lata sententia, expirat cap. In literis. 9. & cap. Venerabili. 47. de Offic. Deleg. & in his terminis sic censuit Rota in decis. 631. Dunozetti num. 8. part. 2. Nouissimorum, vbi aliam quoque Rotæ decisionem allegat.

Schol. secundum.

Quæro. Prohibitio pœnalis alienandi bona Ecclesiæ, num locum habeat in casu summæ necessitatis?

RESP. Non, si necessitas tantum requirat celeritatem, quòd licentia Papæ peti non possit, vel petita obtineri iuxta gl. in cap. Placuit. 52. caus. 12. quæst. 2. & benè explicat Card. in clem. 1. de Reb. Eccles. non alienan. sub n. 27. Gondis. Villad. in tract. de Legat. quæst. 11. in fine, & sequitur Redoan. de Reb. Eccles. non alien. rubr. 8. sub num. 50. & aliqua exempla eiusmodi necessitatis, vide in l. 5. ff. de Petit. hæred. & DD. ibid. Scribb.

Cum

L X X.

Edita Anno 1568.

CVm de literis, & infra pagina 266. Bullarij.

COMPENDIVM.

Omnia instrumenta, & monimenta ad Romanam Ecclesiam, Sedemq; Apostolicam spectantia, vbicumque existentia inuentariari præcipit, §. 1. Subtractaq; & cælata repeti, & pariformiter inuentariari mandat, §. 2. Executores huius legis deputat duos Clericos Cameræ Apostolicæ, §. 3. Quoscumque ad reuelationem, & restitutionem prædictorum monet, vt in inuentario ponantur infra terminū à dictis Clericis præfigendum, §. 4. Contrauenientibus pœnas infligit, §. 5. Authoritatem suptadictorum Clericorum in præmissis describit, §. 6. Contraria non obstare decernit. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Fuit ne aliàs monitorium ab antiquis Prædecessoribus emanatum, pro recuperatione rei ad Camerā spectan. quod non sit absimile monitorio, de quo in §. 4.?

R E S P. Hoc vnum à Ioanne XXII. pro recuperando quodam dictæ Cameræ thesauro, datum fuisse monitoriū vidisse memor sum, quòd notabile, & omnibus patens est, in cap. vnico, de Furt. inter extrauag. commun.

Schol. secundum.

Quæro. Nunquid personis sic monitis, reuelantibus, reficiendæ sunt expensæ in eundo, stando, & redeundo, vel aliter factæ, vt monimenta deperdita propalarent?

RESP. Reficiendæ quidem, cum officium suum nemini debeat esse damnosum, ad tex. in c. 2. §. Venturus caus. 4. quæst. 3. cap. Cum non deceat. 30. de Elect. in 6. Graff. cons. 6. de Sent. excom. num. 6. & Guttier. Canon. quæst. lib. 1. cap. 11. num. 23.

L X X I.

Edita Anno 1568.

DIuina disponente clementia, & infra pagina 267. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat Ordinem Fratrum Prædicatorum à Sede Apostolica ante alios Ordines Mendicantes approbatum fuisse, ideoq. eius professores in actibus publicis, & priuatis, & tàm coram Papa, eiusq. Cappella, & Conciliorum Sessionibus, quàm in plerisq. alijs Christi fidelium partibus præcedere, & nihilominus nonnullas desuper contentiones ab alijs Ordinibus excitari, §. 1. Eas propterea extinguit, §. 2. Et Fratribus Prædicatoribus, etiam vbi Ecclesias non habent, aut alij Mendicantes antiquiores Ecclesias habeant, dictam præcedentiam concedit, §. 3. Et desuper non molestari præcipit, §. 4. Ita, & non aliter iudicari mandat, §. 5. & seq. Contrarijsq. derogat, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Ad quem recurrendum, si noua orireiur quæstio, circa eiusmodi præcedentias, vel similes?

RESP. Ad loci Ordinarium, qui omni appellatione remota eam componet, vt decreuit Concil. Trid. sess. 25. de Reformat. cap. 13.

Schol. secundum.

Quæro. Quid præcipuè attendere debet Episcopus, in illis controuersijs deciden?

R E S P. Consuetudini loci multum deferre debet, ex doctr. Bald. in cap. Cum olim. 6. de Consuetud. num. 1. & Zabar. cons. 62. num, 1. Quamplurieś Rota probauit, pro vt in decis. Seraphini 964. num. 1. vbi ampliat id procedere etiamsi talis consuetudo, iuris communis dispositioni repugnaret. Vnum tibi insinuare non prætermittam, plurimi nempè esse consuetudinem Romæ, quæ omnium magistra dicitur, ita censuit Sacra Congregatio Cardinaliū, negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præfectorum die 26. & 30. Augusti 1593. quę quidē declarationes habentur impressæ in priuilegijs Ordinis Camaldulen. fol. 218. & in Collectione priuilegiorum Mendicantium, per Io. Baptistam Confectum fol. 138. impress. Florentiæ.

L X X I I.

Edita Anno 1568.

HOrrendum illud scelus, & infra pag. 268. Bullarij.

COMPENDIVM.

Lateranensi Concilio statutum fuit, quoscumque Clericos illa incontinentia, quæ contra naturam est, laborare deprehensos, à Clero deijci, vel ad agendam in Monasterijs pœnitentiam detrudi, §. 1. Hic Pont. grauius vlcisci deliberauit, §. 2. Ideoq; quòd iam ipse in sui Pontificatus initio in const. 5. §. 11. de qua sup. pag. 35. hac de re decreuerat, plenius, & fortius intendens, quoscumque Clericos, tam dirum nefas exercentes, omni priuilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio ecclesiastico, præsentis canonis authoritate priuat, ita quòd per Iudicem ecclesiasticum degradati potestati sæculari statim tradantur, qui de eis, illud idem capiat supplicium, quod in laicos in hoc exitio dissolutos, legitimis reperitur sanctionibus constitutum, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba *præsentis Canonis authoritate priuat*, de quibus in §. 3, quid important?

R E S P. Important priuationem beneficiorum ipso iure, cap. Excommunicamus. 13. & ibi communiter Scribb. de Hæretic. cum similibus, & tenet Nauarr. in Manual. Confess. cap. 27. num. 249. vers. Secundo dico, & propterea etiam ante sententiam, illa possunt impetrari, vt firmat Rota in decis. 728. par. 5. lib. 3. Diuersor. per tot. & Mandos. multos adducit concord. in addit. ad Lapum. allegat. 16. aliàs 17. Quibus adhæret Steph. Quaran. in sua Sūm. in verb. Sodomia ad finem, necnon Gonzal. in Comment. ad 8. Regul. Cancell. glos. 15. num. 148. de Mensib. & Alternat. pag. mihi 379.

Schol. secundum.

Quæro. Num vnica tantum vice Clericus sic delinquēs capitali supplicio est punien. non obstan. illo verbo, *exercentes*. de quo in §. 3.?

R E S P. Negatiuam sententiam tenet Nauarr. in Manual. Confessor cap. 27. sub num. 249. ponderando verbū, *exercentes*, quod multiplicàtionem actus supponit, subdens quòd ex industria dictum verbum posuit Matthæus Contarellus huius Bullæ compilator, pro vt ab eo, & exinde à Gregor. Papa XIII. id sibi relatum fuit. Et hanc sententiam alij plerique (simpliciter tamen) Nauar. sequuntur, & etiam Roder. de Quæstion. Regul. lib. 1. quæst. 29. artic. 12. Sed contraria sententia mihi verior videtur, quia iam hic Pontifex in sua constitut. 5. §. 11. tàm laicis, quàm Clericis pœnam mortis imposuit, & in hac Bulla inquit, quòd iam ab eo dispositum contra Clericos fortius, ac plenius prosequi intendit, ita quòd illam non corrigere, vt asserit Roderic. sed ampliare voluit, & benè multis rationibus comprobat Ignat. Lop. ad Diaz in pract. Canon. cap. 90. iuxta vltimam impressionem. Et illud verbum, *exercentes*, positum in lege punitiua sodomiæ, propriè intelligitur in primo actu text. est in §. Item lex Iulia. de Adult. Instit. tit. de Public. Iudic. quam intelligentiam communē esse scribit Farin. quæst. 148. num. 30. Quinimò Episcopus Septimacensis in suo Tract. de Discept. cap. 33. inquit hāc huius Bullæ intelligentiam habuisse eumdem met Piū V. à quo ipsemet Episcopus pro dictæ Bullæ impetratione, institerat, quòd refert etiam Diaz vbi supra. Ita quòd Papæ legislatoris intentio attendenda est, non autem Prælati compilatoris.

Sa-

LXXIII.

Edita Anno 1568.

SAcrosanctum, & infra pagina 269. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reuocat indulta quorumcumque Collegiorum, & Officialium Romanæ Curiæ, & Conclauistarum, pensiones, & fructus rerum Ecclesiasticarum per coniugatos, bigamos, & alios laicos obtinendi, vel in alios transferêdi quomodolibet concessa, §.1. Itaut pensiones, aut fructus, aut res ecclesiasticas habere, & qui ad nuptias transierint, antiquas retinere non possint. ibid. Reuocat eadem indulta, etiam quarumcumque militiarum, & Hospitalium, §.2. Priuata priuilegia personarum Hospitalium, & militiarũ restingit ad non coniugatos, vt nouas pensiones non habeant, & coniugati rursus matrimonium contrahentes, habitas iam amittant, §.4. Licentiaque transferendi penitus sit interdicta, ibid. Reuocat priuilegia Magistris, & alijs Militiarum, & Hospitalium personis data, côcedendi expectatiuas, vniendiq; beneficia, vel incorporandi, vel supprimendi, §.5. Reuocat expectatiuas, vniones, & suppressiones ab illis factas, quæ plenarium effectum sortitæ non sunt, §.6. Reuocat facultates testandi, & quomodocumq; disponendi de bonis etiam mobilibus spectan. ad personas Militiarum, & Hospitalium, §.7. Ac dispositionum omnium, quæ plenarium non sint sortitæ effectum. ibid. Clausulas huius legis præseruatiuas addit. §.8. Decretumq. irritans, §.9. Contrarijs omnibus derogat, §.10.

Schol. primum.

Quæro. Nonnè de iure erat, vt pensio per matrimonium extingueretur?

RESP. Ita sanè, si pensio detur de iure ratione Clericatus, qui expirat per matrimonium, ita censuit Rota in decis. Putei 449. lib.2. num.2. in Nouis. (Sed non ex hoc, Bulla otiosa est, quia edita est ad tollendum priuilegia in contrarium concessa.) Secus est dicendum, si pensio detur laico pro benemeritis, & seruitijs, vel pro aliquo officio temporali, vt putà pro pulsandis campanis, tunc siquidem non extinguitur per contractum matrimonij Cardin. in clem.1. de Reb. Eccles. non alienan. latè Gig. de Pensionib. quæst. 54. num.1. & seqq. & tenuit Rota in decis. Manzanedi 287. par.2. in Nouissimis num.3.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si contractum sit matrimonium, sed per sponsalia tantum per verba de futuro?

RESP. Non extinguitur pensio data Clerico, nisi per matrimonium verè contractum cap.1. & ibi Canon. communiter. de Cleric. Coniug. & tenuit Rota in decis.1. eod. tit. in Nouis. & in decis. 772. coram Buratto par.2. num.2. propè medium in Nouissimis.

LXXIIII.

Edita Anno 1568.

QVantum animarum cura, & infra pagina 271. Bullarij.

COMPENDIVM.

Extinguit omnes dignitates maiores, & alia beneficia ecclesiastica vnita alijs Ecclesijs Insulæ Sardiniæ, quæ parochiales Ecclesias habent, vti præbendas, vel aliàs annexas, vbi non est Vicaria perpetua, §.1. Parochiales ad primæuum statum simplicem, & liberum reducit, itaut in earum collatione, Ordinarij formam seruent Concilij Tridentini, quæ de parochialibus Ecclesijs præscripta est, §.2. Vicariæ perpetuæ quando instituendæ sint declarat, §.3. Executores deputat, §.4. Contrariaq. remouet, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Vicaria perpetua, de qua hic agitur, quotuplex est?

RESP. Duplex: Vna quæ continet curam animarum actu; Altera quæ consistit in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, vbi cura residet penes Capitulum, exercitium autem penès Vicarium Rebuff. in Prax. Benefic. in tit. de Dispensat. rat. ætat. in vers. Vel earum perpetuæ Vicariç:

Schol. secundum.

Quæro. Vicaria perpetua æquiparatur nè Ecclesiæ Parochiali?

RESP. Ita quidem, per text. in clem.1. de Offic. Vicar. vbi habetur, quòd per adeptionem secundæ Vicariæ, vacat prima, sicut parochialis; Et ętas, quæ requiritur ad istam, requiritur ad illam, Rom. cons. 356. num.5. vbi etiam inquit, quòd Vicarius perpètuus tenetur promoueri intra annum, sicut Curatus cap. Licèt. 14. de Elect. in 6. Tenetur etiam residere cap. fin. de Offic. Vicar. Ita de his, & alijs tradit Tusch. in verb. Vicaria conclus. 196. per totum.

LXXV.

Edita Anno 1568.

ROmanus Pontifex, & infra pagina 272. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sacrum Concilium Tridentinum decreuit, ne quis deinceps Clericus sæcularis ad sacros Ordines promoueretur, nisi ad titulum sufficientis beneficij, §.1. Et cum non fecerit mentionem de Clericis Religiosis, & in quibusdam Ordinibus, Clerici Religiosi more Regularium in commuui viuunt, qui nunquàm, vel non nisi ad certum tempus professionem emittant, & interim ad sæculum redire possunt, & absque titulo beneficij ad sacros Ordines promoueri prætendunt, non attento tenore dicti Concilij, vnde euenit, quòd per sęculum vagantes, vel mendicant, vel sordidum quæstum exercent, non sine Ordinis vilipendio, §.2. Hic ideò Pontifex dictum decretum ad eos extendit, §.3. Promotionesq. de eis factas non seruata forma dicti Concilij, irritas decernit, § 4. Promotos quoque ministrare non posse, & ministrantes quocumque priuilegio priuati, irregularitatem, aliasq. pœnas dicti decreti incurrere decernit, absolutionem sibi reseruat, §.4. Contrarijs omnibus derogat, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid loco beneficij, ordinari quis potest ad titulum seruitij, in aliqua Ecclesia, cui adscribitur, & deseruire tenetur in Ordine suscepto, & ex cuius massæ fructibus participat?

RESP. Potest quidem, quia huiusmodi titulus deuinctum ibi tenet eum, qui ordinatur ex decreto Côcilij Trident. sess.23 cap.16. de Reformat. & tradit Maiol. de Irregul. lib.4. cap.15. sub num.2. & sequitur Paris. de Resignat. benef. lib.2. quæst.6. num.33. vbi subdit, ita tentum quoq; fuisse in sacra Congregatione Concilij.

Schol. secundum.

Quæro. Nunquid Vicaria habetur pro titulo?

RESP. Si perpetua est, pro titulo habetur, secus si temporalis ad text. & Panormit. ibi in cap. Michael. 13. de Fil. presb. Maiol. vbi sup. necnon Lopez. in Pract. Canon. crim. cap.18. in nouiter edita num.8. & Tusch. in verb. Vicaria conclus. 195. num.5. post Bellamer. cons.38. sub n.9.

LXXVI.

Edita Anno 1566.

LVbricum vitæ genus eorum veriti, & infra, pag. 273. Bullarij.

COMPENDIVM.

Omnes sub voluntaria obedientia, & in communi, in quibuscumque domibus, Ecclesijs, & Conuentibus viuentes, extra votum Religionis, & quorum habitus à sæcularibus presbyteris est distinctus, debeant professionem trium votorum emittere regularem, infra mensem. Inobedientibus nonnullas pœnas imponit, §.3. Contrarijsq. derogat, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Professionem Regularem validè ne recipiet Epi-

Episcopis, ab aliquo Monacho Ordinis exempti à iurisdictione,& superioritate ipsius Episcopi ?

RESP. Negatiuè,ea ratione,quod receptio professionis à superioritate accipit virtutem , quam Episcopus non habet,stante Ordinis exemptione,nec potest professionem emittentem incorporare Religioni, vt consultus optimè respondet Nauar.consi.6.lib.3.num.2.& seqq. to impetitis Brixiæ, vbi iura,& rationes allegat.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si ille Episcopus,nomine Prælatorum Ordinis dicti Monachi,eam professionem recepisset, & Prælati deinde ratificarent ?

RESP. Eam validam,& efficacem reddi,ex subsecuta ratificatione,l.penult.cum ibi not.ff.Rem.rat.haberi. Innoc.in cap.Porrectum.13.de Regular. num. 4. & sequitur Nauar.in loco citato.

LXXVII.

Edita Anno 1568.

ETsi cuncta, quæ ex multa, & infra pag. 274. Bullarij.

COMPENDIVM.

Leo X,& alij Pontt.Hospitali,& Militiæ S.Ioannis Hierosolymitani, & eorum familiaribus, & bonis, à solutione decimarum,charitatiui subsidij, alijsq; oneribus exemptionem dederunt,§.1.Ordinarij tamen locorum, & Rectores Parochialium,atque Capitulares personæ, vigore Concilij Tridentini sess.23.cap.18.Milites,& alios desuper molestasunt,§.2.Hic Pont.aliam exemptionem, & alia priuilegia, approbat,& iteratò concedit,§.3.Clausulas huius constitutionis præseruatiuas addit, §. 4. Executores deputat, §. 5. Contrarijs derogat, §.6.Excipit Ecclesias, & personas in his,quæ ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Concilij Tridentini seruari præcipit, §.7.

Schol. primum.

Quæro. A quo primum Pontifice,hic Ordo dicitur approbatus ?

RESP. A Gelasio II. vt eruditissimè,enarrat Franc.Mennen.de Equestr.Ordin.Orig.pag.mihi 69.

Schol. secundum.

Quæro. Charitatiuum subsidium, de quo in §. 1.à quibus exigi solet ?

RESP. Ab Episcopis, quando illi ex aliqua manifesta, & rationabili causa à suis subditis moderatum,& cum charitate auxilium aliàs postularunt, cap. Cum Apostolus.6.§. Prohibemus. & ibi Canon. communiter de Censib.& fusè eiusmodi subsidij materiam concionatur in suo, quem edidit, tractatu Bartholom. Bellencin.de Charit.subsid. tom. 15.Tract.general.par. 2. pag.145.

LXXVIII.

Edita Anno 1568.

INiunctum nobis , & infra pagina 275. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, Hieronymum Aemilianum Patritium Venetum initium dedisse Societati piorum virorum ad erigen. Hospitalia, pro subuentione pauperum orphanorum, & mulierum Conuertitarum, Paulumq; III.in sua const. 21. de qua sup.pag.124.t.1. facultatem eidem Societati, ad caput sibi eligendum,ac statuta condendi dedisse,eamdemq; à iurisdictione,& superioritate Ordinariorum exemisse,§. 1.Et eumdem Paul.III.ac Paul. IV. alia eidem priuilegia concessisse d.§.1.Carolum quoque Borromæum dictæ Societati,seu Congregationi Ecclesiam S.Maioli Papien. donasse, & donationem ab ipso Pont.approbatam fuisse, §.2. Ideoq; dictæ Congregationis, Ecclesiam prædictam caput constituit,§.3.Orphanorumque eruditionem,& etiam Seminariorum curam admodum religiosè suscepisse, §.4. Et modò tria vota substantialia emittere summopere desiderare,& facultatem in manibus alicuius Prælati illa emittendi,ab isto Pont.concedi postulasse, §.5.Qui professionis emittendæ normam,& sub clericali habitu, Regulam S.Augustini profiteantur. præscribit, §.6.Bonaq; etiam stabilia recipiendi,& in communi possidendi facultatem elargitur, §.7.Congregationem istam Clericorum S.Maioli, seu de Somascha denominari decernit,§.8,Legata Congregationi simpliciter relicta, Ecclesiæ S.Maioli Legata censeri declarat,§.9.Clausulas huius Bullæ præseruatiuas subdit, §. 10. Et clausulam,sublata,&c.§.11. Executores deputat, §. 12. Contrarijs derogat,§.13.

Schol. primum.

Quæro. In §.1.enarratur Paulum III.Societatem exemisse à iurisdictione Ordinariorum,quòd in eius Bulla 21.non legitur,nùm ergo huius Pij constitutio subreptitia censetur?

RESP. Non, quia Paul. III. in alia Bulla potuit eam exemptionem dedisse, quàm in supradicta, quæ apud nos non habetur; ita in specie, & alijs rationibus hoc dubium sustulit Nauar. in cons. 8. lib. 1. de Rescript.per tot. iuxta impressionem Venetijs anno 1610.pag.mihi 49.

Schol. secundum.

Quæro. Exemptio Paul. III.enunciata in d.§. 1. de qua constare non videtur, fuit ne vnquam vsu recepta.

RESP. Congregationem istam in quasi possessione dictæ exemptionis per quadraginta,& amplius annos mansisse,& sic eam acquisiuisse probat Nauar. vbi sup.n.3.

LXXXIX.

CVm onus Apostolicæ, & infra,pagina 276. *Item.* Etsi Apostolica Sedes,& infra pagina 277.Bullarij. Edita Anno 1569. & 1570.

COMPENDIVM.

Census redimibiles creari non posse statuit, nisi super re immobili,sui natura fructifera , certisq; finibus designata, §. 1. Et nisi integrè persoluto pretio in actu celebrationis instrumenti,Notario,& testibus præsentibus, §.2.Solutiones anticipatas prohibet, §.3. Et etiam obligationes ad casus fortuitos eius, qui ex natura contractus non tenetur, §. 4. Ac pacta auferentia facultatem alienandi rem censuatam,§.5.Decernit autem in ea alienanda præferri dominum census,§.6. Statuit, contra morosum census debitorem nihil præiudiciale pacisci posse,§.7.primæ, & 2.Bullæ. Neq; nouum creari censum,aut augeri de fructibus,§.8.Neq; onera extranea imponi, §.9. Diffinit censum perire pro rata rei censuatæ peremptæ, aut infructuosæ effectæ, §. 10. Ac pro eodem pretio quandocumque redimi posse, præuia tamen intimatione per duos menses ante,& eo casu,infra annum etiam ab inuito repeti posse, §.11. Alio autem casu redimendum esse pacisci interdicit, §.12.Contractus alia forma posthac celebrandos,feneratitios declarat, & quicquid contra hæc mandata dari, aut remitti contigerit à Fisco vendicari decernit, §. 13. Prædicta etiam ad census postea alienandos extendit, §.14. Pretiumque semel constitutum minui, aut augeri vetat, §.15.Hortatur omnes, vt contractus census hactenus celebratos censuræ Religiosorum subijciant, §.16. Infructuositatem, de qua in §.10.intellexisse de perpetua declarat §.2.subseq.Bullæ. Onera,de quibus in §.9.declarat in §. 8. subseq.Bullæ. Nomerationem pecuniæ,de qua in §.2. non esse necessariam in constitutione dotium declarat in §.9.subseq.Bullæ. Et cedulam banchariam loco precij sufficere decernit in §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Si facta disdicta census per intimationem per duos menses ante, vt in §. 11. venditor census non offerat pretium in tempore,erit forsitan necessaria noua disdicta ?

RESP. Erit profectò, quoniam Bulla præcipit, vt ille infra bimestre pretium soluat, aliàs emptor non cogitur recipere absq; noua intimatione,vt firmauit Rota in decis. Vbaldi 492.par. 1.in Recentior.num.2.

Schol. secundum.

Quæro. In d. §.11.habetur,quòd facta dicta intimatione per venditorem census, si intra bimestre non redimit,

em-

emptor infra annum cogere potest ad redimen. credis ergo alio casu nequaquam illum cogere posse?

Quaero. Directè eo tantum casu cogere potest, sed indirectè id facere valet, quando scilicet, venditor censûs non implet ea, quæ implere promisit; tunc enim non agit directè ad repetitionem pretij, sed ad implendum promissa, & in defectum implementi ad damna, & interesse, & loco illorum petere sortem principalem, sed non vti pretium Bal. in l.4.C.de Action.empt. num.7. Rota in decis. Ludouisij nunc Sanctissimi 77.par.2.Recentior.num.2.vbi hoc idem antea in vna Romana Dotis tentum fuisse testatur.

LXXX.

Edita Anno 1569.

HEbræorum gens, & infra pagina 278. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hebræos multa scelera in Statu Ecclesiastico patrare recenset, ideoq; eis præcipit, quòd ex toto Statu Ecclesiastico, locisq; Baronum, (non tamen Roma, & Ancona) infra sex menses à die publicationis huius Bullæ abire debeant, sub grauissimis pœnis, §.1.& 2. Contrarijs quibuscumque non obstantibus, §.3.

Schol. primum.

Quaero. Huiusmodi Iudæorum exulatio nùm antiquitus indicta fuit?

RESP. Aliàs tibi dixi Iudæorum nomen idem sonare, quod peregrinus, Ad quod, vltra sacra vaticinia, & Sanctorum attestationes, sic à Prudentio Poeta Christiano, dictum fuit in Carminibus contra ipsos scriptis.

Exilijs vagus, huc illuc fluitantibus errat
Iudæus, postquam patria de sede reuulsus
Supplicium de cæde luit, Christiq; negati
Sanguine respersus, commissa piacula soluit.

Schol. secundum.

Quaero. Nunquid antiquioribus temporibus Iudei vnquam, etiam ab Vrbe expulsi sunt?

RESP. Suetonius Tranquill. in Vita C. Cæsaris cap. 25. Sic loquitur. *Iudæos assiduè tumultuantes Roma expulit*; Et in Actibus Apostolorum cap.18. vers.2. legitur. *Præceperat Claudius discedere omnes Iudæos à Roma.*

LXXXI.

Edita Anno 1569.

INiunctum nobis, & infra, pagina 279. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia in Ordine S.Francisci de Obseruantia, Fratres Strictioris Obseruantiæ existunt, quibus opportunum, est in singulis Prouincijs aliqua loca assignari, hic Pont. in qualibet Prouincia dicti Ordinis, duas domos eis assignari, & perpetuò eisdem remanere, ac Fratres inde nullatenus transferri iubet, §.1.& 2. Executores ad hoc deputat, §.4. Contrarijsq; derogat, §.5.

Schol. primum.

Quaero. Nunquid demandata fuit executioni hæc domorum assignatio?

RESP. Quamplura superuenerunt impedimenta, quæ totalem executionem pro tùc retardarunt: Sed postea Deo auxiliante, ista Strictior Obseruantia maximum profectum fecit, vt legere est in Chronic. Ordin. Francisćan. lib. 8. par. 4. cap. 56. in fine, & cap. seq. pag. mihi 771. & seqq.

Schol. secundum.

Quaero. Quæ potuit esse causa motiua huius constitutionis?

RESP. Ex eo hunc Pont. permotum fuisse credo, quod anno hunc immediatè præcedente, in Prouincia Siciliæ, Ordo huius Strictioris Obseruantiæ mirum in modum florere cœpit, vt perlegi in loco proximè citat. cap. 57. pag. mihi 774. & de anno 1579. dum de mense Maij, sedente Gregor. XIII. Conuentus S. Francisci de Vrbe eidem Ordini assignatus fuit, vt scriptum est ibid. c. 58. pag. mihi 775.

LXXXII.

Edita Anno 1569.

SI de protegendis, & infra pagina. 279. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ministros, & Officiales quoslibet Officij Sanctissimæ Inquisitionis super hæretica prauitate, seu accusatores, denunciatores, aut testes in causa fidei quomodocunque productos, vel euocatos occidentem, verberantem, deijcientem, vel perterrefacientem, bona quæuis dicti Officij, aut Ministrorum expugnantem, inuadentem, incendentem, expilantem, siue scripturas, aliavè instrumenta comburentem, diripientem, aut interuertentem, seu ex incendio, aut alio quocumque modo exportantem, anathemate ligat, & pœnam criminis læsæ maiestatis, & alias infligit, §. 1. 2. & 3. Et eum, qui in conflagratione, expugnatione, aut dirutione etiam inermis, siue capiendi, siue comburendi, siue supprimendi causa fuerit, vel res, aut personas seruari, defendique prohibuerit, eisdem pœnis afficit d. §. 3. Ac eum, qui carcerem, aut aliam custodiam effugerit, vinctum extraxerit, seu emiserit, capiendum, captumvè prohibuerit, receperit, necnon in prædictis auxiliatorem, consultorem, aut fauorem, §.4. Delinquentes claras tantummodò probationes in contrarium adducere permittit, §.5. Episcoporum tamen causas Romano Pontifici reseruat, §.6. Intercedenetes pro his delinquentibus hæreticorum, pœnis alligat, §. 7. Reuelantibus eiusmodi delicta impunitatem concedit, §.8. Absoluendi prædictos formam præscribit, §. 9. Executores deputat, §.10. Contraria remouet, §. 11. Transumptis huius Bullæ credi mandat, §.12. Obrestationem ad Principes subdit, §.13. Sanctionem pœnalem adijcit, §.4.

Schol. primum.

Quaero. Nunquid impedientes S. Inquisitionis Officium sunt ad desistendum per ecclesiasticas censuras compescendi, etiam inuocato brachio sæculari?

RESP. Ita fanè, ad tex. expressum in cap. Vt officium. 11. §. comprehendi verf. Denique. de Hæretic. in 6. & glos. ibid. Archid. Ioann. Andr. Franch. & cæteri communiter admittunt.

Schol. secundum.

Quaero. Si aliquis Religiosus Inquisitor, impeditur à suo Ordinis Superiore, vel ab Episcopo, seu Delegato, vel Subdelegato Papæ, procedere forsan potest contra eos pro impedimento ei illato?

RESP. Non, sed summo Pontifici id notificare debet, secundùm Ioann. Calder. in suo tract. de Hæretic. in tit. De his, quæ pertin. ad execut. Offic. n.8. quem citat, & sequitur Farinac. in quæst. 182. §.5. n.78.

LXXXIII.

Edita Anno 1569.

IN omnibus rebus, & infra pagina 283. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reformationi Romanæ Curiæ intentus Pœnitentiariam Apostolicam reformare incepit, vt ea, quæ animarum, salutem præcipuè concernunt, attentiori studio prosequi valeat, §.1.& 2. Supprimit ideò omnia loca Referendariorum, Correctorum, Reuisoris, viginti septem exercitia Scriptorij, & octo Procuratorum in d. Pœnitentiariæ officio, §.3. Illudq; Maiore Pœnitentiario, Regente, Datario, vno Correctore, vno Magistro in Theologia, vno Doctore in Decretis duobus Procuratoribus, duobus Scriptoribus, & vno Sigillatore tàtum, perpetuò constare præcepit, §.4. Itaq; officia probis viris, & gratis cōcedi mandat, §.5. Maioremq; Pœnitentiarium Presbyterum, Magistrumq; in

in Theologia, vel Decretorum Doctorem esse, & per se ipsum officium exercere debere præcipit, §.6. Et si absens fuerit, vel impeditus alium Cardinalem dictis qualitatibus insignitum Propœnitentiarium subroget d.§ 6. Correctoris qualitates præscribit, §.7. Ac Sigillatoris, §.8. Procuratorum quoque, & Scriptorum, §.9. & 11. Ac omniu̅ dicti officij ministrorum ibid. Officiales omnes per seipsos ritè, & rectè administrare, & suos stipendijs præcipit esse contentos, §.12. Regentis munus declarat, §.13. Materias inter Procuratores, & Scriptores à sigillatore diuidi mandat, §.14. Correctoris munus designat, §.15. Et Sigillatoris, §.16. Expeditiones in Pœnitentiaria gratis dari iubet, §.17. Scripturas omnes Pœnitentiariæ à Sigillatore præcipit custodiri, §.18. Et à cunctis Officialibus quotanis in manibus maiores Pœnitentiarij portari, §.19. Pœnas dolosè se agentibus in eorum officijs imponit, §.20. Decretum irritans adiungit, §.21. Contraria remouet, §.22. Et prædictorum obseruantiam strictè præcipit, §.23.

Schol. primum.

Quæro. Ea officia Referendariorum, &c. quis Pœnitentiariæ adiunxerat?

RESP. Paulus III. dum suis temporibus Pœnitentiariæ officium reformaret, viros grauissimos à suis Consilio, & Signatura Pœnitentiariæ assessores dedit, teste Vestrio in Pract. Rom. Cur. lib. 1. cap. 2. in fine.

Schol. secundum.

Quæro. Poterit saltem aliquid spontè datum pro munere accipi, non obstante quòd gratis expeditiones fieri dicatur in §. 17.?

RESP. Negatiuè huic quæsito cum Nauar. in conf. 50. incipien. An quando lib. 4. de Sponsalib. num. 3. pag. mihi 395. iuxta impressionem Brixiæ anno 1597.

LXXXIV.

Edita Anno 1568.

IN earum rerum, & infra pagina 282. Bullarij.

COMPENDIVM.

In præcedenti constitutione à Pœnitentiaria Apostolica subduxit officia Correctorum, Scriptorum, & Procuratorum exceptis duobus, §.1. Et modò dicta officia Scriptorum, & Procuratorum transfert ad Cancellariam Apostolicam, §.2. Et locum eis in illa assignat, §.3. Formamq; statuit expeditioni literarum, §.4. Emolumenta Officialibus tribuit, §.5. Sigillatoris officium præscribit, §.6. Officiales quicquam pro extraordinario labore recipere, & à famulis, alijsq. personis percipi prohibet, §.10. Executores deputat, §.8. Contrarijsq. derogat, §.10.

Schol. primum.

Quæro. Vice Cancellarius Apostolicus poterit ne de Officijs, de quibus in §. 2. vel aliàs liberè disponere?

RESP. Habebis ad hoc claram Six. V. diffinitionem in sua constit. 100. aliàs 1. in Append. quam omnino attendere opus erit.

Schol. secundum.

Quæro. Officiales Pœnitentiariæ, de qua in §. 1. nunquid teneantur seruare secretum, sicut Confessarius, de his, quæ ratione factæ Confessionis nouerint?

RESP. Teneri scripsit Nauar. in conf. 1. de Sponsalib. lib. 4. iuxta impressionem Brixiæ anno 1597. sub num. 3. pag. mihi 395.

LXXXV.

Edita Anno 1568.

INtolerabilis multorum, & infra pagina 283. *Item*. Hodie in Consistorio, & infra pagina 285. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. prohibuit in sua constit. 85. de qua sup. pagina 25. Cōfidentias beneficiales, §.1. Hic Pont. aduertens multas desuper fraudes committi, quæ in iudicio minimè probari valent, §.2. Ideò certis regulis confidentias declarat, §.3. & seqq. Et ad proban. cōfidentias certas præsumptiones sufficere decernit, §.4. & seqq. Testesq. singulares, singulas præsumptiones probare, & plures præsumptiones sufficere decreuit, §.6. Testes, qui in crimine simoniæ recipi possunt, in hoc crimine recipi iubet, §.7. Contrauenientes omnibus beneficijs, & officijs, præsentium authoritate, priuat, ad futura inhabilitat, & eiusmodi beneficia Romano Pontifici reseruat, §.8. Ordinarijs cognitionem sum mariam delegat, §.9. Cardinales hac lege comprehēdi declarat in subseq. constit. Et ita, & non alias iudicari præcipit, §.2. Obstantia priuilegia reuocat, §.3. Solamq. Signaturam sufficere decernit, §.4. Contrarijsq. derogat, §.5.

Schol. primum.

Quæro. De quibus cōiecturis intelligendus est tex. §.6.?

RESP. De his, quæ tergiuersari non possunt, sed sunt concludentes contra reum, vt pluries dixit Rota circa hāc Bullam, teste Seraphin. in decis. 1359. in Nouis nu. 2. & coram Litta in vna Aretina Confidentiæ 23. Ianuarij 1595. & coram Otano in vna Cusentina Confidentiæ 4. Februarij 1591. Concludentes autem dicuntur, quæ adeò præseferunt confidentiam, vt moueant animum Iudicis ad ita credendum, Rota in d. decis. Seraphin. & coram Rubeo in vna Oriolen. Confidentiæ die 1. Februarij 1591. duosque casus perlege in decis. Caputaq. 100. par. 1. & decis. 337. par. 3. Diuersor. lib. 3.

Schol. secundum.

Quæro. Confidentiarius num in foro conscientiæ teneatur beneficium dimittere, de quo in §.6. etiam non expectata sententia declaratoria?

RESP. Tenetur quidem, cum ipso iure priuetur in §.8. vt post alios, quos congerit, ōstendit Flamin. Parif. in suo Tract. de Confident. quęst. 58. num. 15. Nauar. in Manual. cap. 23. sub num. 111. & Rodriq. in sua Summa cap. 58. conclus. 6. par. 2. notab. 8.

LXXXVI.

Edita Anno 1569.

INter desiderabilia, & infra, pag. 285. *Item*. Consueuerunt Romm. Pont. & infra, pagina 286. Bullarij.

COMPENDIVM.

Declarat, facultatem erigendi Capellas Sanctissimi Rosarij, spectare dumtaxat ad Magistrum Generalem Ordinis S. Dominici, & ab eo deputatos, §.1. Confratres nihil pro ingressu, aut alia causa soluere debere, decernit, §.3. Eosdem absque alterius licentia, ad processiones, & sepeliendum mortuos ire posse indulget, §.4. Contrarijs derogat, §.7. In alia annexa constitutione inquit, orationes ad Deum in vexationibus proficere, §.1. Et ideò ad remouendas hæreses, tenouat modum orandi nuncupatum Psalterium, antiquitus à B. Dominico introductum, ob eamdem causam, §.2. Gratiasq. & Indulgentias confirmat, & innouat, §.3. Confratribus sodalitatum institutarum à Deputatis Ordinis S. Dominici, easdem gratias iteratò concedit, §.4. Et etiam facultatem percipiendi legata, §.5. Indulgentiamq. plenariam dat Confratribus in ingressu, & in articulo mortis, vltra alias in alijs temporibus, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Vbi primum erecta dicitur, & à quo, Confraternitas Rosarij?

RESP. In Vrbe Coloniæ Agrippinæ, à quodam egregio Doctore, Prouinciali eiusdem Ordinis, nomine Iacobo Sprenger, anno 1476. instituta fuit Confraternitas, quibusdam editis statutis super ingressu, & obligatione Confratrum; Quam Alexander Episcopus Forohuien. de Latere Legatus, ad instantiam Imperatoris Federici III. & eius vxoris Augustæ, authoritate Apostolica confirmauit, & Confratribus Indulgentias pro singulis Festis principalibus B. MARIAE Virginis, elargitus est, vt recenset Nauar. de Orat. miscell. 24. num. 19. vbi refert tenorem lite-

literarum dictæ concessionis legati.

Schol. secundum.

Quæro. De quo articulo mortis intelligitur hic text. in §.6. præsumptio scilicet, aut veri?

RESP. De vero, idest cum infirmus verè moritur, vt sic, explicando hanc Bullam, egregia ratione probat Nauar. proximè cit. in Miscellan. 27. num. 36. vbi hortatur omnes, vt hanc Confraternitatem, ob hanc solam gratiam, quæ tam fœlicem exitum promittit, ingrediantur.

LXXXVII.

Edita Anno 1569.

PRidem nos, &c. infra, pagina. 287. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius II. in sua const. 15. de qua sup. pag. 87. §. 1. & Leo X. nonnulla priuilegia Scriptoribus Archiuij Romani dederunt, quæ hic Pont. approbat, §. 1. Eosq; Notarios causarum ciuilium cuiuscumque Iudicis Commissarij, etiam S. R. E. Cardinalis, in Vrbe deputat, §. 2. & ita, &c. non aliàs iudicari mandat. §. 3. Contrarijsq; derogat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Nonne iure ciuili cautum erat, in qualibet Ciuitate huiusmodi Archiuia esse instituenda?

RESP. Iustinianus Imper. sic decreuerat, vt in eis acta, & instrumenta publica asseruarentur incorruptè, & inuenirentur facilius, in auth. de Defensorib. Ciuit. §. penultim. vers. Præcepta verò, vbi Angel. & cæteri hoc notant.

Schol. secundum.

Quæro. Ex Archiuio publico vellem habere scripturam, in qua non habeo interesse, poterit Archiuista eam denegare? Et quatenus non, plenam fortasse probationem constituet?

RESP. Non poterit denegare, vt expresse affirmat Angel. in d. §. penult. num. 3. An autem probet, consule Felyn. distinguentem in cap. Ad audientiam 13. de Præscription, num. 11. & seqq. Rota in decis. Put. 430. & 441. lib. 2. in suis nouiter impressis.

LXXXVIII.

Edita Anno 1569.

ROmanus Pontifex, &c. infra pagina 288. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prouinciam Hetruriæ collaudat. §. 1. Et præsertim ob eius erga plures Pont. prædecessores commoda, & obsequia. §. 2. Quæ signanter Cosmus Medices Florentinæ Reipublicæ Dux præstare studuit, & semper tam huic Pio, quàm alijs Prędecessoribus, & Sedi Apostolicæ præstitit, §. 3. Militiamque S. Stephani instituit, §. 4. Statum suum regit. §. 5. Ac preclara multa operatur, §. 6. Superiorem in suo dominio non recognoscit. §. 7. Hic igitur Pont. Cosmum Medices, eiusque successores in Magnos Hetruriæ Duces creat, §. 8. Corona regali donat. §. 9. Clausulas huius indulti præseruatiuas subdit. §. 10. Decretumque irritans, §. 11. Et derogationes contrariorum, §. 12. Creationem eiusmodi non præiudicare iurisdictioni, & potestati S. R. E. nec Imperatoris, & Regum, neque Ciuitatum, & locorum in dicta Hetruriæ Prouincia consistentium, qui non sunt ditionis dicti Cosmi Ducis, neque ei subiecti, §. 13. Sanctionem pœnalem adiungit. §. 14.

Schol. primum.

Quæro. Quid præcipuè præstitit Cosmus iste, huic Pio, propter quod, titulo Magni Ducis Hetruriæ eum donauit in §. 8.?

RESP. Suadente isto Pontifice, Cosmus præter centum, & amplius nummum aureorum millia, quæ Regi Galliarum, in belli subsidium commodauerat, Milites etiam contra hæreticos vnà cum Pontificis copijs miserat, ita Ciacon. in vita huius Pij, & fusius Ioan. Anton. Gabut. Presb. Congregationis Clericorum S. Pauli in suo, quem edidit, libro de vita, & gestis eiusdem Pij lib. 3. cap. 16. vbi nihil procurante Cosmo, sed eius Motu proprio, Pontificem post habitas ad Deum preces, de augendo Cosmi titulo, cogitasse subdit.

Schol. secundum.

Quæro. Num aliud præstitit commodum eidem Pio Cosmus postquam Magnus ab eo Hetruriæ Dux creatus fuit in d. §. 8.?

RESP. Præter alia multa in bello Nauali contra Turcas, duodecim triremes Pontifici suppeditasse, scribit idem Ioan. Anton. Gabut. vbi supra lib. 5. cap. 1. pag. mihi 160.

LXXXIX.

Edita Anno 1569.

QVæcumque sacrarum Religionum, & infra pagina 290. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 11. decreuit, Regulares ad alium Ordinem translatos, neminem Superiorem ad habitum, & professionem admittere posse, nisi in Ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuò viuat, in princip. Hic modò Pont. reuocat, & irritat omnia priuilegia præter iuris communis dispositionem emanata, recipiendi Religiosos alterius Ordinis etiam laxioris, §. 1. Superioresque prætextu priuilegiorum sic reuocatorum, nullum alterius Ordinis etiam laxioris, vel Obseruantiæ regularem, etiam specialem transfeudi ad ipsos licentiam ferentem, ad habitum, & professionem admittere iubet, etiam vt in claustro perpetuò maneant. §. 2. Eos verò, quos vigore dictorum priuilegiorum tantùm iam habent translatos, ad illarum Superiores, & loca quamprimùm remittere præcipit, §. 2. Ad missiones, & receptiones aliter factas, nullas declarat. §. 3. Recipientibusque, & admittentibus, pœnas imponit, §. 4. Ordinarios super hic contenta, procedere mandat, §. 5. Contrariaque non obstare decernit, §. 6. Et transumptis fidem præstari. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Dispositio iuris communis, de qua in §. 1. circa transitum ad Religionem, vbi habetur?

RESP. Vide Innocentij III. sanctionem, cum sua materia in cap. Licèt 18. de Regul. & Canonistas ibidem scribentes.

Schol. secundum.

Quæro. Quid agen. à Prælatis, ne eius Religiosi, de quibus agitur in Bulla, à suo Ordine discedant?

RESP. Egregiè docuit S. Bernardus in quadam eius Epistola, quam in tertio Tomo de Regular. quæst. 52. art. 2. recenset Roderic. pagina mihi 159. vbi alia quædam ad rem hanc congruè subdit.

XC.

Edita Anno 1569.

ROmani Pontificis, &c. infra pagina 291. *Item*, Nuper certis, & infra pagina 292. Bullarij.

COMPENDIVM.

Officium Correctoris Cancellariæ Apostolicæ, & literarum minoris Iustitiæ, Contradictarum nuncupatarum, reformat super commissionibus, & rescriptis, & alijs materiis Iustitiæ concernentibus; Vel super Reuelationibus in forma significauit, vel Conseruatorijs, §. 1. Et super confirmatione contractuum sententiarum, & laudorum, §. 2. Super Regularum Cancellariæ concessione, §. 3. Materijsque beneficialibus, §. 4. Licentijs testandi, §. 5. Statutorum, & priuilegiorum confirmationibus, §. 6. Alienationibus bonorum ad loca pia spectantium, §. 7. Literarum expediendarum examine. §. 8. Regularum materijs, §. 9. Literarum registratione, §. 10. Contrauenientibus huic reformationi, & alteri à Pio IV. in sua const. 54. de qua sup. pagina 16. editæ, pœnas irrogat, §. 11. Decretum irritans adiun-

adiungit. §. 12. Contrarijs derogat, §. 13. Commissiones causarum expediendi normam tradit, §. 4. & seqq. Facultates dictorum Officialium declarat, §. 1. subseq. constit. Solam sufficere signaturam huius declarationis decernit, §. 2. Contrariaque non obstare præcipit. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Corrector, de quo hic habetur in princip. si existit Abbreuiator, habet ne primam Sedem in Parco maiori, ante Abbreuiatores antiquiores?

R E S P. Ita sedere consueuit, & sedere debet, quia in hac materia consuetudo attendenda est, vt sic de eiusmodi Correctore censuit Rota in decis. Seraphin. 716. num. 17. vbi tamen contrarium determinat, quoad alios actus Collegiales.

Schol. secundum.

Quæro. Auditor autem contradictarum, de quibus hic agitur in princ. quam olim iurisdictionem habebat in hac Curia?

R E S P. Habebat iurisdictionem ordinariam, eiusque opinionem magni faciebant etiam Auditores Rotæ, & dignior videbatur Auditore Cameræ, vt relatis alijs fusè recenset Mandos. sup. Reg. Cancell. reg 7. quæst. 2. num. 8. & 9. Sed hodie habet solummodo iurisdictionem circa citationes, quæ fiunt per contradictas, quemadmodum affirmat Tusc. in verb. Auditor conclus. 552. num. 5. Contradictæ autem idem sonant, quod citationes per edictum Oldrad. cons. 130. num. 9. vers. Non obstat.

XCI.

Edita Anno ...

CVm sicut accepimus, & infra pagina. 292. Bullarij.

COMPENDIVM.

Innocentius VIII. in sua const. 16. de qua sup. pag. 79. tom. 1. instituit Confraternitatem piorum virorum in Vrbe, ad piè confortan. & sepelien. via Iustitiæ morituros, in princ. & §. 1. Confratribus ius condendi statuta tribuit, & facultatem eligendi Confessorem dedit, §. 2. Indulgentias elargitus est, §. 3. aliàs 4. Priuilegium fori Audit. Cameræ concessit, §. 4. aliàs 5. Hæreditates à dictis condemnatis habere posse indulget. §. 5. Indulgentiamque eorum Ecclesiam visitantibus, §. 6. Leo X. hæc omnia approbauit. §. 7. Confratres de Natione Florentina esse decreuit, §. 8. Alias Indulgentias concessit. §. 9. Clem. VII. prædicta comprobauit. §. 10. Missam circa Auroram, pro condemnatis celebrari permittit, §. 11. Alias Indulgentias concessit, §. 12. Legatum sex ducatorum, & vestes horum condemnatorum in præiudicium Fisci, habere permittit, §. 13. Paulus III. confirmauit, & legatum ampliauit quoad ducatos decem, §. 14. Confraternitati priuilegium carceratum vnum singulis annis liberandi concessit. §. 15. Iulius III. comprobauit. §. 16. Legatum, & omnem aliam dispositionem extendit ad ducatos 25 §. 17. Facultatem alias Confraternitates sibi aggregandi dedit, §. 18. Pius I V. confirmauit. §. 19. Confratribus infirmis, in eorum domo Missam celebrari permittit. §. 20. Confraternitatis Capellano, facultatem etiam de nocte Missam celebrandi condemnatis, & Eucharistiæ Sacramentum eisdem ministrandi, ac plenariam absolutionem tribuit, §. 21. Hic Pont. prædicta omnia approbat, §. 22. Contrarijsque derogat. §. 23.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid Sacramentum Eucharistiæ, eadem ipsa die, qua hi condemnati suspendendi, decapitandi, aut concremandi sunt, ministrari potest?

RESP. Potest, quinimò debet, si petatur, lex. est expressus in cap. penult. 13. quæst. 2. ponderando illud verbum in fine. Et quamuis Clar. quæst. 99. num. 31. dicat ob reuerentiam Sacramenti, aliter fieri debere, & Chartar. de Execution. Sent. contum. cap. vlt. nu. 434. alios ad hoc alleget, Romæ tamen, quæ omnium magistra iure appellatur, seruatur dispositio dicti cap. penult. vt notissimi est, & scripsit Scapp. de Iure non script. lib. 5. cap. 210. num. 6. Idemq; Bononiæ practicari tradit Cotset. sing. 68. in fine. Quod

animabus horum ad mortem condemnatorum, magis proficuum esse inquit Maiol. de Irregular. lib. 3. cap. 24. nu. 15.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si Princeps, aut Iudex id fieri impediret?

R E S P. Ordinarij eos monere, ac recusantes ecclesiastica censura ad hoc cogere debent, vt Clemens V. in Concilio Viennensi sic expressè decreuit in clem. 1. de Peniten. vbi Card. & Anchar. & cæteri notant, & subdunt contrariam consuetudinem, tanquàm abusum, non excusare; Sed dicti iuris Canonici dispositionem, seruandam esse, circa administrationem Sacramentorum.

XCII.

Edita Anno 1569.

EX incumbenti, & infra, pagina 294. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio Canonicorum Sæcularium S. Georgij in Alga Venetiarum acceptauit constitutionem 76. huius Pij de qua sup. pag. 56. qua cautum fuit, vt qui in Congregationibus sub voluntaria obedientia viuebant professionem regularem solemnem, sub trium votorum promissione emitterent, & vnam ex regulis approbatis assumerent, §. 1. Idem eidem Congregationi comprobat omnia ipsius Congregationis priuilegia, Concilio Tridentino non contraria, & communicat alia aliarum Religionum indulta, §. 2. Contrarias concessiones irritat, §. 3. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §. 4. Executoresque deputat, §. 5. Et obstantia remouet. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Acceptatio volentis ingredi Religionem, de qua in §. 1. ad quem spectabat de iure communi?

RESPON. Ad Prælatum, & Conuentum eiusdem Religionis cap. fin. de Regular. in 6. per quem text. sic tenet Nauar. in cons. 2. de Regular. lib. 3. num. 3. incip. Quidam ægrotus, iuxta impressionem Brixiæ de anno 1597.

Schol. secundum.

Quæro. Vouens Religionem in genere, an plures tentare debeat, si ad vnam, quam tentauit, non fuit admissus?

R E S P. Affirmatiuam sententiam probat Caiet. in 2. 2. quæst. 88. artic. 3. cui adhæret Nauar. vbi sup.

XCIII.

Edita Anno 1569.

INfœlicis sæculi pericula miserati, & infra pagina 295. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Bonifacium V I I I. optima ratione multas constituisse pœnas in offendentes, vel insequentes S. R. Eccles. Cardinales, eorumq; mandatores, complices, & fautores, §. 1. Subdit eam constitutionem satis non esse, eo quòd secretè hoc facinus patratur, vt euenit, in attentato facinore contra Cardinalem Borromæum, §. 2. Easdem ergo pœnas imponit scientibus, & non reuelantibus, §. 3. Pœnas contra eosdem quoquomodo inflictas præseruat, §. 4. Reuelantem impunem reddit. §. 5. Ordinarios monet, vt reuelatio nem Pontifici significent, §. 6. Hanc sanctionem Romæ, & alibi publicari iubet. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Quod facinus est, hic indicatum de Cardinali Borromæo?

R E S P O N. Carolus Cardinalis Borromæus, optimus Mediolanensis Ecclesiæ Antistes, integerrimus, Diui Ambrosij in dicta Ecclesia successor, à fel. record. Paulo Quinto, in Sanctorum numerum relatus Kal. Nouembris anno 1610. vt infra in eius Bulla 67. à quibusdam facinorosis Pseudofratribus Ordinis Humiliatorum prauia coniuratione, dum in Sacello genibus flexis Deo preces effundebat anno 1569. ictu sclopi transuerberandus erat, nisi prepotentissimus Deus incolumem reddidisset, vt hic

Pius summatim recenset infra in sua constitut. 119.& seq. vbi idem Pont eum Ordinem, cuius reformationem Sanctus Carolus perficere nequiuit, extinxit. Hæc omnia in Historia vitæ huius Pontificis luculenter enarrantur à Io. Antonio Gabutio Clerico Regulari Sancti Pauli Decollati lib. 3.cap.15.& scripsit etiam Marius Italia in suo Tract. de Immunit.Eccles.cap.5. num.155.

Schol.secundum.

Quæro. Quid si quis se defendendo, Cardinalem offenderet?

RESP. Non incidit in hanc pœnam, cum nec iniuriosè,nec temerè hoc agere dicatur, ita tradit glos.in cap. Fęlicis.5.de Pęn.in 6.Viuius in sua opinion. 88.num. 4. Hoc idem scripsit Rebuff.in Praxi Benef. in explicatione Bullæ Cœnæ Domini Pauli IIII. & Nauar. in Man. Confess. cap. 27.num.67.vers.Sexta, vbi explicandu sensum Bullæ Cœnæ Domini Greg. XIII. quorum Pontificum Bullæ habet materiam offensionis Cardinalium.

XCIV.

Edita Anno ....

INfirma æui conditio sæpè efficit, & infra, pag. 296. Bullarij.

CXXVII.

Narrat,Sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ præeminentiam, ob varias ruinas, & Pontificum ab Vrbe (vrgentibus ex causis) absentiam & eorumdem redeuntium commorationem,apud Basilicam S. Petri in Vaticano à Leone IV. parta de Sarracænis victoria, mirum in modum exornato, & ab eorum incursibus munito, in dubium reuocatum à Sacerdotibus dictæ Basilicæ.§.1.Sed Gregorius XI. Auenioni permanens, supremum locum Ecclesiæ Lateranensi deberi affirmauit,vt supra in eius constitut.4.pagina 45.t.1.Rota Romana (cui Pius IV. huncarticulum iteratò controuersum, postremò deciden. delegauerat) idem pronunciauit,& ita executum fuit, §.3. Hic Pont.omnia approbat,& defectus si qui adessent,supplet,§.4. Appellari vlterius vetat, §. 5. Perpetuum silentium imponit,§.6. Et ita semper iudicari mandat.§ 7.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore parta fuit à Leone IV. de Sarracænis victoria, Vaticanumque pro tutiori Pontificum mansione munitum, vt in §.1.?

RESP. Annum circiter 849. victoriam adeptus est, & post eam anno sequenti Basilicam Sancti Petri exornauit, Vaticanum muniuit,murisq; cinxit, Leoninamque de suo nomine Vrbem appellauit,vt recenset Ciacon.in vita dicti Pont.pag.mihi 239.

Schol.secundum.

Quæro. Vltra rationes hic enunciatas,tributæ Summæ Præeminentiæ Ecclesiæ Lateranen. est ne refutanda considetatio, quòd in ea plura Concilia celebrata fuere?

RESP. Præter multa Italica Concilia,celebrata etiam fuerunt generalia,tamquàm in Sede Pontificia: Primum à Calisto II. Alterum ab Innocentio II. Tertium ab Alexandro III. Quartum ab Innocentio III. & Quintum à Leone X. vt legitur in libris Conciliorum.

XCV.

Edita Anno 1569.

ETsi omnium litium finem, & infra, pagina 297. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad euitandum subterfugia multorum,qui lites Fabricæ S. Petri de Vrbe in longum protrahere procurant, decernit fauore dictæ Fabricæ, in eius causis, duas sententias conformes pro ea latas, in ea parte, qua sunt conformes, paratam habere executionem, partesque inde appellantes non audiri, §. 1.& 2.Piæsentesque literas de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut alio quouis defectu notari non posse, §. 3. Et ita ,& non aliter iudicari,§.4. Contraria non obstare iubet,§.5. Transumptisq; huius indulti fidem adhiberi, §. 6. Sanctionem quoque pęnalem subijcit, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Dicentur conformes duæ sententiæ,de quibus in §. 3. etiamsi inter, vel ante eas,lata sit sententia in contrarium?

RESP. Conformes esse ostendit Dec. cons. 385. sub num.2.Couar.Practic.quæstion.cap.25.num.3.vers.quarto Gabr.in tit. de Execut. rei iud. conclus. 1. num. 12. & Thesaur. in decis. Pedemont. 122. num. 16. vbi sic etiam antea à Senatu tentum fuisse affirmat.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si prima sententia condemnat in centum simpliciter,secunda verò infra tres menses?

RESP. Quamuis Alex.cons.73. lib.2. num. 2. & seq. dicat non esse conformes, nihilominus contrarium verius videtur ex eo, quod prima sententia simpliciter condemnans, condemnare dicitur etiam ad tempus, & sic adest conformitas, vt post alios perpendit Sigismund. Scac. de Appellat. lib.3.cap.2.quæst.17. limit.1.num.39.

XCVI.

Edita Anno 1569.

DEcet nos, qui ad omnium, & infra pagina 297. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vt Fabrica S. Petri quanto citiùs ad finem perducatur, Deputatis, & Collegio dictæ Fabricæ facultatem concedit, exequendi legata pia in Vrbe cum retentione quintæ partis,pro subuentione eiusdem Fabricæ, quatenus in illis Vicarius Papæ infra quindecim menses à die obitus testatoris computandos non præuenerit, §. 1. & seq. Et commissiones signandas in dictis causis, subintelligi extare clausulam, sine præiudicio duarum conformium, §. 2. Et hoc indultum subreptionis, vel obreptionis vitio, aut alio quouis defectu notari non posse, §.3. Et ita, & non aliter iudicari debere,§.4.Contrarijsq; derogat, §. 5. Illiusque transumptis fidem dari decernit.§.6.

Schol. primum.

Quæro. Quid dicendum, si hæredes non confecissent inuentarium, vnde videri possit, an exinde legata solui possint?

RESP. Audi,quid desuper decreuit Collegium Fabricæ,quod eius priuilegia declarandi facultatem habet; Cuius decreti tenor in actis illius Secretarij,sub die 27. Martij 1598. talis est?

Tandem teneri hæredes, qui intra statuta à iure tempora, bonorum hæreditariorum legitima inuentaria non confecerunt ad integram solutionem faciendam legatorum,& piorum relictorum, quoties iuxta eiusdem Fabricæ priuilegia in foro iudiciali conuenti fuerint, neque sub prætextu, quod hæreditas soluendo posse, non sit, excusari quominus etiam vltra vires hæreditarias tenecantur; Cum enim sine inuentarij confectione hæreditates adeundo, aut in eis seipsos immiscendo, cum legatarijs quasi contraxisse videantur, non debent beneficio legis perfrui, quam contemnendam esse censuerunt, nisi à Sanctiss. D. N. restitutionem in integrum aduersus lapsum temporis ad inuentarij confectionem concessi, forsan obtinuerit.

Schol. secundum.

Quæro. Et si hæredes ne dum inuentarium pretermisissent, sed etiam ipsi, & legatarij aliquam fraudem Fabricæ fecissent,quid agendum?

RESP. Idem Collegium in hoc puncto eadem die,in actis dicti Secretarij sic decreuit.

Cum verò interdum eo vsque habendi cupiditas accrescat, vt non vereantur multi hæredes, & legatarij scripturas falsas fabricare,priores datas confringere, aut aliàs Fabricam ipsam defraudare; Declaramus contra huiusmodi falsarios, complices, aut quouis modo culpabiles, omni-

omnibus, iuris, & facti remedijs procedi debere, etiam declarando eos in censuras ecclesiasticas, & pœnas incidisse, mulctas, & pœnas ad fabricæ vtilitatem conuertendas fore, iuxta eiusdem Fabricæ priuilegia.

XCVII.

Edita Anno 1569.

EXigit incumbentis, & infra, pagina 298. Bullar.

COMPENDIVM.

Applicat Fabricæ Sancti Petri de Vrbe medietatem legatorum à pijs testatoribus ad effectũ celebrationis Missarum, recitationis Diuinorum Officiorum, & erogationis eleemosynarum, diuersis locis pijs factorum per trienniũ retroactum, si & postquam ab illis dicta legata infra triennium debitæ executioni demandata fuerint, §. 1. Clausulas huius indulti præseruatiuas apponit, §. 2. Decretum irritans addit, §. 3. Contrariorum derogationes, §. 4. Fidemq; transumptis credi mandat, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Num triennium, de quo in §. 1. à die mortis disponentis erit computandum?

RESP. Ita quidem, vt videre est ex decreto Collegij Fabricæ, quod declarandi eius priuilegia facultatem habet, & die 27. Martij 1598. in actis sui Secretarij edito cuius tenor hic inseritur, videlicet.

Declaramus medietatem huiusmodi pariter à die mortis dictorum testatorum, & disponentium ipsi Fabricæ debitam esse, seruandamque fore in his Bullam fel. record. Pij Papæ V. sub datum 11. kal. Ianuarij 1569. quam generaliter de omnibus pijs relictis intelligendam esse significamus, & interpretamur, & prædicta etiam locum habere in relictis similibus, quæ intra statutum à testatore, & disponente tempus, satisfacta non sunt, vt eo lapso triennium intelligatur encurrisse à die mortis.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si propter aliquod impedimentum legatum eiusmodi exequi non valeret, vt quia ad Monasteriũ construendum pecunia relicta non sufficit, vel in loco à disponente designato construi nequit, aut licentia Episcopi haberi non valet, & simile?

RESP. In decreto præcitato habetur tuæ petitionis decisio, cuius tenor hic subsequitur.

Præterea, quia sæpè contingit pia huiusmodi legata, & dispositiones pro constructione Monasteriorum, Hospitalium, seu Ecclesiarum, & similium relictorum, debitæ executioni demandari non posse propter aliquod facti, seu iuris impedimentum, quia nempè pecunia relicta ad construendum Monasterium non sufficit, aut in loco à testatore designato ædificari non potest, seu etiam licentia ab Episcopo, aut alio Superiore obtineri nequit, cum æquum non sit, vt pium opus huiusmodi propterea deseratur, sed potius in aliud de iure commutandum veniat, declaramus, vt grauatis, certus competens terminus præfigatur, arbitrio Iudicum pro impedimentis huiusmodi realiter, & cum effectu remouendis, aut pro obtinenda à Sede Apostolica commutatione talis pij relicti, & dispositionis. Quòd si terminus elapsus, & impedimenta remota non fuerint, aut commutatio obtenta non sit, tunc legatum ipsum integraliter à Fabrica exigatur, proinde ac si ad Fabricæ vtilitatem deuolutio facta fuisset.

XCVIII.

ETsi de singulis, & infra, pagina 299. *Item*, Exigit incumbentis, & infra, pag. 300. *Item*. Ex debito Pastoralis, & infra, pag. 302. Bullar. Edita Anno 1570.

COMPENDIVM.

Quia nonnullæ alienationes rerum Ecclesiarum factæ fuerunt contra formam constitutionum Symmachi, & Pauli II. Prædecessorum, §. 1. Mandat eas examinari, & rescindi à Ministris Fabricæ Sancti Petri, §. 2. Cui fabricæ tertiam partem bonorum recuperandorum applicat, §. 3. Postea in subseq. constitut. dat fabricæ facultatem causas eiusmodi ab omnibus Iudicibus, auocandi, §. 3. & 4. Et bona recuperata, in euidentem vtilitatem in concedendi, in emphiteusim, & super fructibus componendi, §. 5. Occupatores puniendi, §. 6. Possessores ad exhiben. instrumenta concessionum, pacificamq. possessionem, & canonis solutionem, cogendi, §. 7. Fructus bonorum, pro quibus prima sententia pro Fabrica lata est, deponi faciendi, §. 8. Notarios ad ostenden. scripturas cogendi. §. 9. Et in his causis, sicut in alijs causis Fabricæ, procedendi, §. 10. Duasque partes bonorum recuperatorum, Ecclesijs, ad quas spectãt consignandi, alia pro fabrica retenta, §. 14. Deinde in alia subseq. constit. loco dictæ tertiæ partis bonorum, assignat Fabricæ fructus dictorum bonorum indebitè perceptorũ, §. 2. Et facultatem transigendi concedit, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Si Reliquiæ aliquorum Sanctorum ab Episcopo sine assensu Papæ essent alteri datæ, esset ne rescindenda à Collegio huius Fabricæ ista alienatio?

RESP. Credo rescindendam, quia nõ sunt mobilia quæ seruando seruari non possint, vt cauetur in hic citata const. Pauli II. Quinimò has Reliquias, res pretiosas appellat, & eorum alienationem, dicta Bulla interdictam censuit in specie Reuerendiss. M. Anton. Genuensis Iserniæ Episcopus in Praxi Archiep. Cur. Neap. cap. 71. num. 4. in addit.

Scholium primum.

Quæro. Quid si Episcopus aliquod officium vacabile concessisset ad vitam alicuius?

RESP. Non est rescindenda concessio, quia Symmac. & Paul. II. prohibuerunt alienationem rerum, quæ nũquàm vacant, quorum appellatione non venit officium vacabile, Rota decis. 62. par. 3. Diuers. lib. 3. num. 9.

XCIX.

QVam plenum sit periculi, & infra, pag. 304. Bullarij. Edita Anno 1570.

COMPENDIVM.

Quascumque literas à Prælatis, & alijs concessas, publicandi Indulgentias ad quæstum, irritas decernit, §. 1. Et in futurum concedi, & publicari vetat, §. 2. Contrauenientibus pœnas irrogat, §. 3. Transumptis huius Bullæ credi statuit, §. 4. Sanctionemq. pœnalem subiungit, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Num otiosum videtur hoc decretum stante alia huius Pij constit. 30. de qua sup. pag. 43.?

RESP. Non, quia ibi reuocantur eiusmodi Indulgentiæ per Sedem Apostolicam concessæ, hic verò ab alijs datæ: Item ibi reuocantur concessæ, hic verò non solum datę tolluntur, sed & de cætero dari prohibentur, vt ex vtriusq; Bullæ lectura satis liquet.

Quæro. Indulgentia, quæ concederetur Prælato pro aliquo pio opere, quod fiet extra suam Diœcesim, proderit ne subditis ipsius Prælati concedentis?

RESP. Non, nisi habeatur licentia Prælati, in cuius Diœcesi fit eiusmodi opus, vt egregiè hinc inde rationibus discussis, probat Oldrad. in cons. 73. ou. 3. & seqq.

C.

Edita Anno ...

VOlumus,vt omnes eleemosynæ,& infra pagina 304. Bullarij.

COMPENDIVM.

Eleemosynas pro carceratis in Vrbe colligendas, decernit exponi debere pro soluendis debitis Pauperum Carceratorum, arbitrio Gardinalis Moroni, §.1. Eumdem Cardinalem rogat,in carceribus Turris Nonæ de Vrbe, sumptibus Confraternitatis Caritatis pro curandis infirmis, Hospitale fieri debere,§.2.Prohibet aliquem carcerari pro debito infra septem aureos,quod non habet annexam caussam criminalem,§.3.

Schol. primum.

Quæro. Exponuntur ne etiam hoc tempore eleemosynæ pro carceratis in soluendis debitis eorũ, vt habetur in §.1.

RESP. Exponuntur pro sustentandis Pauperibus: Pro debitis autem eorum persoluendis, annuum subsidium instituit Sixtus V.die 30.Iulij 1590. vt in speciali, quam desuper edidit,constitutione,& peruulgata quidem,sed à Genitore meo ideò in suo Bullario prætermissa, quòd absque mendo integra tunc minimè habere potuit.

Schol.secundum.

Quæro. Cur arbitrium Card.Moroni in distribuendis eleemosynis, & sumptum Confraternitati Caritatis in erigendo Hospitali expetiuit?

RESP. Quia Cardinalis erat Protector huius Confraternitatis; Ipsa verò Confraternitas carceratorum subuentioni enixè studuit,ad idq; Pius IIII.subsidium Custodiæ Carcerum concessit, prout videre est supra in constit. 37.Leon.X.de qua sup. pag.103. t.1. cum annotationibus à Genitore meo ibidem adiunctis.

C I.

Edita Anno 1570.

REgnans in excelsis, & infra, pagina 305. Bullarij.

COMPENDIVM.

Elisabeth Angliæ asserta Regina, occupato Regno, supremi Catholicæ Ecclesiæ Capitis locum, eiusq; pręcipuã authoritatem, & iurisdictionem monstruosè sibi vsurpauit,& dictum Regnum ad Catholicam fidem à Maria Regina legitima reductum,rursus in miserum exitum reuocauit,multas impietates commisit,Catholicos aboleuit, Caluini instituta suscepit,& alia horrenda patrauit,§.1.& 2.Illam ergo hæreticam,& hereticorum fautricem,eiq; in prędictis adhęrentes anathematis sententiam incurrisse,eiusq; Christi Corporis vnitate præcisos declarat, §.3.Regno, ac dignitatibus priuat, §.4.Subditos à iure vassalagij eximit, §.5.Huiusq; Bullæ exemplis fidem dari præcipit,§.7.

Schol. primum.

Quæro. Nùm hæc Pij sententia potuit cum effectu in dicto Regno publicari?

RESP. Audi Io.Ant. Gabutium presbyterum Clericorum S.Pauli,in suo,quod de vita, & gestis huius Pij edidit,opere lib.3.cap.9. sic dicentem. *Ioannes Feltonius Britannus, vir, & generis nobilitate satis clarus, & Catholicæ Fidei confessione multo clarior, veræ Fidei studio permotus, exemplum eiusdem sententiæ ad fores ædium Episcopi Laodinensis affixit:deinde comprahensus acerbissimo genere mortis affectus est, constanter asseuerans se rectè fecisse, atq; ad idem denuò præstandum paratum esse, illas enim Pij V.Pōt. Max.literas meritò sibi venerandas videri, seq; agnoscere illum esse IESV CHRISTI Vicarium in Terris.*

Schol. secundum.

Quæro. Quid de Pio isto Elisabeth asseuerabat?

RESP. Omni studio, omnem lapidem pro subuentione Catholicæ Fidei in eo Regno tentauerat Pius, vt perbellè enarrat Gabut. in loco citato, vbi ad tui quæsiti propositum hoc scripsisse subdit. *Quamplurimi ab Elisabetha vocati abnuentes eos conuenire, palam profitentur se nequaquam illi obtemperaturos vigente, scilicet, edicto Pontificio. Quod tamen illa graue sibi esse dictitabat, non tam ob rem ipsam per se, quam quòd id factum esset à Pio, cuius & admirabilem ad Pontificatum assumptionem, & vitam integerrimam ipsa prædicabat.*

C I I.

Edita Anno 1570.

EX innumeris curis,, & infra pag. 305. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro reformatione Ordinis Cisterciensis, mandat refici omnia Ordinis Monasteria, etiam commendata, & vnita, & de iure patronatus Laicorum, ad debitamq; clausuram restitui,§.1.& 2. Numerumq; debitum Monachorum, §. 3.Et ad Diuinum cultum, & Monachorum vsum necessaria institui,§.4.Diuina Officia in Choro celebrari,§.5.Mensam Conuentualem,& eleemosynas restitui § 6.Libros sacros haberi, §.7. Nouitiatus constitui, §.8. Conuentus ad certam summam reduci,§.9.Mulieribus ingressum denegari,§.10.Carcerem ad correctionem institui, §.11. Inuentaria bonorum confici,§.12. Monasteria non tuta ad Ciuitates transduci, §.13.Visitationes prudenter fieri, §.14.Visitatoribus necessaria subministrare,§.15.Commendatarios nihil Monachis de necessarijs detrahere,aut numerum minuere, vel eos eijcere, §.16.Tertiam, vel quartam partem reddituum cuiusq; Monasterij in eius refectionem, & deinde iuxta Concilium Tridentinum expendere, §.17.Archiuium in Monasterio Cistercij institui mandat cum indice bonorum omnium Conuentuum,§.18.Indulta omnia quoad proprietatem irrita declarat, §.19. Obseruantiam prædictorum præcipit, §. 20. Contrariaque omnia remouet,§.21.

Schol. primum.

Quæro. Beneficia huius Ordinis commendata,sunt ne à Commendatarijs visitanda?

RESP. Vbi non viget regularis obseruantia, visitari decreuit Conc.Trid.sess.21.cap.8.

Schol.secundum.

Quæro. Quid creden. in Visitationibus,de quibus in §. 14.soli Visitatoris assertioni?

RESP. Maximum præstat argumentum, in concernentibus eius officium, prout censuit Rota in decis.Seraphin.780.num.2.

C I I I.

Edita Anno 1570.

POstquam nos Deo authore, & infra pagina, 307.Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert antiquasse Congregationem Ordinis Seruorum B.Mariæ, in duas familias diuisi, totumque Ordinem in vnam, eamdemq; familiam redegisse, in proœm. Et modò ipsum Ordinem reformando, reuocat quodcumque priuilegium quicquam priuatim retinendi, §.1.& 2. Prohibet hoc idem, §.3. Cameras iubet redigi in commune Dormitorium, §.4. Ambitum, & munera interdicit, §.5. Circa recitationem Officij in Communi, Prælatis dat potestatem dispensandi, cum Prædicatoribus,Lectoribus, & Officialibus, §.6. Diuina Officia iuxta Ordinis institutum celebrari iubet, §.7. Confessionesq; Communiones, & ieiunia seruari, §.8. Certum numerum Fratrum, cuiq; domui assignari. §.9. Prædicationesq; habere singulis diebus festis, §.10. Et lectiones in studijs, & alijs locis, §.11. Exercitiumq; circa casus conscientiæ, §.12. Et Catechismum, §.13. Libros prohibitos non retineri iubet, §.14. Formam præscribit promouendi ad gradus, qualitatesq; promouendorum, §.15. Et Confessorum, §.16. Priorum officium biennio expleatur, §.17. Et Fratres non vltra bien-

biennium in eodem loco fint, §.18. Conuentus, vt administrandi, §.19. Rationes administrationis, vt reddendę, §.20. Donata Superioribus consignentur, §.21. In Refectorio omnes communibus epulis vescantur, §.22. Nouitij qui, & vt recipiendi, & instituendi, §.13. Vestiarium Fratrū quale, §.24. Scripturæ, & res Ecclesiasticæ, vt seruandæ, §.25. Infirmaria in omni domo instituatur, §.26. Prioris officiū quod, circa Ecclesias, & earum ornamenta, §.27. Res Sacristiæ non alienentur, §.28.

Schol. primum.

Quæro. Antiquatio dictæ Congregationis vbi habetur?

RESP. In constitutione desuper ab ifromet Pontifice edita hoc eodem anno, die 5. Maij, quam perlege apud Roder. in Collect. Bullarum pro Regular. in 30. Bulla Pij V. & inde causam antiquationis intelliges.

Schol. secundum.

Quæro. Pro manutentione huius, vel similis Reformationis, de qua hic agitur, quod præcipuum putas?

RESP. Necessarium videtur, quòd in Capitulis omnibus Ordinis semper tractetur de proprij instituti, & regulæ obseruantia, consulaturq. quo pacto extirpentur vitia, & ambitiones, & praui Religiosi, & tyrannici Prælati coerceantur, ita scribit fusè, & luculenter Roder. de Quęst. Regul. tom. 3. quæst. 47. art. 3.

CIIII.

Edita Anno 1570.

Dum nimis, & infra, pagina 310. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 14. mandauit Episcopis, ne quid recipiant, quod in vsus pios non vertitur, in electione, præsentatione, vel alia prouisione, vel admissione ad possessionem beneficiorum ecclesiasticorum, §.1. Hic modo Pont. reuocat quascumq; consuetudines, & indulta contraria, §.2. Præcipit Episcopis, Capitulis, & personis ne quicquam recipiant, §.3. Declarat, quòd vbi fructus, & distributiones fabricæ, vel Sacristiæ, aut alterius pij loci vsibus, vltra semestre tempus reperiuntur concessæ, pars dimidia tantum illis deinceps tribuatur, altera verò ipsi beneficiarij integrè percipiant, §.4. Derogat contrarijs, §.5. Declarat non præiudicare Capitulis, Collegijs, Mensis, aut personis, fructus & distributiones inter vacationem beneficiorum, & eorum collationem, siuè possessiones apprehensorum prouentuum ex statuto, consuetudine, vel priuilegio percipientibus, §.6. Exemplis huius legis credi decernit, §.7. Sanctionem pœnalem subiungit, §.8.

Schol. primum.

Quæro. Damnatio consuetudinum, de qua in §.2. num porrigitur ad immemorabilem?

RESP. Affirmatiua opinio probatur eo, quod einsmodi consuetudo, tamquàm irrationabilis, & iniqua hic damnatur, sicut post Aret. Roch. Felyn. & Tiraquell. tradit Couar. Variar. resolut. lib. 3. cap. 13. num. 5. post medium, & Petrus Duen. in reg. 144. ampliat. 3.

Schol. secundum.

Quæro. Nunquid contraria consuetudo poterit in futurum introduci?

RESP. Non, ex eadem ratione nunc allegata, secundum Couar. vbi sup. num. 4. Duen. d. reg. 144. num. 1. qui alios allegat.

CV.

Edita Anno 1570.

Pontifice dignum est, & infra, pagina 311. Bullarij.

COMPENDIVM.

Alexander VI. in eius const. 10. de qua sup. pag. 82. t. 1. Officium Summatoris literarum Apostolicarum vacabile instituit, §.1. Priuilegiaq. Collegij Scriptorum earumdem literarum dedit, §.2. Sūmatori fuit etiam indultum, quòd officium per alios regere, extraordinariamq; earum expeditionem facere possit §.3. Et quòd literæ quantumcumq; secretæ, à Summatore examinentur, ibid. Hic Pontifex dictum officium in nobiliorem statum reducens instituit Prę sidentem vnum, §.4. Recognitores quatuor, §.5. Multa officia Summatori annectit, §.6. Recognitoribus emolumenta constituit, §.7. Concessa hactenus à Prædecessoribus comprobat, §.8. Formam examinandi literas Apostolicas præscribit, §.9. Dubiaque desuper orta decidendi, §. 10. Substitutorum Summatoris emolumenta designat, §.11. Summatorisq. §.12. Potestatem condendi pro Officialibus statuta tribuit, §.13. Eosdemq. corrigendi, §.14. Summatori exemptiones Camerarij, & Clericorum concedit, §.15. Pro Præsidente, & Recognitore prædictis gratis literas expediri iubet, §.16. Officium Summatoris quacocumque, vt alia Romanæ Curiæ officia resignaotur, resignari in fauorem vnius ex S.R.E. Cardinalibus, vel alterius personæ Papæ beneuisæ posse indulget. §.7. Clausulas præseruatiuas apponit, §.18. Dictos Officiales admitti pręcipit, §.19. Contrarijs derogat, §.20.

Schol. primum.

Quæro. Si quis, pro eius filio Cardinale, hoc officium emeret, computaretur illi in legitimam, cum sit pacto pretio resignabile, vt habetur in §.17.?

RESP. Affirmatiuam sententiam probat Bald. in l. Omnimodo 30. §. Imputari. Cod. de Inoffic. Testam. num. 3. & de communi Rol. conf. 11. lib. 2. num. 10. & seq. Ripa in l. In quattam. 90. ff. Ad leg. Falcid. num. 63.

Schol. secundum.

Quæro. Sed pro quo pretio imputabitur?

RESP. Pro pretio currente tempore obitus patris, nō autem, quo cōstitit quia illo, & non isto tempore cępit deberi legitima ad text. & Scribb. in d. l. Omnimodo. §. Imputari. Bart. io l. 1. §. nec castrensæ. ff. de collat. bonor. num. 4. in fine Roland. conf. 11. nu. 11. Paris. conf. 56. lib. 3. num. 11.

CVI.

Edita Anno 1570.

Quo primum tempore, & infra pag. 313. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ex decreto Concilij Tridentini, Catechismus, Missale, & Breuiarium emendanda erant, §.1. Breuiarium hic Pōtin sua const. 64. de qua supra pagina 53. emendauit. §.2. Et modò emendauit Missale, quod confirmat, & illud solum obseruari præcipit, nisi alia institutio à Sede Apostolica approbata, vel consuetudo, quæ, vel ipsa institutio supra ducentum annos obseruata sit, §.2. Vel nisi hoc nouum Missale ei magis placeret, & de Episcopi, vel Prælati, aut vniuersi Capituli consensu immutari prohibet, §.3. & seqq. Impressoribusq. aliud imprimere interdicitur, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Si Monachus Cistercien. qui ex antiquissima institutione nō ligatur à Bulla ad vsum noui Missalis, posset vti hoc?

RESP. Non, nisi de consensu Abbatis, & Conuentus. Absurdum etenim esset diuersitatem inducere in eodem Ordine, vt consulendo voluit Nauar. consil. 15. de Celebrat. Missar. tom. 1. iuxta nouam impressionem lib. 3. post princip. vbi Apostilla inquit in fine, huic opinioni adhęsisse Congregationem Cardinalium.

Schol. secundum.

Quæro. Si absente Superiore, qui posset dispensare, vnus Monachus ex aliqua causa, quę docto viro videretur æqua, vteretur Missale, vel Breuiario alterius regulæ, peccaret ne?

RESP. Non peccare, affirmat Nauar. in cap. 19. de Oration. sub num. 217.

CVII.

Edita Anno 1569.

CVm Apostolica Sedes, & infra pagina 314. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inquit omnia per se exequi non posse, ideoq; alijs sæpè suas vices committere, qui sciant, possint, & valeant ea fide liter, & prudenter exequi, prout in Monte de Valentibus Vrbis Gubernatore compertisse fatetur, §.1. Vt igitur celerius sua mandata executioni deutur, absque eo quod pro eorum singulis suæ voluntatis testimonium assignetur, decernit singulas sententias, bannimenta, decreta, aliaq. ab ipso Monte hactenus gesta, & gerenda, in quibus ipse Gubernator ex ordine ipsius Pont. processisse attestatus est, vel procedere attestabitur, illud obtinere robur, & inuiolabiliter obseruari debere, perinde ac si ea omnia de eiusdē Pontificis commissione, & Motu proprio signata fuissent d.§. 1. & 2. Montemq; prędictum nullatenus desuper molestari posse, §.3. Clausulas huius indulti præseruatiuas apponit, §.4. Et decretum irritans, §.5. Derogationesq. contrariorum, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Nùm alij quoque Vrbis Gubernatores hac eadem facultate vsque in hanc diem vsi fuerunt?

RESP. Alij Pontifices successores, alijs quoque Gubernatoribus successoribus, eamdem dederunt facultatem videlicet.

Si quicquam ex ordine Nostro Gubernator oretenus pro cessisse attestatus fuerit, vel imposterum procedere attestabitur, eam prorsus vim, & efficaciam, idemque robur obtinere, & ab omnibus inuiolabiliter obseruari, omnesque quos illa concernunt ita, ac perinde afficere, ac si ea omnia de speciali, & expressa commissione Nostra constaret emanasse, ipsiusque Gubernatoris assertioni absque alia per ipsum exhibenda probatione stari, eumque merum mentis, ac voluntatis Nostræ executorem, super sic per eum, vt præmittitur, gestis tàm in iudicio, quàm extra, etiam per Nos, & successores Nostros, seu de eorum mandato per quoscumque molestari, inquietari, aut perturbari ex quauis causa non posse, &c.

Schol. secundum.

Quæro. Absque speciali eiusmodi concessione, num Gubernatores illa supradicti Montis de Valentibus Gubernatoris facultate, vti potuissent?

RESP. Potuissent quidem vigore Breuis, quo gubernium sibi delegatum fuerat, cum authoritate, facultatibus, iurisdictione, quibusuis alijs Vrbis ante eum Gubernatoribus quomodolibet concessis: Illud enim verbum *quibusuis* prædicatur de omnibus Gubernatoribus, nemine excepto, & verbum *quomodolibet* prædicatur de auctoritate eis data sub quouis modo, forma, & qualitate adscripta per Cardinalem Tusc. qui ipse quoque Vrbis Gubernator antea fuit in verb. Ditio. concl. 355. 359. & 397. ac Martam de Clausul. par. 2. clausul. 57. in vltimò impressis.

CVIII.

Edita Anno 1569.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra pagina 315. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, quòd Pius IV. edidit Bullam contra extrahentes frumenta, blada, & legumina de Statu Ecclesiastico, absque facultate, & causa verè onerosa exbursationis pecuniæ, & absque Camerarij licentia, vt in sua const. 99. de qua supra, pag. 30. §.1. Iste Pont. eam innouat, & approbat, §.2. Et extendit ad omne genus grasciæ, etiam in carnibus, ouibus agnis, & alijs animalibus, necnon oleo, ac rebus alijs consistens, §.3. Camerarium suum executorem deputat, §.4. Contrarijsq. derogat, §.5. Vsum dictarum licentiarum prohibet absque patentibus dicti Camerarij, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Hoc nomen Grasciæ, de quo in §.3. reperitur fortasse in iure?

RESP. Non meminit legisse Paul. de Castr. in consilio 40. lib. 1. in princ. subdens, quòd ab vsu loquendi fuit introductum. Quod Castrensis consilium ad verbum repetit Fulgos. in suo cons. 115.

Schol. secundum.

Quæro. Quomodo ergò erit intelligendum?

RESP. Secundum communem vsum loquendi, à quo illud fuit introductum, & si de tali vsu non apparet, recurrendum est ad illud vocabulum iuris, quod magis simile est dicto verbo grasciæ, ita consulendo affirmant Paul. de Castr. & Fulgos. in consil. præcitatis.

CIX.

SVmmi Sacerdotij cura, & infra, pagina 315. Bullarij.

Edita Anno 1569.

COMPENDIVM.

Moniales Ordinis S. Dominici Fratrum Prædicatorum nondum professas, in legitima tamen ætate constitutas, quoties de consilio medici ab hoc sæculo transituræ conspiciuntur, ante completum Nouitiatus tempus professionē, in manibus suorum Superiorum pro consolatione animæ suæ in articulo mortis emittere posse, omnibusq. gratijs perfrui, quæ Moniales verè professæ consequi valent, indulget, §.1. & 2. Eisdem sic professis plenariam in forma Iubilei Indulgentiam concedit, §.2. Huius indulti clausulas præseruatiuas subdit, §.3. Et clausulam, Sublata, &c. §.4. Derogatoriasq. §.5.

Schol. primum.

Quæro. Nùm virtute huius indulti, Monasteria prædictis Monialibus Nouitijs sic decedentibus, succedere valent?

RESP. Non succedere, scribit Roder. de Quæst. Regular. tom. 1. quæst. 15. art. 6. vers. Secundò notandum, ea ratione motus, quòd indultum fuit concessum Nouitijs pro suarum animarum consolatione, quæ non militat in successione. Sed aduerten. puto, quòd indultum profitendi infra annum, ad eam rationem restrictum fuit, aliæ autem gratiæ omnes Nouitijs sic professis fuerunt concessæ, quæ verè professis competere possunt: Vnde hoc solù videndum est, an indultum succedendi competat Monialibus, an Monasterijs.

Schol. secundum.

Quæro. Quid est, quod fertur hoc priuilegium à Gregorio XIII. reuocatum?

RESP. Non reuocatum esse scribit, tribus rationibus deductis, Roder. vbi sup. quas si videris, veras esse cognoueris.

CX.

SAcrosanctæ Romanæ, & vniuersali Ecclesiæ, & infra, pag. 316. Bullarij.

Edita Anno 1569.

COMPENDIVM.

Crucesignatorum Societas iamdiu instituta fuit, ad præsidium Inquisitorum hæreticæ prauitatis, multaq. priuilegia, & gratiæ à Romanis Pontificibus elargitę fuerunt, §.1. Quæ omnia hic Pontifex approbat, quatenus sint in vsu, & non aduersentur Concilio Tridentino, §.2. Quibuscumque non obstan, §.3.

Schol. primum.

Quæro. An ista Confraternitas sit cæteris alijs Confraternitatibus dignior, & antiquior, omnibusq. præferenda?

RESP. Quamplurimis argumentis, & rationibus, affirmatiuam sententiam eleganter probat, eamq. origine, creatione, & institutione, antiquiorem, & nobiliorem esse optimè demonstrat Bursat. consil. 343. lib. 4. nu. 1. & 41. ac multis seqq. ibi videas.

Schol.

Schol. secundum.

Quæro. Crucesignatorum admissionem, munus, votum, & gratias, quis me poterit edocere?

RESP. Quamplures, sed tu adeas Campeg. in addit. ad Zanch. in suo tract. de Hæret. tit. 37. vbi alios indicat authores, & pariter videas Bursat. in præced. Schol. citatum.

C X I.

Edita Anno 1570.

CVm nil magis humanæ vitæ, & infra pagina 316. Bullarij.

COMPENDIVM.

Tonsoribus monetæ aureæ, pœna vltimi supplicij, monetæ autem argenteæ minor pœna à iure communi imposita erat, §. 1. Sed hic Pont. eadem pœna vltimi supplicij tōsores etiam monetæ argēteę, in Vrbe, & alijs locis Sedi Apostolicæ mediatè, & immediatè subiectis, puniri iubet, §. 2. Barones decernit non impedire Iudices in hoc delicto sæuientes, §. 3. Et ita, & non aliàs iudicari præcipit, §. 4. Contrarijsq. derogat, §. 5. & seq. Hanc sanctionem in Vrbe publicari, & omnes afficere declarat, ac si personaliter esset intimata, §. 7. Eiusq. transumptis credi mādat, §. 8. Solam quoque signaturam sufficere subdit, §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Qua lege cauetur mitius puniri tonsores monetæ argenteæ, quàm aureę, vt supponitur in §. 1.?

RESP. Ex l. Quicumque. 8. ff. Ad leg. Cornel. de Fals. vbi pœna capitalis imponitur tondentibus monetam auream, & eadem tondentibus argenteam imposita fuisset, si debuisset imponi secundum Azo. in Sum. Cod. de Fals. mon. post. princ. Marsil. cons. 71. num. 13. & seqq. Couar. de Numismat. cap. vlt. in fine, & Barthol. Cępol. consil. crim. 77. num. 7. Et quamuis aliter senserit Menoch. casu. 316. nu. 35. & Caball. casu. 191. n. 2. eorum tamen opinio damnanda est, & contraria tenenda, cui hic Pius adhæsit.

Schol. secundum.

Quæro. Quid dicen. de hisce tonsoribus monetæ aureæ, vel argenteæ alio tamen viliori metallo commixtę?

RESP. Eadem pęna plectendos esse hodie in Statu Ecclesiastico est indubitatum vigore bannimentorum generalium Illustrissimi, & Reuerendissimi Cardinalis Ludouisij Superintendentis generalis totius Status Ecclesiastici sub fœlici S.D.N. Gregorij XV. Pontificatu, quorum capit. tenor hic subsequitur, videlicet.

57 *Prohibisce ancora Sua Signoria Illustrissima, che non sia persona alcuna maggior di venti anni, come di sopra, tanto ardita & sfacciata, che posposto il timor di Dio, e della Giustitia, ardisca di battere, o far battere, gettare, o far gettare in qualsivoglia modo, & con qualsivoglia sorte d'instromenti, forme, cugni, o getti alcuna sorte di scudi d'oro, o monete d'argento, o quattrini, in qualsivoglia luogo della sua giurisdittione, ne tampoco spenderla, ò farla spendere, sotto pena della morte naturale, & della confiscatione di tutti li suoi beni, aggiugnendo che nell'istesse pene incorreranno anco quelli, che batteranno monete false d'oro, e d'argento, o quattrini con arme, o insegna di Principi estranei, o inuentati à capriccio, & li loro complici, & fautori, Et accioche vn così graue e perniciosо delitto, nel quale principalmente s'offendono il Principe, & gli Sudditi, non resti impunito, promette Sua Signoria Illustrissima l'impunità assolutamente a qual si sia complice, che lo dedurrà a notitia sua, o della Corte, pur che non sia il principale, ilquale in dubbio così à questo, come ad ogn'altro effetto si presumerà, che sia il padrone, o inquilino della casa, o luogo nelquale si lauorerà.*

58 *Nellaqual pena Sua Signoria Illustrissima dichiara, che incorreranno anco quelli, che tosaranno, o in qual si voglia modo leuaranno con qual si sia sorte d'instromenti, o acque forti, alcuna particella d'oro, o d'argento a scudi d'oro, o monete d'argento, ancorche non schietto, o che per mercantia, o studiosamente per se, o per interposta persona, spenderanno scientemente, o introdurranno in questa giurisdittione monete, così fatte, ancorche fussero quattrini: Dichiarando che s'intenderà hauerli spesi, o introdotti studiosamente chiunque ne hauerà spesi, introdotti, o fatti portare in vna, o più volte la quantità di venti scudi schietti, o di cinquanta mescolati con altri quattrini, ouero moneta.*

C X I I.

Edita Anno 1570.

POstquam eo vsque, & infra, pagina 317. Bullar.

COMPENDIVM.

Enarrat Paulum IIII. decreuisse, debitoribus non concedi posse dilationes, nisi iuxta dispositionem iuris, ac formam Statutorum Vrbis, eosq. birretum viride deferre debere, §. 1. Multos verò prodigalitate, ac luxu eorum bona dilapidasse, & tandem cessione bonorum creditores delusisse, §. 2. Hic ideò Pont. iura omnia contra eos innouat, §. 3. Omnesq; tàm sæculares, quàm Ecclesiasticos, & cuiuscumque conditionis existentes, qui omnem eorum substātiam non fortuitis casibus, sed incuria, prodigalitate, & luxu subuerterunt, necnon qui bona sua decoxisse simulantes, illa in fraudem creditorum occultant, vt eorum creditores, ad secum componendū facilius alliciant, vltimi supplicij, & ea, qua fures ipsi de iure, vel consuetudine, aut statuto plecti solent, puniri decernit d. §. 3. Iudicibus omnib. huius legis obseruantiam demandat, §. 4. Perturbantibus pœnas indicit, §. 5. Clausulas huius sanctionis præseruatiuas apponit, §. 6. Et clausulam, Sublata, &c. Derogatoriasq. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Quid est, quod antiquis iuribus, fraudolentis decoctores tradendi erant creditoribus dilaniandi?

RESP. Speciali lege id cautum non inueni, sed id consulendo dixit Bald. in cons. 249. super libris lib. 1. nu. 1. versic. Item quia sunt infames. Quod duplicatur consil. 396. lib. 5. Sed legem tamquam barbaram, Pium hunc nequaquam in §. 3. confirmasse credi potest in generali illa iurium confirmatione.

Schol. secundum.

Quæro. Hi fraudolenti decoctores gaudebunt, ne immunitate Ecclesiæ?

RESP. Gaudent, quia licet hic Pius eos furibus assimilauerit in §. 3. quia tamen fures longè differunt à publicis latronibus, ad scripta per Ambrosin. de Immunit. Eccles. c. 2. Ideò Bulla Greg. XIV. quæ hodie omninò attendēda est, excipiens latrones ab eiusmodi immunitate, non extendenda est ad istos furibus assimilatos, vt in puncto tenet Ambrosin. vbi sup. cap. 13. in fine, quicquid Farinac. quæstin. 28. num. 33. & alij ab eo citati dicant, cum non loquantur de immunitate iuxta terminos dictæ constitutionis Gregorianæ.

L X X X V.

Edita Anno 1570.

INter illa, quæ in singulis, & infra, pag. 318. Bullar.

COMPENDIVM.

Reformationi Tribunalis Aud. Cameræ intendens decernit, debitorem ex confessione Procuratoris non condēnari, §. 1. Neque excommunicari, §. 2. Procuratorem ad confitendum debitum, nisi & ad se defendendum constitui vetat, præterquàm si de iuribus Cameræ agatur, §. 2. & 4. Susceptionem censurarum in ipsa obligatione recipi

prohibet, §. 3. Formam strictioris obligationis interdicit, §. 5. Obligati in Curia, vt citandi sint declarat, §. 6. Et vt citari di obligati extra Curiam, §. 7. Terminum 30. aut saltem 20. dierum, agnoscentij debitum, Audit. Cameræ concedere permittit, §. 8. Et eo elapso mandatum iam relaxatum sufficere statuit, §. 9. Excommunicati vt possint obligari, declarat, §. 10. Executionem obligationis Cameralis in Vrbe solùm ad Aud. Cameræ (seruata tamen forma priuilegiorum Curiæ Capitolij) spectare decernit, §. 11. Et quoad Clericos ratione originis, vel beneficij Romanos, locum vult esse præuentioni inter Aud. Cameræ, & Vicarium Papæ, §. 12. Appellationes à sententijs extra Curiam, vt concedi possint declarat, §. 13. Literæq; Apostolicæ, vt exequendæ, §. 14. Monitoria generalia vulgò, Significauit appellata, dari vetat §. 15. Episcoposq; in executione Concilij Tridentini impedire, §. 16. Aut aliquam dari expeditionem in his, quæ iurisdictionem ipsius Aud. Cameræ non concernunt, §. 17. Nihil in contumaciam in causis ciuilibus expediri iubet, §. 18. Mandata de manutenendo, parte non citata, dari prohibet, §. 19. Sequestra, nisi timendum sit de suspicione fugæ, aut bonorum dilapidatione, concedi recusat, §. 20. Absentes extra Italiam non citari præcipit ad compatendum inscio Papa, §. 21. Expeditiones à Notarijs non relaxari mandat, nisi ab Aud. Cameræ, vel eius Locumtenente subscriptas. §. 22. Circa expensas, taxam seruari iubet, §. 23. Causas ordinarias per superuenientem commissionem, & commissiones, quoad impensam augendam, effici vetat, §. 24. & seqq. Expeditionum taxam adijcit, & seruari præcipit, §. 25. Contrauenientibus pœnas imponit, §. 43. Acta in contrarium irritat, §. 44. Et ita, & non aliter iudicari decernit, §. 45. Contrarijsq; derogat, § 46.

Schol. primum.

Quæro. Si literæ Apostolicæ, de quarum executione agitur in §. 14. non fuerint expeditæ, & præsentatæ coram Aud. Cameræ, sed sola supplicatio, num Aud. Cameræ executiuè procedere poterit?

RESP. Non, quia longè differt supplicatio ab eiusmodi literis, vt censuit Rota in decis. Seraph. 267. num. 1. Istæ enim non dicuntur expeditæ, nisi sint plumbatæ, Sarn. in Reg. Cancell. super reg. de Non iudic. quæst. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Superueniens commissio in causa ordinaria, quoad alia, quam impensam, de qua in §. 24. efficit ne causam commissariam?

RESP. Regulariter non, vt ex Felyn. in cap. Licet. 12. de Offic. iudic. Ordin. num. 1. dixit Rota in decis. Seraph. 515. num. 3. Quod intelligit, post alios Felyn. ibid. nisi in commissione alterata sit ipsa ordinaria iurisdictio.

C X I V.

Edita Anno 1570.

S Vper specula Domini, & infra pagina, 322. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quia acertimæ exortæ sunt quæstiones circa B. MARIÆ Virginis Conceptionem, & exinde etiam scandala, innouat hic Pont. (salua cuique facultate opinandi eam partem, quam magis piam, & probabilem esse iudicauerit) prohibitionem desuper à Six. IIII. editam, & per Concilium Tridentinum approbatam in proœm. & §. 1. Prohibet de dicta Conceptione disputari in popularibus concionibus, aut de ea, vulgari sermone scribere, & dictare, sub multis pœnis, §. 2. Permittit tamen de ea in Academijs discutere, & Capitulis generalibus, vbi scandali occasio non extat, §. 3. Huius constitutionis publicationem in Vrbe factam, omnes vbique ligare decernit, §. 4. Contrarijsq; derogat, §. 5. Sanctionemq; pœnalem apponit, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Licèt vtraque opinio teneri possit, vt in §. 1. tu tamen quam libentiùs teneres?

RESP. Negatiuam, scilicet; Non esse conceptam in peccato originali, prout tenuit Suares in 3. par. D. Thom. lib. 2. quæst. 27. Sect. 6. artic. 1. & 2. Et Roderic. lib. 1. quæst. Regul. quæst. 37. artic. 1. & 2.

Schol. secundum.

Quæro. Hæc celebritas quo tempore inducta fuit?

RESP. Non tempore decreti in Concilio Basileen. sess. sion. 36. firmati, neque tempore Six. IIII. vt ex eius decreto, de quo in §. 1. Sed in Anglia, circa annum Domini 1070. & in Gallijs 1145. teste Baron. in suo Martyrolog. sub die 8. Decembris, vbi diuino admonitu, & subsecuto miraculo, hanc celebritatem agi receptam commemorat. Et Soar. in loco præcit. Sect. 5. inquit, apud Græcos ante annos mille, & tandem ab Ecclesia Romana huius festi cultoribus singulares fuisse Indulgentias concessas, quas enumerat Rodet. vbi sup. artic. 3. pag. mihi 328.

C X V.

L Icèt Ecclesia Dei, & infra pagina 323. Bullarij. Edita Anno ...

C O M P E N D I V M.

Congregationi Lateranensi Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini, qui eorum Pater, ac primus Apostolici illius Ordinis reformator fuit, dat facultatem illius festum, etiam in die Dominico, si illud euenerit, celebrandi, & etiam per totam illius octauam, §. 1. & 2. Et etiā festa nonnullorum Sanctorum dicti Ordinis, iuxta Ritum antiquum d. §. 2. Canonicos desuper molestari prohibet, §. 3. Clausulas huius priuilegij præseruatiuas ponit, §. 4. Executores deputat, §. 5. Contraria remouet, §. 6. Transumptisque illius fidem dari indulget, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Hic S. Augustinus Ecclesiæ Doctor eximius, quo tempore ex hac vita migrauit?

RESP. Anno 430. dum ad Concilium Oecumenicum Ephesinum vocaretur, Theodosij Imperatoris Legatione, vt notat Baron. in Martyrolog. sub die 28. Augusti.

Schol. secundum.

Quæro. Núm verum est, quòd hi Canonici Regulares funguntur vice Clericorum primitiuæ Ecclesiæ?

RESP. Negatiuam sententiam, nonnullis probat argumentis Collegium Bononien. in conf. 1. edito post conf. Card. Zabar. num. 39. & seqq. Sed aliter tradit Colleg. Patauinum cons. 2. post dicta Conf. Zabarellæ num. 13. Et ad hæc videas etiam Tusc. in litera C. conclus. 39.

C X V I.

C Vm ex ordinum vniuersitate, & infra, pagina 324. Bullarij. Edita Anno 1570.

C O M P E N D I V M.

Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini Congregationis Lateranensis, inquit ab Apostolis traxisse originem, & ab eodem S. Augustino reformatos fuisse, ideoq; præcedere posse præcedentiam, tàm ante sæculares, quàm Regulares in processionibus, & actibus publicis, §. 1. Modò autem decernit vbiq; locorum, tàm in actibus publicis, quàm priuatis præcedere ante omnes Regulares, post Clerum secularem, §. 2. Eosq; desuper molestari vetat, §. 3. Illorumq; indultum omnibus præsentari iubet, §. 4. Executores deputat, §. 5. Obstantiaq; remouet, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Quomodo dicitur ab Apostolis huiusmodi ortum fuisse institutum?

RESP. Post Ascensionem CHRISTI in Cœlum in Monte Sion, de genere vitæ Apostoli deliberantes, communia inter se omnia, ac tria vota coram Deo statuerunt, vt post S. Thom. quem refert, scribit Polid. Virg. de Inuentor. rer. lib. 7. cap. 3. pag. mihi 420.

Schol. secundum.

Quæro. Secundùm hanc regulam ab Apostolis traditam, vixit ne aliquandiù Sanctus Augustinus met, qui illam reformauit?

RESP.

RESP. Sic affirmat, post alios Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 1. quæst. 3. artic. 1. pag. mihi 13.

CXVII.

Edita Anno 1570.

QVæ Ordini Ecclesiastico, & infra pagina 325. *Item*, Ad Romanum spectat, & infra pag. 327. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reuocat quæcumque priuilegia, & indulta ex speciali iure concessa, faciendi testamenta, donationes, & quascunque alias dispositiones, de quibusuis rebus, iuribus, & actionibus ex bonis ecclesiasticis acquisitis, necnon de peculio, & alijs sola industria, & labore partis, in quoscunque suos, vel extraneos, illegitimos, etiam legitimatos. §. 1. Et quæcumque priuilegia instituen. & substituen. aut ab intestato succeden. in illis, rebusq; feudalibus, & emphyteoticis ab Ecclesijs, & pijs locis profecta, quibuscunque sæcularibus, Regularibus, Curialibus, & alijs quibuscunque (exceptis tamen Hospitalibus, Expositis, & Orphanis) d. §. 1. Reuocat etiam facultates Legatis, Nuncijs, Collegijs, & alijs prædicta indulta concedendi, §. 2. Irritas decernit quascumque dispositiones huiusmodi, quæ viuentibus testatoribus, aut aliàs locum non habuerunt, & ab intestato successiones, non tamen litigiosas, quæ plenariom effectum sortitæ non sunt, §. 3. Prohibet disponi ad fauorem eiusmodi illegitimorum mediatè, & immediatè, §. 4. Dispositiones aliter fiendas illicitas reddit, & contrauenien. pęnas infligi, §. 5. Successores in beneficijs bona, de quibus aliter pronisum esset, recuperare posse decernit, & eis non insistentibus idem facere, locorum Ordinarios, pro Sede Apostolica, §. 6. Bona ecclesiastica feudalia non existentibus legitimis, ad Ecclesiam deuolui mandat, §. 7. Et ita, ac non aliter iudicari præcipit, §. 8. Obstantibus derogat. §. 9. Transumptis credi indulget. §. 10. Extendit sanctionem hanc etiam ad bona patrimonialia in subseq. const.

Schol. primum.

Quæro. Illegitimi, qui sic redduntur incapaces successionis in emphyteusi Ecclesiastica, sint ne capaces etiam nouæ acquisitionis?

RESP. Capaces esse, statuit Rota in huius Bullæ interpretatione in decis. Robuster. 474. part. 1. Diuersor. & in decis. Seraph. 478. num. 1. & seqq. & in decis. 1358. no. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Extensio dictæ prohibitionis ad bona patrimonialia intelligitur ne etiam quoad laicos, aut Clericos coniugatos, aut simplices clericos sæculares, nullum obtinentes beneficium, aut disponentes in illegitimos de bonis patrimonialibus de iure communi?

RESP. Non comprehendere, nisi quoad bona ex beneficijs, fructibus, pensionibus, & alijs rebus ecclesiasticis ab eis confecta, post multas propositiones declarauit Rota in decis. Rubei 487. par. 1. Diuersor. num. 2. & neque comprehendere alios disponentes, quàm vigore indulti, vt habetur in ead. decis. comprobata in decis. Seraphin. 488. nu. 4.

CXVIII.

Edita Anno 1571.

IN eam pro nostro, & infra, pagina 237. Bullarij.

COMPENDIVM.

Damnat ea cambia, quæ sicca nuncupantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas ire, & cambia celebrare simulent, sed literæ cambiorum non mittontur, vel ita mittuntur, vt inanes redeant, §. 1. & 2. Vel nemo est, qui in nundinis solutionem faciat acceptis literis, ibidem. Vel etiam literis minimè traditis pecunia cum interesse repos citur, vbi contractus fuerat celebratus dict. §. 2. Vel cum pecuniæ depositi, seu alio nomine ficti cambij traduntur, vt postea cum lucro restituantur d. §. 2. Vel si in ipsis cambijs, quæ realia appellantur, campsores præstitutum solutionis terminum different, aliquo lucro ex conuentione recepto, vel promisso d. §. 2. Cambia ista vsuraria esse declarat ibid. Statuit ne quis determinatum interesse etiam in casu non solutionis paciscatur, neq; realia cambia aliter, quàm pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur, vel vbi non celebrantur pro primis terminis iuxta locorum vsum exerceant d. §. 2. Contrauenientes punit, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Si literæ missiuæ, de quibus hic in §. 1. sic à Mercatore, cui directæ sunt, subscribuntur, *Vista adi 20. di Maggio*, dicuntur ne ab eodem acceptatæ?

RESP. Affirmatiuam sententiam probat Alex. cons. 174. lib. 2. num. 12. & seqq & firmauit Rota in decis. 812. par. 1. Diuers. num. 42. & seqq. in impressis.

Schol. secundum.

Quæro. Num, sic acceptatis literis cambij, recipiens literas liberetur à debitore?

RESPON. Non, nisi realis etiam pecuniarum numeratio secuta fuerit, cum alias nunquam præsumatur facta nouatio, vt in terminis tenuit Rota coram Gypsio in vna Romana Literarum Cambij die 3. & 12. Martij 1595. impressa à Marchesano de Commiss. par. 2. pag. mihi 475. & corā Remboldo in decis. 679. n. 2. par. 1. in Nouissimis, vbi tamen num. 3. subdit, tunc locum habere, quandò facto, vel voluntate scribentis literas, aut illius, cui diriguntur, deficeret numeratio.

CXIX.

Edita Anno 1571.

QVemadmodum solicitus pater, & infra pagina 328. Bullarij.

COMPENDIVM.

Carolus Cardinalis Borromeus multa statuit pro emendatione Fratrum Humiliatorum, §. 1. Et hic Pont. alia quoque decreuit pro eorumdem reformatione, §. 2. Sed illi in deterius processerunt, & eumdem Carolum interficere conati sunt, & huius criminis participes, pœnas debitas persoluerunt, hic verò Pont. eorum Ordinem nunc extinguit, §. 3. & 4. Omnibus officijs, & dignitatibus eos priuat, §. 5. Professosq; Regularem vitam, in locis assignandis ducere, aut ad pares, vel strictiores Ordines transire pręcipit. §. 6. Nouitios autem non professos, expelli mandat, §. 7. Alios ad hunc Ordinem recipi, & alia loca acquiri prohibet. §. 8. Beneficiaque sæcularia ob eiusmodi priuationem vacantia, & loca, ac bona huius Ordinis, Sedi Apostolicæ reseruat, §. 9. Huius insuper sanctionis exemplis credi mandat. §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore tam nefariom scelus in Carolum Cardinalem, de quo in §. 3. patratum fuit?

RESP. Die 26. Mensis Octobris Anni 1569. aliqui ex dicti Ordinis Fratres in illius necem conspirarunt, prout totamq; eiusmodi admissi criminis seriem luculenter prosequitur Io. Anton. Gabut. Cleric. Regular. S. Pauli presbyter de Vita, & gestis huius Pont. lib. 3. cap. 15.

Schol. secundum.

Quæro. Quid ipse Carolus in illo tentatæ in eum necis momento peregit?

RESP. Audi eumdem Io. Ant. in pręcit. loco sic inter alia scribentem, *Exaudito strepitu, mox ne incepto precantes absisterent, (in Sacello etenim cum familia sua sacris de more precibus tunc erat intentus) præsenti animo iussit, ad ipsos orantium animos magis confirmandos, pro concentu canerentur ea Domini verba*, Nō turbetur cor vestrum, neque formidet.

Quo-

CXX.

Edita Anno 1571.

QVoniam per extinctionem, & infra pag. 329. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ordinem Fratrum Humiliatorum in præced. const. extinxit, & nunc vnionem Præpositarum dicti Ordinis dissoluit, §. 1. Quorum aliqua certis locis pijs applicat, & alia à Carolo Cardinali Borromeo applicari decernit, §. 2. & seqq. & §. 8. & 9. Executores depotat. §. 6. Contrarijs derogat. §. 7. Huius Bullæ transumptis credi mandat. §. 10.

Scholium primum.

Quæro. Eiusmodi Humiliatorum Ordo, quo primùm tempore initum, & à Sede Apostolica approbationem habuit?

R E S P. Anno 1017. inchoatus extitit, sed quia tripliciter variatus fuit in modo viuendi, vltimus eorum viuendi modus, ab Innoc. III. approbatus extitit anno 1200. vt scribit S. Anton. Florent. par. 2. Histor. tit. 15. cap. 23. & Chassan. de Glor. Mund. par. 4. consid. 60. in fine.

Schol. secundum.

Quæro. Qui dictum Ordinem, quavè de causa promouerunt?

R E S P. Quidam nobiles Longobardi, quos Henricus III. prædicto anno 1017. ex certis rationibus, & signis suspectos habuit, ne fortè aliquid iniquum machinarentur, eos præcipuè ex Mediolano oriundos, in Alemaniam relegauit. Qui proficiscentes, & videntes se adeò humiliatos, humiliauerunt se ipsos in conspectu DEI, facientes de necessitate virtutem, eorumq; auditui, vexatio tradidit intellectum. Cœperunt namq; terrena non immoderatè diligere, vitia euitare, humili veste, scilicet de Bilettino panno indui, & profectui spiritus, ieiunijs, & eleemosynis, orationibusque insistentes, ac amore fraternitatis se inuicem diligentes, cœpitq; Ordo piæ conuersationis eorum diffundi, &c. Hæc ex S. Antonin. vbi sup.

CXJXI.

Edita Anno 1571.

MVneris nostri est, & infra pagina 323. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit Archiepiscopis, & Episcopis Regni Siciliæ citra, & vltra Pharum, præsentibus, & futuris, vt deinceps inuentarium authenticum omnium processuum, & actorum causarum, & negotiorum criminalium, & mixtorum, quæ apud suæ Curiæ Notarium fuerint, quotannis in perpetuum conficiant, & confectum, ac manu dicti Notarij subscriptum penès se custodiant, donec super eis fuerit iudicatum. §. 1. Et ipsos si decedere interim contigerit, sigillo suo obsignatum fidei Sacerdotis, cui peccata confitentur, morte impendente committant d. §. 1. Qui morte secuta, certo modo illud asseruari curent, ibid. Violantibus, diripientibus, comburentibusque, & dictas scripturas, & acta supprimentibus, eorumq; complicibus, & fautoribus pœnas infligit. §. 2. Notario, cui aliquid defuerit, aut alias deliquerit in prędictis, pœnas indicit in huiusmodi rerum falsarios à sacris Canonibus, & cōstitutionibus irrogatas. §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Pœna falsi, de qua hic in fine, est regulariter de iure ciuili?

R E S P. Est deportatio cum publicatione bonorum l. 1. §. fin. ff. ad leg. Cornel. de Fals. Clar. in §. Falsum. num. 31. & Menoch. casu. 366. At ista pœna hodie non est in vsu, sed extraordinaria imponitur, iuxta qualitatem casuum, & personarum, vt relatis alijs scribit Caball. casu 165. num. 21. & Farinac. quæst. 150. num. 25.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ in specie est imponen. pęna, contra comburen. scripturas in præiudicium Reipublicæ, ne veritas appareat, vt in casu, de quo in §. 1.?

R E S P. Pęna mortis de iure ciuili infligenda est l. Vbi falsi 22. in fine, Cod. ad lege. Cornel. de Fals. & Angel. ibid. num. 2. Afflict. decis. 404. num. 17. Caball. vbi supra num. 11. & Farinac. in loco præcit. num. 24.

CXXII.

Edita Anno 1571.

SVperni Omnipotentis Dei, & infra pag. 232. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert emendata fuisse Breuiarium, & Missale Romanum, hic supra in const. 64. pag. 53. & constit. 106. pag. 65. vt iam decreuerat Concilium Tridentinum, & modò reformari iussit Officium Beatæ MARIÆ Virginis, §. 1. & seq. Quod præcipit obseruari. §. 4. Excipit illa Officia, quæ ab ipsa prima institutione à Sede Apostolica expressè approbata fuerunt, non tamen vulgari sermone composita, §. 4. Excepit quoque Officia, quorum vsus consuetudine, aut ipsa institutione supra 200. annos assiduè in Ecclesijs, & locis Ecclesiasticorum obseruatus fuit d. §. 4. Obligatis ad eiusmodi antiqui Officij recitationem, dat facultatem recitādi hoc nouum, dummodo Episcopus, & Capitulum consentiant d. §. 4. Hortatur omnes ad eius recitationem, §. 5. Antiqua Officia Inquisitoribus iubet consignari. §. 6. Et istud non immutari statuit, §. 7. Indulgentias illud recitantibus concedit. §. 8. Pręlatis præcipit, quòd illud introducant, §. 9. Concionatoribusq; & Confessoribus, §. 10. Illudq; Romæ tantùm imprimi, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Quo primùm tempore B. V. Preces, & Laudes, quæ vulgo Officium dicuntur, à Laicis recitari ceptum?

RESPON. Anno 1095. eiusmodi Officium à S. Synodo Claramontensi indictum, & à Clericis susceptum, ad Laicos quoque fuit, tàm viros, quàm mulieres propagatū, & quidem cum magno fęnore gratiarum, vt experti sunt Omnes, iugiterq; experiuntur, ita scribit Baron. tom. 11. Annal. Eccles. pag. 667. in princ. iuxta eius primam impressionem Romæ.

Schol. secundum.

Quæro. Nùm possem arbitrio meo, hoc nouum officiū reformatum recitare, dimisso antiquo, cui eram astrictus?

RESPON. Nòn, cum expressus ab hoc requiratur cōsensus Episcopi, & Capituli, de quo in §. 4. in fin. vt in specie inquit Nauar. in cons. 5. lib. 3. de Celebrat. Miss. in fin. incip. Ao Italus, iuxta impressionem Venetijs 1610.

CXXIII.

Edita Anno 1571.

CVm sicut accepimus, & infra, pagina. 234. Bullarij.

COMPENDIVM.

Commendat Archiconfraternitatem Sanctissimæ Trinitatis de Vrbe, §. 1. Dat facultatem eius Protectori, & Iudici, cognoscendi, & decidendi quascumque lites illius, eiusque Officialium tàm actiuè, quàm passiuè, tam secundariò, quàm principaliter, & in quacumque instantia interesse concernentes, & ab alijs Iudicibus reassumendi, §. 2. Summariè, &c. in illis procedendi. §. 3. In Curia quoque, & extra citandi, & inhibendi, §. 4. Singulisque diebus, & horis, præterquam in honorem DEI feriatis, procedendi, §. 5. Notarios etiam deputandi, §. 6. Pręcipit Mandatarijs cuiuscumque Curiæ, vt hic Iudici inseruiant, §. 7. Idemque iubet Executoribus omnibus, §. 8. Sententias aliorum Iudicum nullas esse decernit. §. 9. Clausulas huius indulti præseruatiuas subdit. §. 10. Et clausulam, Sublata, §. 11. Derogatoriasque. §. 12. Eiusdem indulti exemplis fidem adhiberi iubet. §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Hoc indultum, forsitan locum habet etiam in causis, quæ extra Romanam Curiam vertentur?

RESP.

RESP. Ita sanè, siquidem ex illa clausula citan. & inhibendi in Curia, & extra, de qua in §.4. inducitur certa scientia, quòd voluit ad hanc Romanam Curiam, ilumq. Iudicem illas auocare, prout ita tenuisse Rotam in decis.3. de Appellat.in Nou.scripsit Marta de Clausul.par.1.claus. 27.num.2.

Schol. secundum.

Quæro. Vigore dictæ facultatis citandi, vti ne valet etiā is, qui contra Archiconfraternitatem agere velit?

RESP. Proculdubio sic dicen. est, iuxta decis. Putei 385.lib.3. in penult. vice impressis.

CXXIV.

Edita Anno 1571.

Debitum Pastoralis officij, & infra pag.336. Bullarij.

COMPENDIVM.

Dat facultatem Magistro Generali, Vicarijs, & Prouincialibus Ordinis Fratrum Prædicatorum S.Dominici, Religiosos eiusdem Ordinis, qui tamen sint de Obseruantia, creandi in Notarios, eosq. deputandi, pro executione mandatorum, & rescriptorum Apostolicorum, publicam, vel priuatam dicti Ordinis vtilitatem concernentia, §.1. & 2. Ipsosq. Notarios nullo pacto desuper impediri decernit, §.3. Huius indulti præseruationem edicit, §.4. Executores deputat, §.5. Contraria remouet, §.6. Transumptis eiusdem credi mandat, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid hoc indultum locum habet etiam quoad mandata Apostolica particularia, pro aliquibus Fratribus?

RESP. Affirmatiuam sententiam veram esse colligitur ex contextu mei huius Bullæ, & in specie hoc idem tenet Roderic. de Quæstion.Regular. tom.3.quæst.10.artic.1. in fine, pag.mihi 18.

Schol. secundum.

Quæro. Alij ne Ordines hoc eodem indulto vti poterunt?

RESP. Mendicantes possunt, & alij quoque priuilegiorum communicationem ab Apostolica Sede habentes, vt Roder. vbi supra adnotauit.

CXXV.

Edita Anno 1571.

Religionis zelus, & infra, pagina 337. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat omnes gratias, & priuilegia Congregationi Fratrum Eremitarum B.Petri de Pisis, hactenus elargita, quatenus Concilio Tridentino, & regulari obseruantiæ nō contrarientur. §.1. Concedit perpetuam Indulgentiam plenariam ob professionem Regulæ S. Augustini ab ista Congregatione emissam Romæ die 18.Martij 1569.Communicatq. omnes gratias, & indulta ab ipso Fratrib. Mendicantibus concessa, §.4. Clausulas præseruatiuas apponit, §.5. Et clausulam Sublata, §.6. Executores huius constitutionis deputat, §.7. Contrarijs omnibus derogat, §.8.

Schol. primum.

Quæro. Cur isti Fratres nuncupantur Eremitæ S.Hieronymi, cum à B.Petro de Pisis fuerint instituti?

RESP. Nuncupantur principaliter Eremitæ B.Petri de Pisis eorum institutore, & pariter S.Hieronymi, tum ob incredibilem B.Petri deuotionem erga hunc Sanctum Ecclesiæ Doctorem, tum etiam, vt illius nomine insigniori, eius vestigia sectarentur, vt scribit Roderic. de Quæstio. Regul.tom.1.quæst.3. artic.9.

Schol. secundum.

Quæro. Eremitarum institutio, quæ erat antiquitus?

RESP. Profuso sermone opus esset, ideò perlege Boer. in suo tract.de Statu, & vita Eremitarum, & Petrum Gregor. in Syntagm. Iuris lib.15. cap.14.

CXXVI.

Edita Anno 1571.

Ad hoc nos Deus militanti Ecclesiæ, & infra, pag.338. *Item.* Tanta est præsentis sæculi, & infra, pagina 339. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus IV. Leo X. & Pius IV. ediderunt constitutiones super ædificijs construendis, ad ornatum Vrbis, §.1. & seqq. Quas hic Pont. ad tollendum litium occasiones, ad terminos iuris reducit, §.5. Præterquàm quoad publica, vel sacra ædificia construenda, vel amplianda, soluta tamen quarta pluris, vltra æstimationem, §.6. Et hanc Bullā vim perpetuæ constitutionis, & legis, & inter suas extrauagantes registrari iubet, §.6. Et in alia Bulla præcedenti annexa, ampliat hanc eius reductionem, vt quoad domorum venditiones comprehendat etiam decretum Cameræ Apostolicæ editum ad fauorem Inquilinorum Vrbis, §.2. Contrarijs derogat, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Hæc Bulla reductionis est ne localis, vel vniuersalis?

RESP. Ponderando nonnulla eius verba, & materiam ornatus Vrbis, localis videtur; Sed tamen probis rationibus, authoritatibusque contrarium consulendo firmauit Honded conf.52.lib.1.num.55. & seqq.vbi egregiè loquitur, & concludit hinc inde in quadam lite fuisse obtentas sententias, & tandem causam concordatam Perusij anno 1583. Ita quòd articulus est satis ambiguus, sed ego primā opinionem amplector, inhærendo verbis Bullæ.

Schol. secundum.

Quæro. Constitutiones Pontt. de quibus loquitur hic Pius in §.1. erant ne fauorabiles, vel odiosæ?

RESP. Dum illæ compellebant Dominos ad vendendum eorum domus, exorbitantes videbantur, ideoq. strictè intelligendæ; Secus autem, dum disponebant de ijs, qui rem communem alienare volunt, prout sic firmauit Rota in decis. Seraphin.734. in suis impressis num.3.

CXXVII.

Edita Anno 1571.

Cvm aliàs nos, & infra pagina 340. Bullarij.

COMPENDIVM.

Priuilegium præcedentiæ Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis Ordinis S.Augustini in sua const.116. de qua sup.pag.68.ante omnes Regulares post Clerum sæcularem concesserat, & modò Canonicos sæculares Congregationis S.Georgij in Alga, declarat præcedere ante dictos Canonicos Lateranenses, §.1. & seqq. Quæcumque contraria non obstare decernit, §.3.& 4.

Schol. primum.

Quæro. Num ista constitutio nouum ius inducit, quoad eiusmodi præcedentiam?

RESP. Non, cum hic idem Pius istud præcedentiæ indultum his Canonicis sæcularibus in constitut.92. de qua sup. pag.61. iam concesserat, ita quòd solùmodò illud hodie declarauit. Qui verò declarat, nihil de nouo facit, sed iam factum aperit, latè Gabr.de regul.Iur.conclus.3.nu.1. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Quæstio de eiusmodi præcedentijs num censetur grauis?

RESP. Grauem esse, & magni præiudicij, itaut concordia desuper fieri nequeat, absque Superioris auctoritate, ita censuit Rota in decis. Seraphin.22. in suis vltimò impressis, ea ratione, quòd est perpetui præiudicij.

Pasto-

CXXVIII.

Edita Anno 1571.

PAstoralis officij, & infra pagina 340. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prælatos Ordinis Minorum S. Francisci de Obseruantia, eos eligi iubet, qui ipsius Regulam obseruant, §. 1. Eorumq; ac Diffinitorum, Custodum, & Discretorum electiones, per vota secreta iuxta decreta Concilij Tridentini fieri iubet d. §. 1. Ministrum Generalem, Commissariumque & Procuratorem Generales, & Prouinciales in eo Capitulo, quo absolui debent, diffinitores non esse, neque vocem habere, sed facta successoris electione, discedere decernit, §. 2. Ministrorum Prouincialium electiones fieri iubet per vota secreta, & si Commissarius, vel qui electioni præsidet hanc formam transgredietur, seu Electores quominus liberè eligant, impediat, officio priuatus sit: Quique in electionibus omnibus per sex menses pro se, vel alio subornauerit, excommunicationem ipso facto incurret, ac voce actiua, & passiua perpetuò careat. Et qui subornatus, vel alius etiam, pro quo subornatio fiet, qui subornantem non detulerit, eamdem pœnam incurret d. §. 3. & 4. Qui ad officium obtinendum extra Religionem procurauerit, vltra dictas pęnas per mensem carceri mancipetur, §. 5. Ministri Generalis officium octo annis, Commissarij, & Procuratoris Generalium quatuor durent, & semel officio functi, ad idem, vel alterius eorum officium, nisi post sexdecim annos eligi non possint, §. 6. Minister Generalis Discretos duos habeat, vnum ex qualibet Familia, quorum consilio in grauioribus vtatur, ac in generali, & Prouincialibus Capitulis, vocem habeant, & omnes præcedant, exceptis his, qui Ministri Generalis munus obierint, §. 7. Duos Secretarios habeat, alterum scilicèt ex altera Familia, cum quo eius Familiæ negotia expediat, suoque vtatur arbitrio §. 8. Theologiæ Lector qui quatuor cursus absoluet, vtraque voce in Capitulo Prouinciali vtatur, §. 9. Minister Generalis Commissarius, Prouinciales, & alij Visitatores in expensis modestè se gerant, §. 10. Nouitij recipiendi examinentur iuxta Regulam B. Francisci, & recipiendi sunt, etiam si ex Mahometicis, Iudæis, vel Hæreticis descēdant, §. 11. & 12.

Schol. primum.

Quæro. Durat ne etiam temporibus istis octo annis Magister Generalis, Commissariusq; & Procurator quatuor, vt in §. 6.?

RESP. Sixti V. iussu Officium dicti Ministri sex annorum spatio completur, Commissarij verò, & Procuratoris quatuor, teste Rodetic. de Quæstion. Reg. tom. 2. quæst. 52. art. 2. vers. Nunc autem pag. mihi 149. & hoc etiam Leo X. in const. sua 23. de qua sup. pag. 99. in §. 7. & seq. pari modo statuerat.

Schol. secundum.

Quæro. Cur descendens ex Iudæis, aliquando ad Religionem admittitur?

RESP. Primò, quia salus ex Iudæis est. Secundò, quia daretur occasio Iudæis, ne ad Fidem conuerterentur, dum intelligunt Conuersorum filios, repulsos à Religione. Tertio, quia Religionis status est talis, vbi ipsi potius si in aliquo dubitant solidari in fide, quàm alios inficere possent, vt aduertit Collector. Priuil. Ord. Fratr. Min. S. Francisci de Paula, notab. 29. pag. mihi 195.

CXXIX.

Edita Anno ...

DVm ad congregationem, & infra pagina 342. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prælatis Congregationis Cassinen. aliàs S. Iustinæ Monachorum Ordinis S. Benedicti dat potestatem, personas dictæ Congregationis quascumque absoluendi à quibuscumque reatibus, tàm ante, quàm post professionem commissis, §. 1. Ampliat ad casus etiam Sedi Apostolicæ reseruatos ibid. Et ad homicidium voluntarium in foro conscientiæ tantùm ibidem. Absolutosq; ad gradus, & Prælaturas Ordinis habilitandi ibid. & §. 2. Clausulas præseruatiuas apponit, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Homicidium voluntarium, quod esse dicitur?

RESP. In hac materia, homicidium voluntarium est illud, quod prouenit ex delicto culpabiliter contra iuris ordinem, & iustitiam patratum, non autem omnis hominis occisio, Caietan. in Sum. in §. Irregularitas, & Nauar. in suo Man. Confess. cap. 27. num. 240.

Schol. secundum.

Quæro. Facultas habilitandi homicidas ad Prælaturas Ordinis, nonne supponit inhabilitatem ad eas?

RESP. Supponit proculdubio, & iure quidem, Quia cum Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. de Reformat. illos inhabilitasset ad beneficia ecclesiastica, etiam non habentia curam animarum, videtur inhabilitasse etiam ad eiusmodi Prælaturas, vt tenet Rodetic. de Quæstion. Regu. tom. 1. quæst. 24. artic. 9. in fine.

CXXX.

Edita Anno 1571.

DEcet Romanum Pontificem, & infra, pagina 343. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confraternitatem Sanctissimi Nominis Dei, siue Iuramentorum, ab Ordine Fratrum Prædicatorum originem referi habuisse eo, quod ab eiusdem professoribus fuit instituta, & aucta, §. 1. Eam ergò in Ecclesijs dictorum Fratrum, si extat, in alijs autem de licentia Prioris Conuentualis, in cuius districtu sita fuerit Ecclesia, institui mandat, §. 2. Quod si secus fiat, Confratres indulgentias non consequi decernit, §. 3. Contradictoresq; iubet coerceri à Conseruatoribus dicti Ordinis, §. 4. Clausulas huius indulti præseruatiuas subdit, §. 5. Et clausulam, Sublata &c. §. 6. Derogatoriasq; contrariorum §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Si quis ex Confratribus illicitè iuraret, quo pacto esset corrigendus?

RESP. Statuto eius Confraternitatis cauetur, vt statim orationem Dominicalem, & salutationem Angelicam recitaret, seu aliquam piam erogaret eleemosynam, teste Camillo Phanuc. in tract. de Pijs Vrbis Oper. lib. 3. c. 32.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si blasphemaret?

RESP. Iidem cauetur, quòd statim in Ecclesia genuflexus ter simili modo prædicto orare debeat, & eleemosynam erogare in capsula ad hoc in Capella Confraternitatis defixa, vt subdit Phanuc. in loco præcit.

CXXXI.

Edita Anno 1571.

DVm indefessæ considerationis, & infra pag. 343. Bullarij.

COMPENDIVM.

Commendat Religionem Clericorum Societatis IESV, eamq; inter Ordines Mendicantes adnumerat, §. 1. & 2. Illorum Ordinum priuilegijs, & gratijs tàm concessis, quàm concedendis eidem Religioni, & eius personis donat, §. 3. Hoc indultum præseruari decernit, §. 4. Executores deputat, §. 5. Obstantia tollit, §. 6. Transumptisque credi mandat, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Nùm Mendicantes censentur etiam Scholares huius Societatis, degentes in Collegijs, qui bona immobilia, & annuos redditus possident?

RESP. Verè Mendicantes ipsi quoque sunt, quia ordinantur ad profitendum Ordinem professorum Mendicantium, vltra quòd ipsi Scholares nihil possident in com-

muni

muni, neque in particulari. Nam Præpositus Generalis est gubernator Collegiorum, & annuorum redditnum, distributor, quos pro eorum sustentatione expendit, vtenar rat Roder. de Quæst. Reg. tom. 1. quæst. 2. artic. 9. vers. Secunda conclusio. Quod quidem dubium expresse reijcit hæc Bulla, dum in §. 1. inter Mendicantes ponit hanc Societatem, licèt Collegia habeat secum adiuncta.

Schol. secundum.

Quæro. Illa verba, *& eius personis*, de quibus in §. 3. cuius sunt effectus?

RESP. Vt tollatur illa quæstio, an priuilegia corpori concessa, ad singulas partes protrahantur, de qua ad huius met Religionis propositum, latè differit Quintilian. Mandos. de Priuileg. ad instar glos. 7. num. 5. & seqq.

Edita Anno 1571.

CXXXII.

Romani Pontificis circumspectæ, & infra, pag. 345. Bullar.

COMPENDIVM.

Decernit Fratres Prædicatores Ordinis Sancti Dominici vti minimè posse Cruciata Sancta, alijsq. indultis, ad effectum eligendi Cõfessarios idoneos ab Ordinario approbatos, & absoluendi à casibus reseruatis, Fratres, & Sorores dicti Ordinis, sed eas, & eos, quantum ad confessionis administrationem suis Prælatis subiectos esse, §. 1. Quos Prelatos, illa facultate vti posse declarat, quoad personas dicti Ordinis, qua Episcopi cum Clericis, & Laicis eis subiectis, vti possunt, vigore Concilij Tridentini sess. 24. cap. 6. §. 3. Præseruatiuas clausulas huic indulto addit, §. 4. Et contrariorum derogatorias, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Qui Perusij existens confiteri vult, nùm poterit eligere vigore Cruciatæ, de qua in §. 1. Confessarium approbatum ab Ordinario alterius Diœcesis?

RESP. Controuersum nimis esse fatetur, Io. Guttier. de Regular. quæst. lib. 1. cap. 27. per tot. sed nu. 6. & seqq. negatiuam sententiam multis rationibus probat, & contrarijs respondet, eamque sequitur Emanuel. Roderic. super explicatione Bullæ dictæ Cruciatæ, §. 9. sub num. 5.

Schol. secundum.

Quæro. Alia quamplura sunt à me circa intelligẽtiam eiusdem Bullæ Cruciatæ dubia perscrutanda, vnde ergo illorum solutionem habere potero?

RESP. Ab Emanuel. præcit. & etiam Sebastiano à Costa, in suo, quod edidit super eadem Bulla, commentario, apud quos omnia fusè pertractata reperies.

Edita Anno 1571.

CXXXIII.

Romani Pontificis prouidentia, & infra, pagina 345. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decreuit Tridentina Synodus sess. 23. cap. 15. quòd nemo etiam Regularis sæcularium, etiam Sacerdotum confessiones audiat, nisi præuio Episcoporum examine, & tamen vigore quarumdam huius Pij declarationum ad fauorem Ordinum Mendicantium promulgatarum, sola Magistri Generalis, aut Prouincialiũ approbatione ad audiendas eiusmodi confessiones admittuntur. Idem ergo Pius declarat dicti Concilij decretum, omnes prædictos cõprehendere, etiamsi illi sub regulari disciplina veniant, sintq. Lectores, aut in Theologia etiam de suorum Superiorum licentia graduati, vel promoti, vel à Magistris Generalibus vel Prouincialibus sæcularium confessionibus expositi, §. 1. & 2. Declarat etiam semel ab Episcopo approbatos, non ab eodem, sed ab Episcopo successore examinari posse d. §. 2. Inhibet Regularibus quibuscumq; absque Ordinariorum approbatione eas confessiones audire, etiam quòd ab Ordinarijs hucusq. tolerati fuerint, §. 3. Et quæcumq; obstantia remouet, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Hoc priuilegium, quòd Regularis ad confessiones audiendas per Ordinarium semel approbatus, ab eo dem non sit examinandus, est ne reuocatũ ex Bulla 9. Gregor. XIII. reducentis priuilegia Regularium, ad terminos Concilij Tridentini?

RESP. Non fuisse reuocatum, censuit Sacra Congregatio Illustrissimorum DD. Cardinalium super interpretatione dicti Concilij die 10. Octobris 1586. teste Stephano Quarant. in sua Summa in verbo Confessor. pag. mihi 195. Et ita seruatur, quicquid aliter dixerit Roderic. de Quæst. Regular. tom. 1. quæst. 59. art. 4. Hoc autem intellige, si licentia sit libera, simpliciter, & non ad tempus.

Schol. secundum.

Quæro. Num approbatus ad audiendas confessiones ab Ordinario vnius Diœcesis, poterit eos audire in alio Episcopatu?

RESP. Negatiuam sententiam probat post alios Roderic. vbi sup. art. 5. vbi plenè, & ita ab eadem S. Concilij Congregatione decisum fuisse, adnotauit Quarant. in d. verb. Confess. pag. mihi 195.

CXXXIIII.

Edita Anno 1571.

Romani Pontificis prouidentia, & infra, pagina 346. Bullar.

COMPENDIVM.

Reuocat regressus, & coadiutorias ad beneficia Ecclesiastica concessas, super quibus literæ Apostolicæ integraliter expeditæ non fuerunt, §. 1. Mandat Cancellariæ, & Cameræ Apostolicæ Officialibus, vt eas literas minime expediant, §. 2. Et ita, & non aliter fieri decernit, §. 3. Contrarijs non obstan. quibuscumque. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Coadiutoriarum origo num antiqua censetur?

RESP. Antiquam esse colligitur, ex lib. 11. Histor. Eccles. Ruffini cap. 3. vbi fertur Anastasium iam senio confectum, delegisse coadiutorem, & successorem, & ob eadem rationem idẽ fecit Narcissus Episcopus teste Eusebio lib. 6 cap. 9. ac etiam Greg. Nazianz. vt habetur in d. cap. 3. Histor. Eccles. Et Augustinus fuit datus Coepiscopus, Valerio Hipponensis Ecclesiæ Episcopo, cap. Non autem 12. caus. 7. quæst. 1. Sed postea id vetitum fuisse patet ex c. 3. cum seqq. caus. 8. quæst. 1.

Schol. secundum.

Quæro. His autem temporibus quid seruatur?

RESP. Ex decreto Concil. Trid. sess. 25. cap. 7. de Reformat. diffinitum est, quòd dentur ob vrgentem tantummodo necessitatem, & vtilitatem Ecclesiæ examinandam, & approbandam à Summo Pont. & ideò seruatur hodie à Sede Apostolica, quòd ad id porrigantur literę commendatitiæ Episcoporum, vel Capitulorum, attestantes de eiusmodi Ecclesiæ vtilitate, vt scribit Hieronym. Gonzal. de Mensib. & Alternat. glos. 5. §. 9. num. 49. pag. 188.

CXXXV.

Edita Anno 1571.

Ex proximo, & infra, pagina 347. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Leonem X. in sua constit. 7. de qua sup. pag. 94. 1. 1. censuisse, vt quisque habens beneficium Ecclesiasticum cum cura, vel sine cura, si post sex menses, quàm illud obtinuit, Diuinum Officium, cessante legitimo impedimento, non dixerit pro rata omissionis, & temporis, fructus beneficij suos non faciat, sed in fabricas ipsius beneficij, vel pauperum eleemosynas erogare debeat, in prin. Hic modò Pontif. eam ratam sic declarat, videlicet. Horas Canonicas vno, vel pluribus diebus intermittens, omnes diei illius fructus, qui verò Matutinum dimidiam,

qui

qui cæteras omnes horas aliam dimidiam, qui earum singulas, sextam partẽ illius diei dimittat, §.1. Subdit, quòd qui primis sex mensibus Officium non dixerit, graue peccatum intelliget admisisse, ibid. Quodq; pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas, vt Clericus percipiens est ad dicen. paruum Officium B.MARIAE Virginis, obligatus, pensionumq; fructuum, ac rerum ipsarum amiserit obnoxius d.§.1. Sanctionem pœnalem adiungit, §.2.

Schol. primum.

Quæro. Quid si Clericus obtinuit beneficium, sed re ipsa non possidet?

RESP. Non tenetur recitare Officium, nisi prius habuerit ius in re quæsitum in ipso beneficio, probat Nauar. in cons. 17. de Celebr. Missar. lib. 3. num. 2. iuxta impressionem Venetijs anno 1610.

Schol. secundum.

Quæro. Num Episcopus, vel Papa, posset aliquem ab horarum recitatione dispensare?

RESP. Papam posse, non autem Episcopum, probant Ioan. Lignan. ac Bonif. Vitalin. in clem. 1. de Celebr. Missar. & Syluest. in Sum. in verb. Hora. quæst. 8. Turrecrem. in cap. 1. dist. 91. num. 8. & 10. & Albert. Ferrar. in Tract. de Hor. Canon. num. 9. quos refert, & sequitur Menoch. casu. 429. num. 19. Et huius conclusionis ea est ratio, quòd determinatio, vel taxatio Horarum Canonicarum, pendet à iure positiuo.

CXXXVI.

Edita Anno 1571.

EXposcit pastoralis officij debitum, & infra, pag. 347. Bullar.

COMPENDIVM.

Decernit Episcopos, & alios Superiores, tamquam Sedis Apostolicæ delegatos, parochiales Ecclesias, cæteraq. beneficia ecclesiastica suarum Diœcesum, quibus imminet cura animarum, ad Religionem S. Ioannis Hierosolymitani, eiusq. Milites Capellanos, Ministros, & Rectores, pertinen. etiamsi Episcopalem, & temporalem iurisdictionẽ Religio, & Milites ipsi habeant, in his tantum, quæ animarum curam, & Sacramentorum administrationem respiciunt, visitare posse, & debere, §.1. & seqq. Ministrosque minus idoneos repertos amouere, vel suspendere, & Superiores, vt alios subrogent monere, ac interim arbitrio suo prouidere, §. 3. Et hoc, aliaq. spiritualitatem concernentia, gratis facere, ac neminem admittere, qui Concilij Tridentini requisita non habeat, §.4. & 5. Etsi Episcopi, alijq. Superiores litem habeant, cum dicta Religione, & Militibus, in locis visitandis, nisi ipsi in quasi possessione antiqua exercitij iurisdictionis eiusmodi existant, alij Episcopi, & alij Superiores viciniores aliquod ius, vel interesse desuper non habentes, aut prætendentes, dicta facultate vtantur, §.6. Declarat nullum auferri per præsentes præiudicium dicto iuri visitandi, quod antea dictæ Religioni, & Militibus competebat, §.7. Inhibet dictis Episcopis, & Superioribus, ne hac visitandi facultate alio vtantur modo, quam præscripto, § 8. Et ita, & non aliter iudicari præcipit, §.9. Contrarijs derogat, §.10. Transumptis credi mandat, §.11.

Schol. primum

Quæro. Nonne ex Concilio Tridentino hoc ius Ecclesias curatas visitandi Episcopis competebat?

RESP. Competere etiam Ecclesias exemptas, censuit sess. 7. de Reformat. cap. 7. & 8. & sess. 24. de Reformat. cap. 10. & seq.

Schol. secundum.

Quæro. Visitationum qui præcipuus finis?

RESP. Sanam, orthodoxamq. doctrinam expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, Populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionẽ, pacem, innocentiamq; accendere, & alia salubria prout locus, tempus, & occasio foret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere, ex Concil. Trident. capit. 4. sess. 24. de Reformat. in vers. Visitationem.

CXXXVII.

Edita Anno 1571.

EX debito Pastoralis officij, & infra, pagina 348. Bullarij.

COMPENDIVM.

Commendat opus docendi Doctrinam Christianam, §.1. Iubet institui Confraternitates Doctrinæ Christianæ ab Ordinarijs, in eorum Diœcesibus, §. 2. Concedit Indulgentias Confratribus, & instruentibus pueros, §.3. Mandat fidem dari transumptis huius Bullę, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Hoc opus, diebus Festiuis exerceri poterit?

RESP. Ita sanè, vt docet S. Thom. 2.2. quæst. 122. artic. 4. & Panormit. post alios in cap. 1. de Fer. num. 5. Quinimò sic expresśè pręcipit Concil. Trident. in loco per Genitorẽ meum citato in Bullario in rubrica huiusmet Bullę.

Schol. secundum.

Quæro. Hoc pueros in Fidei rudimentis edocendi munus, quibus olim in Ecclesia demandatum fuit?

RESP. Diaconis, vt apparet ex B. Dionysio Areopagita cap. 5. Eccles. Hierarch. & Dionys. Carthus. in elucidation. d. cap. 5. art. 9. pag. mihi 155. littera B.

CXXXVIII.

Edita Anno 1571.

LIcèt iuri maximè consentaneum, & infra pagina 349. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ne delicta inulta remaneant, & multi rei, fatalia appellationum in longum protrahere non valeant, §.1. Eorum cursum ad sex menses à die appellationis cõputan. restringit, §.2. Ita vt si condemnati in pœnam pecuniariam Fisco Reu. Cameræ persoluendam, appellationis causam in dicto termino non expediunt, Iudex à quo contra eos, suam sententiam exequi tenetur d.§.1. & §.2. Acta tamen appellanti dare non recuset, §.3. Et Iudex ad quem ad causæ expeditionem procedere non remoretur d. §.4. Contrarijs derogat, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Si Iudex Appellationis sit excommunicatus, curret forsitan tempus, de quo in §.2.?

RESP. Non, durante eo tempore excommunicationis, quæ affert impedimentum iuris, vt non currat, sic impedito, l.1. cum ibi not. Cod. de Ann. Exception. & tradit. Franc. post Hostiens. & alios in cap. Super eo. 12. de Appellat. nu. 23. & Scaccia. in suo Tract. de Appellat. cap. 2. quæstin. 15. num. 130.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si Fiscus succumbat, & appellationis causam infra huiusmodi sex menses non expediat, vt in §.1.?

RESP. Pro affirmatiua, quòd Fiscus etiam ligatur hac fatalium restrictione, ea mihi vrgere videntur, quæ Magon. deducit in decis. Lucen. 58. per tot. Benint. decis. 76. num. 12. Bertazzol. cons. crim. 195. lib. 1. num. 10. & in nostris terminis Batard. quæst. 94. nu. 16. Verumtamen quia causa, quæ est expressa, in hac ipsa Bulla, solum percutit reos, negatiua de facili præualet in foro, ex doctr. Alber. in l.1. Cod. de Petit. hęred. num. 2. quem sequitur Lucan. de Priuileg. Fisci num. 133.

CXXXIX.

Edita Anno 1571.

ETsi omnibus Vniuersi Orbis, & infra pagina 349. Bullarij.

COMPENDIVM.

Instituit vndecim Vicarias perpetuas in vndecim Eccle-

clesijs Vrbis videlicet, in Basilica Sancti Ioannis Lateranen. Basilica S. Petri, Ecclesijs Sanctæ Mariæ in via Lata, S. Mariæ Transtyberim, S. Laurentij in Damaso, Sancti Marci, S. Angeli in foro Piscium, S. Quirici, S. Nicolai in Carcere, Collegiatis, ac S. Basilij, & S. Catherinæ de Rota vnitis mensæ Capitulari Basilicæ S. Petri, & Sancti Pantaleonis, vnitæ mensæ Capitularij Sancti Eustachij, ad nominationem filiorum cuiusuis Capituli ex eisdem Ecclesijs; ita tamen quòd nominatio fit ex numero approbatorum à Vicario Papæ, §. 1. & 2. Assignatque portiones, & obuentiones pro singulis ipsarum Vicariarum, §. 3. Executorem deputat Vicarium Papæ, §. 4. Contrarijsq; derogat, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Istæ Vicariæ perpetuæ, sunt ne verè beneficia Ecclesiastica?

R E S P. Affirmatiua opinio probatur in cap. Postulasti 27. de Rescript. cum similib. Rebuff. in Prax. benefic. in tit. de Vicaria perpet. num. 14. & Gomes. in Reg. de Idiomate quæst. 11. num. 2.

Schol. secundum.

Quæro. Hi Vicarij perpetui forsan sunt honorandi, in loco, & alibi, sicut illi, qui vices gerunt?

R E S P. Sunt profectò, vt per tex. in clem. vnica, de Offic. Vicar. sic tenet ibi Cardin. num. 2. vers. Sexto oppono, & post alios Gonzal. super 8. Regul. Cancellar. de Mensibus, & Alternat. Glos. 5. num. 29 §. 3. pag. mihi 142.

C X L.

Edita Anno 1571. & 1572.

ETsi Romani, & infra, pagina. 350. *Item.* Cum nuper, & infra pagina 351. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Iure ciuili cauetur Iudices, & alios Iustitiæ administratores, sine quoquam suffragio eligendos esse, §. 1. Ab isto autem Pontifice tàm leges, quàm canones in transgressores innouantur, §. 2. Statuitur etiam ne liceat mediante pecunia, vel solutione, aut promissione aliarum rerum aliqua etiam per interpositas personas, dignitates, & officia, exercitium, & administrationem iurisdictionis habentia procurare, vel habita manutenere, sub diuersis etiam capitalibus pœnis, §. 3. & seqq. Declarat hanc sanctionem comprehendere recipientes pecunias, vel promissiones huiusmodi, ac mediatores, & interpositas personas §. 1. subseq. constit. Clausulas eius præseruatiuas subdit. §. 2. Decretum quoque irritans addit, §. 3. Contrariorum etiam derogationem. §. 4. Eamque publicari mandat, §. 5. Quæ publicatio in fine subsequitur.

Schol. primum.

Quæro. Si amicus Ruberti, quicquam pro obtinendo eiusmodi officio persolueret, nũquid ab eo repetere posset?

R E S P. Non, quia cum iniuste persoluerit, nulla sibi exinde orta est actio, l. si verò remunerandi 12. §. Si adolescens. ff. Mandat glos. notab. in l. Quæ vtiliter. 47. ff. de Neg. gest. quàm citat Corset. in suo singulari 300. in verb. Simoniæ.

Schol. secundum.

Quæro. Habita autem huiusmodi solutionis notitia, quid agere debet ipse Rubertus?

R E S P. Officium in manu Superioris renunciare tenetur, vt illud ei confirmet, si sibi videbitur: Dicitur namque esse in dolo, nisi abstinet ab eo, quod dolo factum est Cyn. post glos. in L. 1. Cod. ad leg. Iul. de Ambit. in fine.

C X L I.

Edita Anno 1571.

INter cæteras Pastoralis, & infra, pagina 352. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ad reformationem Congregationis Canonicorum Regularium Sancti Saluatoris Ordinis S. Augustini, nouum Priorem, nouosq; Visitatores, ac Procuratorem Generalem deputat, §. 1. & 2. Vocales qui sint declarat, §. 3. & 4. Ad eligendum Priorem Generalem duas ex tribus partibus sufficere decernit, §. 5. Aliorum verò, maiorem partem. §. 6. Prior, & Procurator Generales ac Visitatores, eorumque substituti, vt in Capitulo sint eligendi, §. 7. Eorum qualitates quæ, §. 8. Priorum electio à quibus, §. 9. & seq. Capitulum Generale quolibet triennio celebretur, §. 11. Dieta autem quolibet anno, §. 12. Generales, Visitatorum, & Procuratoris officia, triennio, aliorum verò biennio terminentur, §. 13. Etsi interim vacant, certo modo, iuxta Ordinis instituta, prouideatur, §. 14. Administrationis bonorum temporalium forma præscribitur, §. 15. Contrarijsque derogat, §. 16.

Schol. primum.

Quæro. Istius Congregationis qui dicuntur fuisse promotores?

R E S P. Stephanus, & Iacobus viri Senenses, sanctitate illustres, vt scribit Polydor. Virgil. de Inuentor. rerum lib. 7. cap. 3. pagina mihi 421. qui subdit à Gregor. XI. eam approbatam fuisse; Quod tamen errori impressorum id tribuendum credo, cum Greg. XII. illam approbauerit in eius const. 2. de qua sup. pag 50. to. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Cur S. Saluatoris nuncupatur?

R E S P. Quia in domo Prioratus S. Saluatoris de Sylua Lacus Senensis Diœcesis, primum instituta fuit à Gregor. XII. in supradicta const. 2. Et deinde ad S. Saluatoris Bononiensis domum translata, iuxta facti seriem relatam post alios à M. Ioan. Baptista Signio Bononiense eiusdem Congregationis Canonico, in suo, quem edidit, tractatu de Ordine, & statu Canonicor. lib. 4. cap. 1.

C X L I I.

POstquam nuper, & infra pagina 314. Bullarij. Edita Anno 1571.

C O M P E N D I V M.

Turcas in Bello à Christianis captiuos effectos parta mox victoria à christianis, iubet non dimitti, neque distrahi, eo bello durante, §. 1. & 2. Contrauenientibus pœnas imponit. §. 3. Easq; ab Officialibus exequi mandat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quot Turcæ in potestatem christianorum tunc deuenerunt?

R E S P. Viui in partitione prædæ, tria millia quadringenti, & octoginta sex inuenti sunt: Sed multo plures priuatim occultati, qui in communem sortem non venerunt, vt scribit Io. Anton. Gab. de Vita, & gest. huius Pij lib. 5. cap. 5.

Schol. secundum.

Quæro. Fertur, Pio V. ea die, & hora, qua pugnatum fuit, nuncium de victoria diuinitus allatũ quid dicẽdum?

R E S P. Id certò euenisse tradit Gabut. iam citatus d. cap. 5. vbi luculenter facti seriem enarrat, quam vti scitu dignam, & valde admirabilem, integram legere ne pigeat.

C X L I I I.

LIcet ex debito, & infra pagina 355. Bullarij. Edita Anno 1571.

C O M P E N D I V M.

Hospitalia quædam in Hispanijs erecta sunt, sub inuocatione Ioannis Dei pro infirmis curandis, & Fratribus in collectione eleemosynarum dabatur impedimentum, §. 1. Illis hic Pont. dat Regulam S. Augustini obseruandam, habitum panni Layal nuncupati cum scapulare vsq; ad genua concedit, cum facultate colligendi eiusmodi eleemosynas pro subuentione infirmorum in eiusmodi Hospitalibus, §. 2. & 3. Ordinariorum correctioni supponit. §. 4. Habitum

bitum dimittere prohibet. §.5. Ordinarijs de administratione Hospitalium rationem redden. esse præcipit. §. 6. Clausulas huius Bullæ præseruatiuas apponit. §. 7. Executores deputat, §. 8. Contrarijsque derogat. §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Quale caputium hi Fratres deferre debent?

RESP. Rotundum, non autem acutum, vt decreuit Sacra Congregatio super Consultationibus Regularium anno 1588. teste Capuccino in suis adnot. ad Compend. Priuileg. Fratr. Minor. in §. Habitus.

Schol. secundum.

Quæro. Cur dicta Congregatio ita decreuit?

RESP. Vt eorum habitus, à Capuccinorum habitu distinguaretur, teste Roder. de Quæstion. Regular. tom. 2. quæst. 76. art. 4.

CXLIIII.

Edita Anno ...

CVm sicut accepimus, & infra, pagina. 356. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confraternitatem Annunciationis B. MARIÆ Virginis de Vrbe, enarrat pijssima caritatis opera exercere, tàm in maritandis pauperibus Puellis, annuatim dotes elargiendo, quàm alios egenos subleuando, & alia faciendo, §. 1. Ne ergo vagentur eius Officiales per diuersa Vrbis Tribunalia occasione litium, & aliorum negotiorum, dat facultatem Cardinali eius Protectori, specialem Iudicem in eorum causis deputandi, §. 2. Cum facultate in Curia, & extra citandi, §. 3. Inobedientes coercendi, §. 4. Sententias suas exequendi, §. 5. Singulis diebus, & horis procedendi, §. 6. Notarium deputandi, §. 7. Et hæc omnia, priuatiuè quoad alios Iudices, faciendi, §. 9. Contrarijs omnibus derogat, §. 1 a.

Schol. primum.

Quæro. Quis promotor huius confraternitatis fuit?

RESP. Ioannes de Turrecremata Hispanus Cardinalis Ordinis Fratrum Prædicatorum S. Dominici professor, Theologus, ac Magister Sacri Palatij, confraternitatem prædictam in dicta Ecclesia B. MARIAE supra Mineruam instituit, de qua confraternitate, & dicto eius institutore, nonnulla, & præclara quidem scribit Ciacon. in vita Eugen. IIII. à quo Ioannes ad Cardinalatum euectus fuit, & nouissimè Camill. Phanuc. de Pijs Operib. Vrbis. lib. 3. cap. 8.

Schol. secundum.

Quæro. Quot Puellis, & quod dotis subsidium, de quo in §. 1. annuatim præstat hæc Sodalitas?

RESP. Puellis 93. vsque ad eius tempora dotem elargitam fuisse, inquit Nauar. de Orat. Miscell. num. 30. in fine. Ciacon. autem vbi sup. affirmat de 150. Camill. verò Phanuc. mox citandus, scribit de 200. fobiungens, subsidium dotis submministrari suis temporibus in scut. 80. singulis honestis, & pauperibus puellis, quæ vitis se matrimonio coniungere, 100 verò, qui Deo se desponsare volunt annis singulis in die festiuitatis Annunciationis in dicta Ecclesia B. MARIAE super Mineruam, vbi Pont. cum abundanti eleemosyna, & magna Cardinalium, omniumque Curialium comitiua, & pompa accedit, celebratque, & ipsis Virginibus dotes consignat.

CXLV.

Edita Anno 1572.

CVm vices eius, & infra pagina, 358. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IIII. in sua constit. 49. de qua supra pag. 14. prohibuit, declarationem, aut retentionem archibusettorum breuioris mensuræ duorum palmorum, in toto Statu Ecclesiastico, sub grauissimis, pœnis, etiam sub pena criminis læsæ maiestatis à iure inflicta. §. 1. Hic Pont. Ministros Militiæ, & iustitiæ prohibet, pugiones, cultellos, & cuiuscunque generis arma breuioris mensuræ trium palmorum exceptis cultellis ad inciden. panem aptis, qui non possint esse maioris longitudinis, quàm vnius palmi, & sine cuspide, §. 2. Omnibus Officialibus inhibet dare licentias arma huiusmodi deferendi, aut retinendi, §. 3. Datas, & dandas irritat, & illis vtentes supradictis pœnis affligit. §. 4. Huius constitutionis publicationem in Vrbe demandat. §. 5. Eius transumptis fidem adhibet, §. 6. Contrarijsque derogat. §. 7. Eiusmodi publicatio subsequitur in fine.

Schol. primum.

Quæro. Quid est, quod fertur, nonnulla extare bannimenta circa confirmationem, & declarationem huius constitutionis?

RESP. Perlege Edictum Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Ludouici Ludouisij S. R. E. Presbyteri Cardinalis Tit. S. Mariæ Transpontinæ, totius Status Ecclesiastici Superintendentis Generalis. Et aliud Reuerendiss. D. Berliogetij Gypsij Episcopi Ariminensis Almæ Vrbis, eiusque districtus Gubernatoris, quæ hic intexere opportunè mihi visa fuerunt.

22 *Ricorda parimente Sua Signoria Illustrissima la prohibitione di portare, o tenere in casa Archibugetti prohibiti, sotto pena della vita, confiscatione de beni, & altre pene contenute nel Motuproprio di Pio IV. & V. San. mem. che ordina, che si proceda anco per inquisitionem, & in ogni miglior modo. Et medemamente la prohibitione sotto le medeme pene di portare Pugnali, Cortelli, & altre armi comprese in detta Bolla di Pio V. delle quali pene saranno esenti li Artigiani, che veramente per vso del loro essercitio portassero Cortelli, o instrumenti cosi fatti, & li Contadini poueri, che portaranno Cortelli spuntati, & minori del palmo col manico, &c. Dato in Roma li 23. d'Aprile. 1621.*

IL CARD. LVDOVISIO.

Gio. Andrea Castellani Secr.

Die 24. Aprilis 1621 Supradictum Bannimentum affixum fuit in acie Campi Floræ, ac alijs locis consuetis Vrbis, per me Augustinum Braccherium Apost. Cursor.

Dominicus de Rubeis pro D. Mag. Curs.

3 *Si prohibisce espressamente la delatione d'ogni sorte d'armi, tanto offensiue, quanto difensiue, senza licenza di Sua Signoria Reuerendissima sotto la pena della perdita dell'arme, d'applicarsi alli Essecutori, & di tre tratti di corda, & di venticinque scudi d'oro, se sarà di giorno, & se sarà di notte, scudi cinquanta d'oro. Dechiarando intendersi prohibito il portar Storte, Pistolesi, mezze Spade, Rasoi di qualsiuoglia qualità, Cortelli aguzzi, tanto dentro, quanto fuori di Roma, sotto pena oltra la perdita di dett'armi, di tre tratti di corda, della Galera per cinque anni ad arbitrio di Sua Signoria Reuerendissima, ne scusarà alcuno il pretesto di Priuilegio di Militia, o d'altro seruitio di giustitia, o del Prencipe, non s'intendino però riuocate le Licenze stampate concesse da Sua Signoria circa le Storte, e Pistolesi, li quali doueranno essere non meno di tre palmi, & nell'andare per la Città ligati.*

4 *Dichiarando in oltre, che quelli, a' quali per vso di lor bottega, & essercitio si tolleraranno cortelli puntuti anco maggiori di vn palmo non possino portarli fuora di lor bottega, & banchi, oltre cinque canne; sotto le medeme pene,*

pene, &c. Datum Romæ in Aedibus præfati Reuerendiss. D. Gubernatoris, die 6. Martij 1621.

Berling. Gypsius Episc. Arimin. Gub. & V. Cam.

Die 6. Martij. 1621. affix. fuit ut supra per Vrbem in locis publicis, & consuetis, per me Alexandrum Crisci-num Decanum Curiæ Illustriss. D. Gubernat. Mandatariorum.

Schol. secundum.

Quæro. Eiusmodi bannimenta expirabunt forsan finito officio?

R E S P. Expirarent, si non emanassent de mandato Papæ ex his, quæ tradit Vrsill. ad Affict. decis. 290. num. 3. quem sequitur Farinac. in fragment. in verb. Bannimenta num. 6. pag. mihi 22. vbi sub num. 7. inquit sic fuisse obtentum, & iudicatum; Si quidem quod factum est de mandato Papæ, ab ipso Papa dicitur factum; Mathæsilan. sing. 189. num. 4. Et ea decreta fuisse de mandato Papæ, expressè in eis dicunt ipsi bannientes, quibus omnino credendum est, quia hoc habent in eorum facultatibus, alioquin eis non crederetur Gemin. conf. 62. num. 8. vers. Sed si Legati.

CXLVI.

Edita Anno 1572.

CVm nos pro Pastoralis officij, & infra, pagina 358. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad feliciorem initi Belli contra Turcas prosecutionem, omnium peccatorum culpam elargitur cunctis, qui bonis, vel personis illud adiuuabunt, §. 1. in eorum litibus, bello durante, supersederi mandat. §. 2. Et ab vsurarum solutione liberat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Num eiusmodi Indulgentiam in ipso bello pugnantibus, iteratò concessit?

R E S P. Culparum Indulgentiam vniuersis depugnantibus iubet promulgari, pugnæ signum extolli, & omnes se ad dimicandum componere: ideòque Sacerdotes à Pontifice missi, triremes omnes obibant, militum crimina breuem per confessionem expirantes, CHRISTIQ; de Cruce pendentis effigiem, per naues circumferentes, prçclarè hortabantur omnes, vti bono essent animo, nec dubitarent, C H R I S T V M D E V M, pro cuius Sanctissimo nomine dimicaturi essent, è Cęlo ipsis opem allaturum. Hæc habet Io. Ant. Gabut. in suo, quem de Vita, & gest. huius Pij, edidit libello lib. 5. cap. 4.

Schol. secundum.

Quæro. Fœlix fortasse de Turcis victoria tunc fuit obtenta?

R E S P. Fœlicissima, & omnium sæculorum maximè memorabilis, quam per extensum legere, apud ipsum Gabut. in præcit. loco tibi iucundissimum fore arbitror.

CXLVII.

Edita Anno 1572.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra, pag 359. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quamuis per sacras leges, & canonicas sanctiones, sub grauissimis pœnis prohibitum fuerit, ne quis libellum famosum componeret, sed quisque eum repertum corrumperet, prius quàm alter inueniret, & nemini fateretur inuentum, nihilominus audent aliqui diuersas personas varijs iniurijs afficere, & earum honori detrahere, sub ficto colore quarumdam literarum incerto authore scriptarum

§. 1. Hic ideò Pont. huius perpetuæ constitutionis edicto, pœnas in prędictos per sacras leges, aut canonicas sanctiones impositas approbat, & innouat, & ad illos si in eis comprehensæ non essent, extendit, §. 2. Et statuit, quòd nemo famosos libellos, & literas nuncupatas d'auuisi, continẽtes conuicia, & famæ, & honoris alicuius læsionem, nec aliquam scripturam, in qua de futuris successibus disseratur, vel ea, quæ coram ipso, vel alijs ad Ecclesiæ vniuersalis regimen deputatis secretò tractantur, reuelentur, componat, dictet, scribat, exemplet, retineat, nec aliquem transmittat, sed statim, antequam vim earum manifestauerit corrumpat, vel Cardinali Rusticucio consignet, sub prędictis pœnis, & alijs grauioribus, etiam vltimi supplicij, & confiscationis bonorum, iuxta qualitatem facti, personarumque arbitrio ipsius Papæ irremissibiliter infligen. d. §. 2. Eisdemque pœnis eos ligari decernit, qui in eisdem libellis, literis, seu scripturis, de aliquo oblocuti fuerint, & aliorum, cuius famæ, honorique vera etiam exprimentes, detraxerint, ac ea, quæ coram nobis secretò tractantur, reuelauerint d. §. 2. Hancque Bullam perpetuis futuris temporibus durare, nullo defectu notari, & sub aliquibus reuocationibus non comprehendi decernit, §. 3. Et ita, & non aliter iudicari pręcipit, §. 4. Contrarijs derogat, §. 5. Formamque, & effectum publicationis subiūgit, §. 6. Quæ quidem publicatio subsequitur in fine.

Schol. primum.

Quæro. Diceretur ne libellum, vel scriptutam inuentam manifestare, qui vni tantum perlegit?

R E S P. Negatiuam sententiam tenet Bursat. conf. 94. lib. 1. num. 17. Cephal. conf. 341. lib. 3. num. 28. & Claud. ad Bertazzol. conf. 237. in vers. penult. ea adducti ratione, quòd manifestum dicitur, quod pluribus innotescit, vt voluit Bart. in l. Hæredes palam 21. ff. de Testamen. num. 2. Sed contrarium mihi verius videtur: Nam cum supra pręsupponit Papa, quòd inueniens libellum corrumpat, & nulli fateatur inuentum, dum subdit, nec eius vim manifestet, sensus est, quòd nulli manifestet, & huiusmodi dictio, est vniuersalis negatiua, & sciunt omnes. Vltra quòd Bart. dum affirmat manifestum dici, quod pluribus innotescit, non negat manifestum quoque dici posse, quod vni soli manifestatur ab altero, ad ea, quæ Panormitan. scribit in c. 1. de Cleric. non resid. nu. 3. Vnde fur manifestus dicitur, qui solum ab vno furari deprehenditur ad tex. in §. 1. Instit. tit. de Oblig. quæ ex delict. nascunt.

Schol. secundum.

Quæro. Num ista constitutio est temporalis, attendendo ista verba *arbitrio nostro*, & illa *Cardinali Rusticucio*, de quibus in §. 2.?

R E S P. Non, attentis illis verbis, *perpetua constitutionis edicto*, de quibus in princip. d. §. 2. & illis verbis in §. 3. *perpetuis futuris temporibus durare*. Sed ex superabundanti scias, quòd pro Statu Ecclesiastico proclama desuper edidit Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Ludouicus Ludouisius S. R. Ecclesiæ Præsbyter Cardinalis Tituli Sanctæ Mariæ Transpontinæ, totius Status Ecclesiastici Generalis Superintendēs, & pro Roma, eiusque districtu aliud edidit Reuerendissimus Berlingerius Gypsius Episcopus Ariminensis, Almæ Vrbis, suique districtus Gubernator; Quæ tui causa hic censui imprimenda.

31 Et perche è cosa chiara, e manifesta à tutti, quanto siano gl'inconuenienti, che sogliono auuenire per la publicatione de' Libelli famosi, desiderando Sua Signoria Illustrissima, ouuiare à quelli, con ogni opportuno rimedio, ordina, & commanda, che nessuna persona ardischi fare, attaccare, ò far attaccare in qualsiuoglia luogo, ò tempo Libelli famosi, ò Pasquinate di qualsiuoglia sorte, ò maniera, ancorche in detti Libelli, ò Pasquinate si esponesse la verità, scriuere, ò dar lettere, ò memoriali senza nome, che contenghino ingiuria, ò diffamatione d'altri, ne scriuer, ò fare scriuere scrittura in prosa, ò in versi, ò altra sorte, che contenghino alcuna sorte di maledicenze, o detrattione, o calunnia di Prencipi, o di persone graduate, Ecclesiastiche, o secolari, o d'altre persone priuate, etiam

con cifre, ò figure, ne quelli attaccarli, ò darli ad altri, accioche vadino per mano di molti, ad effetto che si publichino, ò diuulghino, & quelli che esemplaranno, o riterranno simili Libelli, ò Pasquinate, incorrino in tutti li sudetti casi in pena della vita, confiscatione de beni, & perpetua infamia, secondo la qualità della persona, ò almeno della Galera ad arbitrio di Sua Signoria Illustrissima, &c. Dat. in Roma li 23. d'Aprile 1621.

IL CARD. LVDOVISIO.

Gio Andrea Castellani Secr.

Die 24 Aprilis 1621. Supradictum Bannimentum affixum fuit in acie Campi Floræ, ac alijs locis consuetis Vrbis, per me Augustinum Braccherium Apost. Curs.

Dominicus de Rubeis pro D. Mag. Curs.

SE bene per le constitutioni de' Sommi Pontefici, & per varij Bandi particolari si è in diuersi tempi prouisto all'inconuenienti, che prouengono da Libelli famosi, Pasquinate, ò altre scritture infamatorie, intendendosi però, che non ostante queste buone prouisioni, vanno per mano di molti scritture simili. Perciò per ouuiare alli molti scandali, che ne seguono, & prouedere ad altri mali, odij, & nemicitie intestine, che da ciò possono succedere. Il Molto Illustre, & Reuerendissimo Monsignor Berlingerio Gessi Vescouo di Rimini, & di Roma, & suo distretto General Gouernatore, & Vice Camarlengo; d'ordine espressamente à bocca datoli dalla Santità di N. Signor PAPA GREGORIO XV. confirmando, & innouando le sodette probibitioni, & Bandi di nuouo prohibisce, ordina, & commanda, che niuna persona di qualsiuoglia grado, stato, conditione, ò dignità che sia, presuma, ò ardisca componere, fare, dittare, scriuere, copiare, ritenere, dare, ò mandare ad altri, publicare, attaccare, ò fare attaccare in qualsiuoglia luogo, ò tempo Libelli famosi, Pasquinate, Lettere, ò Memoriali, ò altre scritture di qualsiuoglia sorte, ò qualità, che contenghino maledicenze, detrattioni, ingiurie, diffamationi, ò calunnie de Prencipi, persone Graduate, Ecclesiastiche, ò Secolari, ò di qualsiuoglia priuata altra persona, huomo, ò donna viuenti, ò che già sieno morti, in qualsiuoglia lingua, ò idioma, in stampa, ò manoscritte, così in prosa, come in versi, etiam con cifre, ò figure, & ancorche li fossero venute da altre Prouincie, Città, Terre, & luoghi, ò che fossero composte, & scritte come facetie, ò sotto altro pretesto, ò colore, se bene anco si pretendesse, che contenessero, la verità, ò con effetto la contenessero sotto le pene contenute nella Bolla di Pio Quinto di felice memoria, & nelli Bandi in tal materia publicati: Nelle quali pene incorreranno ancor quelli, che leggeranno, cantaranno, ò in alcun modo recitaranno alcune delle sodette scritture.

Et similmente ordina, & commanda, che ciascuna persona d'ogni qualità, come di sopra, alla quale capitasse in qualsiuoglia modo alcuna delle scritture di sopra prohibite, senza manifestarla, ò mostrarla ad alcuno, la debba portare, & con effetto consegnare al medesimo Monsignor Gouernatore, o al suo Caponotaro, & chi non haurà in mano alcuna di esse scritture, ma hauerà notitia, che alcun'altra persona le habbia, & tenga, ò le habbia composte, ò scritte, ò habbia commesso alcuno delli altri atti di sopra prohibiti, debbia subito riuelarlo ad esso Monsignor, sotto l'istesse pene.

Et oltre di ciò d'ordine di Sua Santità si promette à chi riuelarà alcuno di quelli, che haueranno commessa alcuna delle cose di sopra prohibite, il terzo delli beni che si confiscaranno, & quando non si venga à confiscatione, di cento, & cinquanta scudi di donatiuo da pagarseli subito, che con effetto si saranno trouate le sudette scritture, ò che il denuntiante haurà somministrati tali inditij, che si possa contra il delinquente venire in luce della verità, promettendosi anco di tenere secreto il detto denuntiante.

Dourà ciascuno auuertire di non contrauenire alli sodetti ordini rendendosi certo, che all'essecutione d'essi, & alle pene comminate si procederà etiam ex officio, & per via d'inquisitione con ogni seuerità, & rigore senza alcuna remissione. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ ex Aedibus præfati Reuerendiss. D. Gubernatoris, die 2. Septembris 1621.

Berling. Gypsius Episc. Arim. Guber. & V. Cam.

CXLVIII.

CVm sicut non sine graui dolore, & infra, pagina 360. Bullarij. *Edita Anno ...*

COMPENDIVM.

Prohibet quibuscumque Officialibus Status Ecclesiastici. Milites armatos quauis causa in Monasterijs, alijsq; pijs locis assignare, §. 1. & 2. Et neque in illis hospitari d. §. 2. Et minùs id permittere, §. 3. Contrarijsq; derogat. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Num etiam ante hanc constitutionem extabat hæc eadem hospitandi prohibitio?

RESP. Ita quidem, vt argumento text. l. 1. Cod. de Episc. & Cleric. tenet ibid. Odofred. num. 3. & Bald. nu. 2. & Salyc. ibid. in princ.

Schol. secundum.

Quæro. In compendio constitutionis 11. exemit hic Pont. quoscumque Regulares ab isto onere hospitandi Milites, cur ergo hæc iterum exemptio conceditur?

RESP. Latior est ista gratia, quia suffragatur omnibus locis pij Status Ecclesiastici, & latior est etiam prohibitio, contra eiusdem Status Officiales, qui eam impedirent, vt satis liquet ex vtriusque constitutionis lectura.

CXLIX.

LIcèt omnibus notissimum sit, & infra, pagina 361. Bullarij. *Edita Anno ...*

COMPENDIVM.

Christianos apud Turcas Schiauos, & parta pro Christianis victoria repertos, liberè cum bonis sui dimitti præcipit, §. 1. Contrauenientes pœnis afficit §. 2. Solam huius indulti signaturam sufficere decernit, §. 3. Eiusque exemplis fidem adhiberi, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quot fuerunt ex Christianis à Turcarum captiuitate liberati?

RESP. Quindecim millia Christianorum, quos superioribus annis barbari captiuos fecerant, in libertatem vindicati fuere, sic scribit Ciacon. in Vita huius Pontificis pagina mihi 1205. & postremò Io. Anton. Gabut. in eius itidem vita lib. 5. cap. 5.

Schol. secundum.

Quæro. Eiusmodi victoria, qua die parta?

RESP. In const. 11. Greg. XIII. huius Pij successoris, die 7. Octobris 1571. victoriam cessisse Christianis habetur, & scribunt supradicti Ciacon. & Gabut. in locis præallegatis.

GRE-

GREGORIVS XIII. Italus. Creatus Anno 1572.

CONSTIT. I.

Edita Anno ...

AEquum reputamus, & infra, pagina 361. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, Pium V. Religiosis Societatis IESV, eorumq. familiaribus, clericali charactere insignitis, priuilegium dedisse in omnibus eorum causis ciuilibus, criminalibus, & mixtis, in quibus actores, vel rei conuenti forent, in Conseruatores, & Iudices Ordinarios quamcumq; personam in dignitate Ecclesiastica cōstitutam, vel Episcoporum Vicarios in spiritualibus, vel Officiales generales eligēdi, §. 1. & 2. Conseruatoribusq. amplissimam iurisdictionem concessisse, §. 3. Et huic priuilegio non censeri derogatum statuit, per quasuis literas Apostolicas quibuscumque suffultas clausulis derogatorijs, nisi illius tenor de verbo ad verbum esset insertus, & derogatio eiusmodi Societati intimata foret, §. 4. Et quemlibet ex Conseruatoribus posse prosequi articulum per alium inchoatum, quamuis minimè esset impeditus, quibuscumque non obstan. §. 5. & 6. Transumptisq. fidem adhiberi decreuit, §. 7. Et quoniam literę, eius superueniente obitu, non fuerunt expeditæ, hic Pont. de eius validitate non dubitari mandat, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Si hic non specificè esset dictum de Vicarijs Episcoporum, nōne de iure in Conseruatores eligi potuissent?

RESP. Controuersa admodum quæstio est, licèt affirmatiua videatur verior ex his, quæ plenè post alios deducit Iacob. Sbroz. in suo tract. de Vicar. Episc. lib. 2. quæst. 27. num. 2. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Huiusmodi Societatis indulto eligendi in suis causis Conseruatores in Iudices, erit ne derogatum à Sixto Quinto, qui Rotæ Maceraten. causarum ecclesiasticarum cognitionem infra in sua const. 94. concessit, aliorum priuilegijs plenissimè derogando?

RESP. Rotamet Maceraten. in causa in ea promota, à Iesuitis censuit, non fuisse derogatum, multiplici ratione, & præsertim quòd eorum priuilegio nulla præiudicat derogatio eisdem non intimata, vt videre est in decisionib. Prouinciæ Marchiæ collectis à M. Anton. Amato. decis. 17. per totam.

I I.

Edita Anno 1572.

OMni certè studio, & infra, pagina 363. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet, Agnus DEI per Romanum Pōtificem benedictos, depingi, miniari, aut vęnales proponi, vel teneri, sed eos albos, & mundos decenter deferri, ac retineri mandat, §. 1. Præcipit Ordinarijs, vt in suis Diœcesibus hanc Constitutionem publicent, §. 2. Vltra excommunicationis pęnam ipso facto incurrendam, alias etiam pœnas arbitrio Ordinariorum imponi iubet, §. 3. Quibuscumque non obstantibus, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Venditio, de qua hic in §. 1. intelligetur interdicta de Agnus DEI depictis, an verò de puris?

RESP. De depictis, quia de eis venditio fieri solebat, & ita communiter hanc legem intellectam, & consuetudine interpretatam esse, scribit Suarez de Relig. lib. 4. de Simon. cap. 14. pag. mihi 451.

Schol. secundum.

Quæro. Agnus DEI quæ est materia, & quæ est virtus?

RESP. Accipe ex Octastico illo Vrbani V. cum tribus Agnus DEI ad Græcorum Imperatorem misso, & ex Cęremonialis libro desumpta.

Balsamus, & munda cera cum Chrismatis vnda
Conficiunt Agnum, quod munus dò tibi magnum
Fonte velut natum per mystica sanctificatum:
Peccatum frangit, vt CHRISTI sanguis, & angit,
Pregnans seruatur, simul & partus liberatur:
Munera defert dignis; virtutem destruit ignis,
Portatus mundè de fluctibus eripit vnda
Morte repentina seruat, Sathanæq; ruina
Si quis honoret eum, retinet super hoste trophæum
Parsq; minor tantum, tota valet integra quantum.

I I I.

Edita Anno 1572.

INter cætera, & infra pagina 363. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius V. prohibuit in sua constit. 35. de qua sup. pagina 44. Ciuitates, & loca S. R. E. alienari, & infeudari, & bona quomodolibet deuoluta, & deuoluenda, Cameræ eo ipso incorporata censeri decreuit, absque alia declaratione, §. 1. Iste Pont. confirmat, innouat, & perpetuò obseruari mandat, §. 2. Sanctionem pœnalem addit, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Illud verbum *quomodolibet*, quid operatur?

RESP. Comprehendit omne genus deuolutionis, ratione directi dominij, ex capite felloniæ, lineę finitæ, dilationis, aut non solutionis canonis, & huiusmodi, quia est vniuersale. cap. 1. Quib. mod. feudum amit. & cap. 1. Quę fuit caus. benefic. amit. cum ibi à DD. notatis.

Schol. secundum.

Quæro. Cuius effectus sūt illa verba *eo ipso incorporata*?

RESP. Vltrà quòd non requiritur declaratio, neque executio, vt hic dicitur, cessabit omnis prætensio pręscribēdi ius incorporandi, cum pro incorporatis habeantur ipsa bona. Præscriptio autem requireretur centum annorum, contra Cameram Apostolicam, vt sciunt omnes, licet regulariter hoc ius, quoad Fiscum, pręscribatur 20. annis, vt per Chassan. super Consuetud. Burgund. rub. 2. num. 10.

IIII.

Edita Anno 1572.

EA est rerum humanarum, & infra, pag. 364. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum in Vrbe, curiosorum (qui Menātes vocātur,) quędam emerserit secta, qui quæcumque de publicis, priuatisque negotijs, domi, forisque facta, infecta, vera, & falsa, nullo discrimine proponunt, recipiunt, & scriptitant, itaut iā artem quamdam instituerint, & quidam eorum, harum rerum commentariolos huc, & illhuc miserint, §. 1. Iustis de causis hic Pont. prohibet, ne quis tales cōmentariolos conficere, neque ab alijs confectos recipere, describere, spargere, aut ad alios mittere audeat, §. 2. Et qui contrafecerit, perpetua ignominiæ nota affectus, fine vlla spe veniæ, ad triremes, aut perpetuò, aut ad tempus, pro admissi qualitate damnetur d. §. 2. Qui verò illos receperit, & Vrbis Gubernatori quamprimum non significauerit, & consignauerit, pœnis eisdem subijcitur d. §. 2. Antiqua autem iura, cōtra scribentes, aut mittentes libellos famosos edita, in suo robore durent d. §. 2. Exemplisq; huius constitutionis fides detur, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Num cōtra eiusmodi famigeratores, quicquam post eiusmodi constitutionem, seuerius editum fuit?

RESP. Sixti V. tempore Gubernator Vrbis, eiusque districtus, die 12. Octobris 1586. dum Genitor meus illius erat Locumtenens, proclama edixit, cuius pars est, quæ sequitur, videlicet.

Ordina, e commanda, che nessuna persona di qualsiuoglia grado, stato, o conditione ardisca, à presuma scriuere, ò fare scriuere con lettere d'auuisi, à altre sorti di scritture, à nessuna sorte di persona di qualsiuoglia grado, ò conditione, sotto qualsiuoglia pretesto, ò quesita colore, infamie, detrattioni, calunnie di nessuno, & massime de Principi, & persone graduate, Ecclesiastiche, à secolari, ne quelle offendere con titoli inconuenienti, ne in altro modo mordere, sotto pretesto di facetie, & motti espressamente, ò con calarate figure, ne in scriuere in qualsiuoglia sorte di lingua stesamente, ne con cifre, & figure, ne con occasione di discarsi biasmar l'attioni publiche, ò secrete di altrui, che come fondati nelli loro capricci, senza saper ragione, à principio de negatij, s'auuiluppano (li miseri) nelle maledicenze, & detrattioni, con scandolo, & nausea anca di chi le legge; sotto pena della vita, & confiscatione de beni, & di perpetua infamia.

Ordina anco Sua Signoria Reuerendissima, che nessuno ardisca riceuer da qualsiuoglia persona simil auuisi, lettere, ò scritture, che contengono simil maledicenze, & detrattioni, & chi li riceuerà, se subito non le riuelarà alli Gouernatori, & Superiori de' luoghi, oue li riceuerà, incorra nelle medesime pene sopradette.

Prout sedente S.D.N. GREGORIO XV. Gubernator die 6. Martij 1621. aliud bannum promulgauit, vbi sub num. 18. id continetur.

Che nessuno ardisca, ò presuma scriuere, ò far scriuere lettere d'Auuisi, ò Gazette à qualsiuoglia persona, fatto alcun pretesto, senza licenza in scriptis di Sua Signoria Reuerendissima, à suo Caponotaro, sotto pena di tre tratti di corda, & cento scudi, & anco della galera per cinque anni, seconda la qualità de casi.

Schol. secundum.

Quæro. Antiqua autem iura, de quibus in §. 5. quid circa libellos famosos disponunt?

RESP. Multa sunt eiusmodi iura, & quamplurimæ Interpretum expositiones, de quibus latè post alios scripsit Farinac. in cons. 30. vbi nonnulla aliorum Aduocatorum consilia cumulauit, & etiam in cons. 123. & in consil. 145. per totum, & vberius in quæst. 105. nu. 321. & seqq.

V.

Edita Anno 1572.

DVm ad vberes, & infra, pagina 364. Bullarij.

COMPENDIVM.

Dat facultatem Ordini Fratrum, & Monialium Eremitarum S. Augustini quæcumque quorumcumque Monasteriorum bona immobilia, seu quasi cuiuscumque valoris alienandi, vendendi, permutandi, in emphyteusim, seu liuellum etiam ad longum tempus concedendi, pro pretio, affictu, pacto, modis, & formis hinc inde conueniendis, §. 2. Dummodò id faciant pro commodo, vel vtilitate eorum, & consensus duarum partium ex tribus Fratrum, vel Monialium illius loci, cuius bona erunt, accedat; Et quoad cessionem in emphyteusim illa non fiat vltra duas generationes, vel nominationes, & loco consensus Sedis Apostolicæ Prior generalis ipsius Ordinis, re diligenter examinata pro euidenti vtili comprobata, comprobet d. §. 2. Executores deputat §. 3. Contrariaq. omnia aufert, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Alienationis eiusmodi prohibitio comprehendit ne etiam cessionem iurium, & actionum ad bona immobilia?

RESP. Comprehendere mihi probat tex. in l. Bonorum 49. ff. de Verbor. & rer. signific. & ita tenet Somm. Armill. in §. Alienatio. num. 16. & Panorm. in cap. Nulli, 5. de Reb. Eccles. non alien. num. 9. in fin. & in capit. 1. Deposit. num. 8.

Schol. secundum.

Quæro. Vtilitatis ratio, de qua in §. 2. de quo tempore habenda est?

RESP. De tempore contractus, vt censuit Bald. cons. 334. lib. 1. in fine, Vitalin. in clemen. 1. de Reb. Eccles. non alien. num. 58. & seq. secuta est Rota in decis. Seraph. 366. nom. 1.

VI.

CHristiani Populi corpus, & infra, pagina 365. Bullarij. Edita Anno 1572.

COMPENDIVM.

Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux instat pro licentia instituen. militiam sub inuocatione Sancti Mauritij sui, suorumque Antecessorum Protectoris, §. 1. Pontifex eius propositum collaudat, & dictam licentiam impartitur, §. 2. Dictamque militiam instituit sub denominatione supradicta, & sub perpetua protectione Ducis Sabaudiæ, eius magni Magistri, & cum mensa magistrali, insignibus, & Officialibus consuetis, §. 3. Militibus cum vnica tantum Virgine matrimonium contrahere indulget d. §. 3. Et dictæ militiæ dotem quindecim millium scutorum applicat d. §. 3. magnoom agistro dat authoritatem, optimos viros ex omnibus nationibus ad habitum, & regularem professionem admittendi, §. 4. Et vbique Præceptorias, & alia beneficia dictæ militiæ erigendi, §. 5. Eis quoque erectis bona patrimonialia, & laicalia eorum, qui relinquere voluerint, dotis nomine assignandi, § 6. Ius etiam patronatus fundatoribus, & dotatoribus reseruandi, §. 7. Dat insuper eidem magno magistro potestatem Prouincias, & Nationes separandi, Præceptorias, & beneficia constituendi, & eorū singula, quos fructus, & quæ onera habere, quibusvè legibus subiacere debeant statuendi, ac cætera ad vsum huius militiæ necessaria decernendi, §. 8. Et statuta condendi, §. 9. Decretum irritans apponit, §. 10. Et contrarijs derogat, §. 11. Formam professionis fidei à militibus emittendæ subiungit, §. 12. Sanctionemque pœnalem subnectit, §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Hi milites si post factas probationes obtinuerunt gratiam suscipiendi habitum, & soluerunt viaticum, habitum tamen non assumpserunt, si delinquunt, exempti ne sunt a iurisdictione Iudicum secularium, aut ab eorum magno magistro iudicantur?

RESP. Fori priuilegio magni magistri non gaudent, quia non sufficit destinatio, quæ multis accidentibus non sortitur quandoque effectum suum, vt egregiè probat Vincent. Franch. decis. 449. num. 2. vbi sic iudicatum fuisse testatur, & respondet contrarijs, & pariter Caball. casu 65. num. 6. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Habitu autem suscepto, possent eiusmodi eorum priuilegio renunciare?

RESP. Verius puto non posse, cum videatur huic Ordini militari datum, cui ipse præiudicare non valet, vt aliàs de alijs huiusmodi militibus tibi dixi ex Caball. casu 225. num. 17. & seq. & casu 294. num. 255.

VII.

PRo commissa nobis, & infra, pagina 367. Bullarij. Edita Anno 1572.

COMPENDIVM.

Enarrat institutionem militiæ S. Mauritij, de qua in præceden. constit. & maximos exinde sperare fructus, si huic nouæ antiquam vniat militiam S. Lazari Hierosolymitani temporum iniuria valdè deiectam, §. 1. & 2. Præsertim si Dux Sabaudiæ vtriusque militiæ magnus magister constituatur, isque duas triremes pro Sede Apostolica dictis Mi-

Militibus instructas teneat, §.3. Vult ergo eas sub denominatione SS. Mauritij, & Lazari, earumq. Magnũ Magistrum Ducem Sabaudiç constituit, §.4.& 5. Eique dat facultatem Militibus S. Lazari habitum nouum ab eo defignandum dimisso antiquo, si illum habeat, tradendi, & nõ habentibus, ad illum suscipiendum cogendi, §.6. Eundem dictas duas triremes, vt supra instructas tenere decernit, §.7. Principes, vt illi faueant hortatur, §.8. Contrarium attentari vetat, §.9. Executores deputat, §.10. Contraria repellit, §.11. Sanctionem pœnalem subijcit, §.12.

Schol. primum.

Quæro. Sperati fructus, de quibus in §.1. euenerunt ne cum effectu ex hac vnione?

RESP. Euenisse inquit Clemen.viij. infra in sua constitut.102.§.9.

Schol. secundum.

Quæro. Hi Milites de delicto patrato, dum sunt Milites, si postmodum Militia priuantur, à quo de eo crimine iudicandi?

R E S P. A suo Iudice, de tempore delicti, vt firmat Vincent.de Franc.in decis.417.num.3.& seqq. & hanc opinionem veriorem fatetur Caball.casu 147.num.12.vbi tamen contrariam seruari subiungit.

VIII.

Edita Anno 1572.

DEo sacris Virginibus, & infra, pagina 368. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum sess.25. capit.5. de Reformat. præcipit omnibus Episcopis, vt in omnibus Monasterijs sibi subiectis ordinaria, in alijs verò authoritate Apostolica clausuram, vbi violata esset, restitui, & vbi inuiolata conseruari maximè procurarent, prout etiam Bonif. viij. in capit.1. de Stat. Monach. iam decreuerat, §.1. Pius V. in sua constit.8. de quâ sup. pag.36. prædicta approbauit, & declarauit, eleemosynasq. pro dictis Monialibus colligi decreuit, §.1. Et hic Pont. Monialibus clausuram seruantibus applicat medietatem eleemosynarum pro Christi pauperũ victu, & vestitu destinatarum, & destinandarum, §.2. & 3. Ordinarios locorum ad earum exactionem, applicationẽ, & distributionem deputat, §.4. Et eisdem quòd consanguineos Monialium, aliosque ad eis caritatiuè subueniendum hortentur iniungit, §.5. Quodq; in Monasterijs, quibus de sufficienti subuentione prouisum extiterit, Conuersas professas ad clausuram cum alijs Monialibus reducant, & non professas, nec profiteri volentes dimisso habitu domũ remittant, neque aliàs, nisi professionem emissuras, & sub clausura perpetua mansuras recipi permittant, §.6. Conuersas professas, quas Pius V. de cætero recipi vetuit, declarat, non esse illas, quæ extra Monasteria in domibus contiguis degerent d. §.6. Eleemosynarum prædictarum contributionem durare decernit quousque Monasterijs sit de commoda substentatione consultum d.§.6. Monialibus etiam Tertiatijs interdicit ostium, per quod ex Monasterio possit ingredi Ecclesia exterior, vbi sæcularibus datur accessus d.§.6. Et eisdem vetat egressum à ianua clausuræ Monasterij ad elauden. aliam vlteriorem ianuam per quam sæculares accedunt ad parlatoria, vel pulsan. ianuam clausuræ d.§.6. Dominos temporales hortatur, vt locorum Ordinarijs faueant in præmissis, §.7. Ordinarijs verò publicationem, & executionem eorumdem committit, §.8. Contrarijsque omnibus derogat, §.9.

Scholium primum.

Quæro. Si Conuersæ non sunt recipiendæ, nisi necessariæ ad eleemosynas colligendas, & illæ cum Monialibus intra Monasteria degere non valerent, vt in §.6. vnde est, quòd in Monasterijs passim recipiuntur ad professionem Conuersæ, quæ seruituales nuncupantur?

R E S P. Conuersæ seruitiales sunt in duplici specie: Aliquæ enim recipiuntur ad seruitium colligen. eleemosynas, si illis Monasteria indigent, quæ duo vota castitatis, & paupertatis, sed non aliud de seruanda clausura emittunt, & de istis non recipiuntur, nisi necessariæ ad seruitium, & vti tales extra Monasteria in domibus contiguis degunt. Aliæ autem sunt Conuersæ seruitiales, quæ recipiuntur ad omnia seruitia Monialium intra monasteria, quæ vltra sub stantialia vota, emittunt etiam aliud de perpetuò seruanda clausura. Et istæ licet albo velo signentur, aliæ verò Moniales ad Chorum destinatæ nigro vtantur, sunt tamen veræ Moniales, & de istis Conuersis non intelligitur hęc Bulla, vt latè declarat Roderic.de Quæstion. Regular. tom. 1. quęst.84. vers. Secunda assertio.

Schol. secundum.

Quæro. Monialium, vel Conuersarum appellatione, de quibus hic, comprehenduntur ne etiam Oblatæ, itaut clausuram ipsæ pariter seruare teneantur?

R E S P. Non, quia est alia species, cum Moniales propriè sint, quæ suscipiunt habitum, & profitentur regulam emissis tribus votis substantialibus, vt seruant in Choro, Conuersæ eadem faciunt, vt seruiant extra Chorum. Oblatæ verò, quæ se, & sua perpetuò donant alicui Monasterio absque dictorum votorum emissione, vt latissimè explicat Nauar.in cons.81.de Regular.lib.7. per totum, & etiam in cons. seqq.

IX.

Edita Anno 1573.

IN tanta rerum, & negotiorum mole, & infra, pag. 370. Bullarij.

COMPENDIVM.

Multa priuilegia Ordinibus Mendicantium Pius V. in sua constit.41. de qua supra pagina 46. elargitus est, §.1. Illaque ad alios Ordines extendit, §.2. Et deinde super deputatione Fratrum ad exercitium curæ animarum in Parochialibus Ecclesijs, quæ illis vnitæ sunt in sua constitut.47. de qua supra pag.48. alia decreuit, §.3. Postremò dicta priuilegia, quoad Ordines non Mendicantes, restrinxit, indultaque Mendicantium magna ex parte moderatus est, & alia statuit in suis literis nusquam publicatis, §.4. Et postremò Regulares etiam Mendicantes Lectores, & in Theologia graduatos non posse sæcularium audire cõfessiones ab Ordinarijs locorum nõ examinatos, & approbatos in alia eius const.133. de qua supra pag.7; statuit, §.5. Hic modo Pont. prædictas, & alias quaslibet Pij V. circa statum Regularium constitutiones eisdem de rebus editas ad eam dispositionem reducit, quæ pro subiecta materia, siuè ex iure veteri, siuè ex Cõcilij Trident. decretis, quæ legitima erat ante dictarum Bullarum editionem, §.6. Litesq. desuper ortas secundum hanc constitutionem decidi mandat, §.7. Futurorum dubiorum decisionem Sedi Apostolicæ reseruat, §.8. Decretum irritans apponit, §.9. Obseruantiam prædictorum omnibus iniungit, §.10. Contraria remouet, §.11, Transumptisq. credi indulget, §.12.

Schol. primum.

Quæro. Hæc reductio priuilegiorum à Pio V. Regularibus concessorum, num comprehendit indultum exemptionis à gabellis, contributionibus, onereq. hospitandi milites, de quo supra in eisdem Pij const. 11. pag.37.?

R E S P. Non, quia licet reductio fit de omnibus Pij cõstitutionibus statum Regularium concernentibus, restringitur tamen per illa verba *de eisdem rebus editas*, itaut nõ possit extendi ad dictum indultum, de quo Pius non egit in suis constitutionibus hic indicatis, vt Steph. Quarant. aduertit in suis adnot.ad hanc Bullam pagina mihi 416.in fin. & clarè patet ex lectura textus.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ est legitima dispositio, de qua in §.6.?

R E S P. Quæ continebatur in antiquis priuilegijs vsque ad dictas Bullas Pij V. nõ reuocatis, vt exemptio à decimis, & similibus, ita in puncto scripsit Roderic.de Quæstion.Regul.tom.3. quęst.74.art.16. in fine.

X.

Edita Anno 1573.

CVm interdum contingat, & infra, pagina 371. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit omnibus licere in quacumque die infra Octauam Festiuitatis Sanctissimi Corporis CHRISTI processionem celebrare literis Pij V. & cæteris contrarijs non obstan, §.1.2. & 3. Obseruantiam huius decreti omnibus præcipit, §.4. Clausulas præseruatiuas addit, §.5. Et decretum irritans, §.6. Executores deputat, §.7. Contrarijsque derogat, §.8. Ac transumptis fidem dari mandat, §.9.

Schol. primum.

Quæro. Circumscriptis eiusmodi Pij V. & Greg.XIII. constitutionibus, potuissent ne omnes, idest laici, publicas facere processiones?

RESP. De iure ciuili hoc eis erat absque consensu Episcoporum interdictum ad tex. in §. omnibus in auth. de Sanctis.Episcop. & notat Io.Francisc. Leon. in suo Thesaur.fol.Eccles. par.4.cap.2. de Confraternit.num.145. vltimò Romæ impresso.

Schol.secundum.

Quæro. Eiusmodi Sacramenti Euchatistiæ solemnis venerario etiam per Octauam, nonne illud cæteris Sacramentis præstantius esse demonstrat?

RESP. Ita quidem decreuit Alexan.III. in cap.8. de Consecrat.dist.2. vbi Turrecrem. multa, & doctè quidem more suo de hoc Sacramento prosequitur, & cur cæteris præcellit, optimè demonstrat.

X I.

Edita Anno 1573.

MOnet Apostolus, & infra, pagina 373 Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia die 7. Octobris anni præteriti Omnipotentis DEI clementia, Turcarum Classis numero longè superior à Christianorum classe, in illius virtute decertante, non longè à Corinthiaco sinu victa, & quassata fuit eiusmodi ingentis beneficij anniuersariam memoriam haberi hic Pontifex decernit, §.1. Et cum preces Deo oblatæ eo gratiores ad eum ascendant, quo dignioribus intercessoribus, & pio aliquo orandi modo offeruntur. Cumq. dicta die 7. quæ tunc fuit dies Dominica, qua Confraternitates Rosarij processionaliter incedentes, pias ad Deum preces effudisse, easq. per intercessionem Beatæ MARIÆ Virginis ad dictam victoriam consequendam plurimum profuisse piè creden. sit: Propterea solemne Festum sub nuncupatione Rosarij prima Dominica dicti mensis singulis annis sub duplici maiori officio in perpetuum in omnibus locis, in quibus Capella, vel Altare Rosarij fuerit, celebrari mandat, §.2. & seqq.

Schol. primum.

Quæro. In hoc prælio, qui hinc inde Virorum numerus occubuit?

RESP. Hac de re in vita Pij V. ita scribit Ciacon. Triginta millia Turcarum, multi Duces, Prouinciarumq. Præsides occubuerunt: Ex nostris autem supra sexcentos, & quinquaginta homines septem millia desiderata sunt, & idem ferè recenset Io.Anton.Gabut.de Vita, & gest.Pij V. lib.5. cap.5.

Schol.secundum.

Quæro. Quis eiusmodi contra Turcas bellum, & de quo tempore promouit?

RESP. Pius V. cum Hispaniæ Rege, & Veneto Senatu fœdere aduersus Turcas anno 1571. peracto, & promulgato, antea tamen per eumdem promoto, hanc nauale expeditionem, cui Marcum Antonium Columnam præfecerat, solemni ritu, nauibus, & Militibus lustratis, sanctis benedictionibus est prosecutus, quæ omnia, aliaque multa recenset Ciacon. nunc præcitatus.

X I I.

Edita Anno 1573.

ET ipsa ratio, & vsus docet, & infra, pagina 373. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iolius III. sanctionem edixit contra franchitias in Vrbe tenentes, & Curiam in executione impedientes. Et Pius IV. illam ampliauit, §. 1. Eas sanctiones exactè ab omnibus seruari hic Pont. decernit, §.2. Et ad pœnarum executionem procedi iubet Officialibus, si suam, & Sedis Apostolicæ vltionem voluerint euitare, §.3.

Schol. primum.

Quæro. Ista comminatio vltionis, quam pœnam indicat?

RESP. Arbitrariam puto, cum non sit expressa, iuxta personarum, ac facti qualitatem Bald.in auth. Statuimus. Cod.de Episcop.& Cleric.num.2. Grammat.decis.40.numero 10.& latius Menoch. casu 365. per totum.

Schol. secundum.

Quæro. Cur Papa vsus est illis verbis *Sedis Apostolicæ.*

RESP. Ad tollen. dubium, quod posset excitari circa verbum *nostram*, an scilicet per obitum Papæ expiraret ista constitutio ad capit. Si gratiosè. 5. de Rescript. in 6. Quamuis fuisset leuis, vel potius inanis hæc dubitatio, cum huiusmodi legis promulgatio pro perpetua subditorum quiete, potius dignitati, quàm voluntati Papæ conueniat, vt egregiè post alios explicat Couar.Var.resol. lib.3. cap.15.num.2.& seq. & Aym.consl.732.num.2.

X I I I.

Edita Anno 1573. & 1579.

COonsueuit Romanus Pontifex, & infra pagina 374. *Item.* Consueuit Romanus, & infra, pag.375. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius V. in sua constit.128. de qua sup. pag. 72. multa statuit circa Ordinem Fratrum Minorum de Obseruãtia & inter alia de Ministri generalis, & aliorum Prælatorum electione, munere, & tempore, quo durare debeant, ac de alijs, §.1. & seqq. Hic Pont. circa electionem multa reformat, §.2. & seqq. & etiam in constit. subseq. Et circa tempus, quo officia durent, §.7.& in alia constit. subseq. Et circa vocem actiuam, & passiuam, §.10. & ead.constit. seq. Et circa Nouitios recipiendos, seruandamq. Bullam Pauli IV. quoad descendentes à Mahometanis, Iudæis, & Hæreticis, §.11. Et circa procurationem fauorum extra Religionem, §.5. subseq. constit.

Schol. primum

Quæro. Constitutionis Pauli IV. enunciatæ in §.11. tenorem, vnde habere possem?

RESP. Nuper eam Pauli IV. constitutionem insertam vidi in Bulla 3. Pij IV. qui eam confirmauit, à Roderic. inter nonnullas Bullas pro Regularibus collectas, impressam, pag mihi 598. ex qua tamen corrigen. est ille versic. insertæ constit. Pauli IV. incipien. Cum itaque fœl.recor. Pius Papa III. qui falsò impressorum vitio ei ascriptus videtur, cum in Genitoris mei Codice manuscripto, loco Pij Papæ III. legatur Clem.Papa VII.

Schol.secundum.

Quæro. Veritas huius erroris vnde dignoscitur?

RESP. Ex tempore datæ eiusdemmet Bullæ impressæ ab eod. Roderic. vbi legitur annus 1525. quo tempore Clem.VII. non autem Pius III. Apostolicæ Sedis regimini præerat. Ipsius autem Clementis Bullæ, in d.Pauli constit. relatæ, atque ex eodem Codice desumptæ tenor hic est.

CLE-

CLEMENS PAPA SEPTIMVS
Ad futuram rei memoriam.

OFficij nostri debitum exigit, vt Religioni deditis, præsertim Fratrum de Obseruantia nuncupatorum, quos in visceribus gerimus charitatis, sic nostræ sol licitudinis studium impendamus, quod ex Ministrorum suorum, seu aliorum quorumcumque culpa, aut indecentia grauamina, & dispendia non patiantur.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus Ministri Prouinciales Fratrum Ordinis de Obseruantia prædictorum in suis Prouincijs speciali priuilegio, tamquam Inquisitores hæreticæ prauitatis suorum subditorum existant, vt in ipsos subditos officium Inquisitionis exerceant, Nos quorum est, quæ à personis Religiosis, præsertim alijs præsidentibus contraria fidei honestati, & Ordini existunt, ad Dei laudem, & Religionis decentiam, ac animarum salutem submouere, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus, quòd de cætero aliqui Fratres Minores Ordinis Obseruantiæ huiusmodi à Iudæis, seu hæreticis, quorum parentes, & progenitores paterni, seu materni viuentes, seu defuncti, vsque ad quartam generationem inclusiuè hæretici declarati, & vt tales condemnati, ac illi, seu eorum corpora, & ossa, vel statuæ igni traditæ fuerint, originem trahentes, seu descendentes, etiam ad quascumque dignitates, & officia Ecclesiastica obtinenda, & exercenda præmissis non obstantibus sufficienti dispensatione, seu indultu suffulti, in Ministros Prouinciales, seu Guardianos, nec etiam sæculares, simili modo à Iudæis, hæreticis originem trahentes, & descendentes, in Fratres Ordinis, & obseruantiæ huiusmodi recipi, nec Prouincialatus aut alia officia quæcumque gerere, & exercere quoquomodo possint.

§. 2. Districtius inhibentes Generali, & Prouincialibus, Ministris, ac Guardianis, & Fratribus eiusdem Ordinis, & Obseruantiæ in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna eo ipso si contra fecerint incurrenda, ne aliquos ex dictis Iudæis, seu Hæreticis, vsque ad quartam generationem originem trahentes, seu descendentes, vt præfertur in Ministros Prouinciales, seu ad alia officia, nec de cætero sæculares in Fratres in dicto Ordine eligere, assumere, recipere, vel admittere, seu electos confirmare, & instituere quomodolibet præsumant. Ac decernentes irritum, & inane quicquid secus attentari contigerit.

Non obstan. &c. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die xix. Martij MDXXV.

XIV.

Edita Anno 1573. & 1574

POstquam Deo, & infra pag. 375. *Item.* Vt cæteri de Rep. & infra, pag. 377. Bullar.

COMPENDIVM.

Videns superioribus sæculis Prouinciam Germaniæ in Religionis cultu eminentem, varijs excitatis de Religione dissidijs, deformatam esse, opportunum adhibere volens remedium, Collegium Germanicum in Arma Vrbe erexit Iul. III. pro adolescentibus Germanicæ nationis liberalibus artibus, sacra Theologia, & pijs moribus instituendis, vt boni, & docti euaderent, & ad patriam remeantes habendis concionibus, & disputationibus, repellendisque hæresibus, Fideique orthodoxæ veritati dilucidandæ, animarum curæ exercendæ, alijsque pijs operibus apti essent, & idonei, sed dictum Collegium, ipsius tàm Iulij III. obitu, quàm alijs difficultatibus cessauit, vt in Tom. II. Compend. proœm. & §. 1. Hic ideo Pont. iteratò illud erigit, §. 2. Annuos redditus assignat, §. 3. Eius gubernium Societati IESV concedit, §. 3. Exemptionem ab omni aliorum superioritate, correctione, & iurisdictione, & visitatione tribuit, §. 3. Et à gabellis, & decimis §. 5. Priuilegia Studij Vrbis communicat, §. 6. Neminem illi molestiam dare præcipit, §. 7. Alumnos ad gradus per Superiores promoueri indulget, §. 8. Duos Cardinales eius Protectores deputat, §. 9. Contrarijs derogat, §. 10. Indulgentias Scholaribus elargitur, §. 11. Transumptis huius Bullæ credi mandat, §. 12. Exemptionem supradictam vberius quibuscumque non obstantibus concedit in subseq. constit. §. 1. & 2.

Schol. primum.

Quæro. Iulij III. constitutionem, de qua in §. 1. quo pacto videre possem?

RESP. Perlege eiusdem Iulij constitutionem, quam forsan non inutilem putabis, eamq. propterea hic tibi imprimendam duxi.

IVLIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

CVm solicita considerationis indagine perscrutamur, quàm sit pretiosum sapientiæ, & scientiæ bonum, cum probitate vitæ coniunctum, & quòd per illud illo largiente, à quo procedit omne datum optimum, omneque donum perfectum, deriuatur, ignorantię et vitiorum tenebræ profligantur, errores tolluntur, & mortaliū actus in lumine veritatis disponuntur, soliciti reddimur, & solertes, vt literarum simul, & Christianæ pietatis studia, ex quibus diuina cooperante gratia acquiritur scientia cum charitate coniunctā margarita, vbilibet, in illis præsertim locis, quæ ad ferenda, irriganda, & multiplicanda studia huiusmodi, idonea, & accommodata esse dignoscuntur, salubria incrementa suscipiant.

§. 1. Hinc est, quòd nos attendentes quanta sit fideliū, & strenuorum operariorum penuria præcipuè in illis regionibus, vbi cultus veræ religionis per varias hæreses maximè imminutus, & Catholicæ, ac sanæ doctrinę, necnon vitæ lumen multis errorum tenebris obscuratum est, quantumque Christianæ Reipublicæ, & Fidei orthodoxæ conducat, vt militans Dei Ecclesia, vbique & præsertim in Germania viris exemplari vita, & literarum scientia præditis, quorum opera veritatis lumen protendi, & illud obumbrare nitentes dissipari valeant, in dies abundet, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatę petitionis instantiam, sed de mera deliberatione, & certa scientia nostra, ad Omnipotentis DEI laudem, & gloriam, ac ipsius militantis Ecclesię exaltationem, & Germanię spirituale auxilium, in Alma Vrbe nostra, & loco ad id conuenienti, & apto, per infrascriptos Protectores assignando, vnum Collegium Scholarium, Germanicum nuncupandum, cum dote, Ecclesia, vel Capella, in qua Missę, & aliæ Diuina Officia iuxta prouidam ordinationem eorum, qui Collegij gubernationem susciptent, celebrentur necnon structuris, ędificijs, cameris, & locis, ac dote simili Collegio conuenientibus, & necessarijs, in quo aliquot Nationis Germanicę iuuenes dociles, & bonę indolis, & si fieri possit iam aliqua bonarum artium, & sincerę doctrinę principia habentes, DEVM timentes, & religionem zelantes, ex regionibus, Prouintijs, & locis Germanię educendi instituantur, & alantur, & bonis, ac sanctis moribus imbuantur, necnon literarum, & pię vitæ studio continuò vacent, sub Magistris, siue Præceptoribus eis per dilectos filios Societatis IESV nuncupant constituendis, qui literas hu-

maiores trium linguarum Latinæ, Græcæ, & Hebraicę, ac Logicam, Physicam, & alias liberales disciplinas, & demum sacram Theologiam publicè legant, & doceant, & alias ipsorum Scholarium curam regimen, & administrationem in his, quæ ad morum integritatem, & verbi Dei prædicationem, ac explicationem, ac ad officium Christiani Pastoris, necnon benè, beateque viuendum pertinent, & spectant, suscipiant, & nullis parcendo, laboribus quantum in eis fuerit, ædificent, & Diuina praecepta eorum animis infigere conentur, & tales se erga eosdem Scholares exhibeant, vt ipsi tandem Diuinę legis capaces, necnon ætate doctrina, & probitate maturi, postquam de beneficijs Ecclesiasticis competenter prouisi fuerint, tamquàm intrepidi Fidei athletæ, in suas Regiones ad alios exemplo vitæ suę ad Christum trahendos, & qui id talentum acceperint, ad verbum Dei docendum, & prædicandum curam animarum sibi commissam, ad Dei laudem, & gloriam, ac spiritualem fidelium profectum exercendum, & administrandum, necnon hæresum latens venenum deprehendendum, & errores apertos conuincendum, & resecandum, ac denique fidem ipsam totis viribus defendendum, ac verbo, & exemplo ampliandum, & vbi extirpata fuit, denuo plantandum, cum animarum salute, remitti, & destinari possint, auctoritate Apostolica, tenore pręsentium erigimus, & instituimus.

§. 2. Necnon dilectos filios nostros Rudulphum S. Marię Transtyberim de Carpo, & Ioannem S. Pancratij Compostellan. ac Marcellum S. Crucis Ceruinum, & Ioannem S. Stephani in Celio Monte Moronum, necnon Ottonē S. Sabinæ de Augusta, & Iacobum S. Simeonis Titulorum de Puteo nuncupatos Sanctę Romanę Ecclesię Presbyteros Cardinales, ipsorum Collegij, & Scholarium Protectores, & defensores, ad quos, vel aliquem Societas huiusmodi possit pro consilio, & auxilio in ijs, quę ad commissam sibi curam pertinent, recurrere, quique ad ducendorum huiusmodi Scholarium, & post studia remittendorum, & quamdiu in Collegio manebunt, sustentandorum, curam habeant, auctoritate, & tenore praedictis constituimus, & deputamus:

§. 3. Necnon Collegium praefatum, & illius Scholares, Magistros, seu Praeceptores, Rectores, & Gubernatores pro tempore existentes, eorumq; bona mobilia, & immobilia, cuiuscumque qualitatis, & quantitatis existentia, & in dicta Vrbe, & aliàs vbilibet consistentia, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, & potestate pro tempore existentium, Senatoris, Consulum, & Conseruatorum, ac Reformatorum dictæ Vrbis, necnon Rectoris Studij generalis eiusdem Vrbis, ac aliorum quorumcumque Iudicum, Officialium, & personarum in dicta Vrbe, & aliàs vbilibet constitutorum, illaq; ac in proprijs eorum rebus, & bonis, cum eis contrahentes, à solutione, & exactione quorumcumque pedagij, gabellae, bollettini, decimarum, & cuiusuis alterius, tàm ordinarij, quàm extraordinarij oneris in dicta Vrbe, & aliàs vbique locorum, & ex quacumque causa impositorum, & imponendorum, eximimus, & totaliter liberamus, ac sub Beati Petri, & Sedis Apostolicae, atque nostra protectione suscipimus, nobisque & dictae Sedi immediate subijcimus, ac liberos immunes, exemptos, susceptos, & subiectos, immuniaque & exempta fore, & esse.

§. 4. Et ita per quoscumque Iudices, quauis auctoritate fungentes, sublata eis, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere. Necnon quicquid super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, & declaramus.

§. 5. Ipsique Collegio, Scholaribus, Rectoribus, & Gubernatoribus, vt omnibus, & singulis priuilegijs, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, & indultis, quibus Studium generale Vrbis huiusmodi, & illius Rector præfatus, necnon Doctores, & Legentes in eo, quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed æquè, & pariformiter vti, potiri, & gaudere possint, in omnibus, & per omnia concedimus, & indulgemus, & illa eis communicamus:

§. 6. Necnon Senatori, Consulibus, Conseruatoribus, Reformatoribus, Rectori, & alijs Iudicibus, Officialibus, & personis prædictis, ac moderno, & pro tempore existenti S. R. E. Camerario Præsidentibus, & Clericis Cameræ Apostolicæ, ac quibusuis Commissarijs super exactione decimarum, & aliorum onerum prædictorum pro tempore deputatis, sub indignationis nostræ pœna, ne prætextu quarumcunque literarum eis sub quibuscumque tenoribus, & formis pro tempore concessarum, Collegium, Scholares, Rectores, et Gubernatores præfatos, seu eorum aliquem, super præmissis quomodolibet molestent, seu molestari permittant, districtius inhibemus.

§. 7. Et insuper Regentibus, et Superioribus dicti Collegij pro tempore existentibus assistentibus præfatis Protectoribus, seu aliquibus ex eis, aut de eorum consilio, et expresso consensu illos, quos in dicto Collegio, et alibi per tempus debitum studuisse, ac scientia, et moribus idoneos esse repererint in prædictis facultatibus, ad Bacealaureatus Licentiaturæ, et Doctoratus, ac Magisterij gradus, seruata aliàs forma Concilij Viennen. iuxta Vniuersitatis eiusdem Vrbis consuetudinem, seu aliàs promouendi, et ipsorū graduum solita insignia eis exhibendi. Quodque in facultatibus supradictis sic promoti illa legere, et interpretari, ac in eis disputare, et quoscumque gradui seu gradibus huiusmodi conuenientes actus exercere, et aliis omnibus, et singulis priuilegijs, gratijs, fauoribus, prærogatiuis, et indultis, quibus alij in prædicta, seu alijs Vniuersitatibus, et alibi, iuxta illius, vel aliarum Vniuersitatum huiusmodi constitutiones, et mores ad gradus prædictos promoti, de iure, vel consuetudine vtuntur, potiuntur, et gaudent, ac vti, potiri, et gaudere poterint quomodolibet in futurum, vti, potiri, et gaudere possint, et debeant in omnibus, et per omnia, ac si gradus prædictos in ipsa Vniuersitate iuxta consuetudines, et mores prædictos suscepissent, concedendi, e indulgendi, necnon pro fœlici implemento, et salubri directione, et conseruatione dicti Collegij, illiusque bonorum, et rerum, ac iurium, tàm temporalium, quam spiritualiū quæcūque Statuta, & ordinationes rationabilia, et sacris Canonibus non contraria faciendi, & edendi, ac reuocandi, immutandi, corrigendi, & super illorū obseruatione quascumque pœnas imponendi, quæ postquam facta, edita, reuocata, immutata, & correpta fuerint, eo ipso auctoritate prædicta approbata, & confirmata sint, & esse censeantur, & iuxta eorum dispositionem sublata quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, et diffiniri debere, ac quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernendi, omniaque et singula alia in præmissis, et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, et exequendi plenam, et liberam auctoritate prædicta, tenore præsentium facultatem, et potestatem concedimus. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Vrbis, et iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, necnon priuilegijs, indultis, et literis Apostolicis eisdem Senatori, Consulibus

sulibus

sulibus, Conseruatoribus, Reformatoribus, Camerario, Vniuersitatibus, ac earũ Collegijs, Rectoribus, Scholaribus, et psonis, et alijs præfatis necnon præfatæ Vrbi, et Populo Romano sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusuis clausulis, et decretis etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis: Quibus omnibus, illarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus cęterisque contrarijs quibuscũque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curię Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica munitis, eadẽ prorsus fides in iudicio, & extra, ac aliàs vbilibet opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensę. Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M D L I I. pridie Kalen. Septembris Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Schol. secundum.

Quæro. Quo potissimum tempore Christianæ Religionis in eo Regno infęlix euenit perturbatio hic in proœmio indicata?

RESP. Anno Christi 888. & Stephani Papæ VI. anno 4. Imperatoris autem Leon. VI. anno 3. infęlicissimũ Ecclesiarum Germaniæ statum in pręfatione Synodi Moguntinæ telatum scripsit Baron. in Annal. Ecclesi tom. 10. pag. mihi 620. secundum primam eius impressionem.

X V.

Edita Anno 1574.

EX nostri Pastoralis officij debito, & infra, pag. 377. Bullarij.

COMPENDIVM.

Si in eligendis Abbatissis Monialium Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, Moniales Monasteriorum per duo scrutinia non conuenerint, dictæ Congregationis Visitatores, ac Abbates, seu Prælati, eisdem Monialibus, duas, vel tres ex eis, quas ad gubernium aptiores iudicauerint, proponere debeant, & illa ex eis sic propositis, quæ plura Monialium vota in sui fauorem habuerit, canonicè electa censeatur, §. 1. 2. & 3. Clausulas huius Bullæ præseruatiuas subdit, §. 4. Et etiam contrariorum derogatorias, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Cuius ætatis est Abbatissa eligenda?

RESP. Concilium Tridentinum sess. 25. de Regular. cap. 7. hæc habet, *Abbatissa eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quòd si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest videatur, ex ijs, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltim annis post professionem rectè vixerint Episcopo, vel alio Superiore consentiente eligatur.* Et circa eiusmodi Concilij decretum, tres refert declarationes Roder. de Quæstion. Regul. to. 1. q 16. art. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Numquid Abbatissa illegitima esse poterit, vel corrupta?

RESP. Illegitimam eligi, vel corruptam, vetitũ est, vt tradit glos. in cap. Indemnitatibus. 43. §. 1. in verbo Canonicam de Elect. in 6. & tradit Felyn. in cap. Meminimus. 13. de Accusat. num. 4. Zabar. in clem. 2. §. Statuimus. quęstio. 10. & seq. de Statu Monachor.

X V I.

NIhil in vnaquaque, & infra, pagina 378. Bullarij. Edita Anno 1574.

COMPENDIVM.

Eugenius IV. iussit in Capitulo Generali Congregationis Cassinen. Monachorum Ordinis S. Benedicti, nouem eligi Diffinitores, eorumq; ordinationibus stari, eosdemq. de Monasterijs, & locis, ac eorum bonis disponere, vt in eius const. 5. sup. pag. 56. to. 1. §. 2. Idem Eugenius hoc seruari voluit, etiam de Abbatijs, quæ vacarent apud Sedem Apostolicam, §. 3. Hic Pont. prædicta iteratò decernit, §. 5. Appellationem quamcumque à mandatis Capituli, siue Præsidentis, aut Visitatorum, vel Rectorum Congregationis vetuit absque speciali mandato Papæ, §. 6. Iudicia contra Monachos summariè agi iubet d. §. 6. Appellationes nõ recipi, appellantesq; coetceri mandat, §. 7. Ambientibus dignitates extra Religionem, vel indirectis vijs, pęnas imponit, §. 8. Promotiones canonicè fieri iubet, §. 9. Contrarijs derogat, §. 10. Transumptis huius Bullæ eredi mãdat, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba *quamcumque appellationem*, de quibus in §. 6. comprehendunt forsan appellationem, si de notoria constaret iniustitia?

RESP. Non, quia nulla quàuis verborum amplissima significatione, iniustitia eiusmodi permitti censetur Rota in decis. 87. Capuraq. in Manuscript. & in vna Romana de Matthæis coram Orano 21. Maij 1562.

Schol. secundum.

Quæro. Clausula, appellatione remota, operatur ne, vt Iudex recusari non possit?

RESP. Poteft recusari, quia cum duo sunt separata, remoto vno, nõ remouetur aliud. Bart. in l. fin. Cod. de Sent. num. 6. de communi testatur.

X V I I.

PRo nostri muneris officio, & infra, pag. 380. Bullarij. Edita Anno 1574.

COMPENDIVM.

Congregatio Monachorum Sancti Hieronymi de Obseruantia ex eius constitutionibus, habet Priores annales, §. 1. Ex qua assidua mutatione ambitus insurrexit, §. 2. Pręsentes ideo Priores hic Pont. remouet aliosq; eligit, & eis in Capitulo mandat assignari Prioratus, §. 3. Diffinitores dicti Capituli, aliquot ex dictis Prioribus constituit, quos perpetuò durare decernit, §. 5. Sed in eodem Monasterio solum triennio manere iubet, §. 6. Capitulum tamen singulis annis eos de vno ad alium Monasterium transferre. §. 7. Capitulum proximum, alios loco dictorum Priorum vacantium, subroget, § 8. Præpositum generalem, Visitatores, Consultores, & Diffinitores, ex numero Priorum eligi iubet, §. 9. Procuratoresq. Monasteriorum missos ad Capitulum generale voce actiua, & passiua, in electione Præpositi generalis, & Diffinitorum, vti posse, §. 10. Electio Prioris vacantis ad Capitulum differenda est, §. 11. Priores ex Vicarijs eligantur, §. 12. Vicariorum electio, vt fienda, § 13. In Monasterijs lectiones audiri permittir, § 14. Accessus ad Vrbem, absque Protectoris, vel Præpositi licẽtia, vetat, §. 15. Procuratores certos Monasteriorum constitui prohibet, §. 16. Præpositum generalem ex Prioribus, & ad annum eligi iubet, §. 16. Et ita, ac non aliter fieri mandat, §. 17. Prædictaq. strictè obseruari præcipit, §. 18.

Scholium primum.

Quæro. Ista Congregatio Monachorum S. Hieronymi, sub qua Regula degit?

RESP. Sub Regula S. Augustini, vt legitur in plerisque alijs Bullis Summorum Pontificum, & presertim Martini V. quæ mox peruulgatę fuerunt in libro priuilegiorum huius Congregatiõis nuper impresso.

Schol.

Schol. secundum.

Quaero. Martini V. forsan temporibus, eiusmodi Congregatio promota fuit?

RESP. Iam antea in Hispanijs extabat Ordo S. Hieronymi, vnde ista Congregatio ad arctiorem obseruātiam instituta fuit, vt legitur in quadam dicti Martini constit. die 7. Augusti expedita anno 1424. quæ in dicto libro priuilegiorum nuper impressa legitur, & à meo Genitore non edita in suo Opere, cum opportuno tempore haberi nō potuisset; Et hinc verum dignoscitur, quod de hac Congregatione scripsit Roder. tom. 1. Quæst. Regul. quæst. 3. art. 10. in princ. & non quod postea ibid. subdit.

XVIII.

Edita Anno 1574.

SVperna dispositione, & infra, pagina 381. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. priuilegia, & antiqua Statuta Ordinis Cisterciensis confirmauit, & innouauit, & nonnulla alia in sua constit. 70. de qua sup. pag. 21. statuit, §. 1. Pius V. comprobauit, & alia pro eiusdem Ordinis reformatione decreuit, §. 2. Hic Pont. omnia comprobat, §. 3. Abbatemq. & Superiores personas, & loca Ordinis corrigere iubet, §. 4. Indulta Episcopis concessa huiusmodi correctionem non impedire decernit, §. 5. Impedimentumque huius correctionis omnibus interdicit, §. 6. Monachos omnes eam recipere debere statuit, §. 7. Priuilegia Ordinis confirmat, §. 8. In Monasterijs, alijs personis extra Ordinem commendatis, mensam conuentualem pro Monachis sufficientem, institui mandat, §. 9. Alios aliorum Ordinum Religiosos intrusos in dictis Monasterijs, Ordinis professionem emittere iubet, §. 10. Moniales alterius Ordinis, quando in Abbatissas Monasteriorum huius Ordinis recipi possint, declarat, §. 11. Monasteria omnia, ad contributiones Abbati, & Capitulo teneri decernit, §. 12. Monasteria etiam commendata, & de iurepatronatus laicorum refici, & ad clausuram reduci mandat, §. 13. Necessaria ad vsum Monachorum, & cultum Diuinum, prouidere iubet, §. 14. Duosque Nouitiatus in omni Prouincia institui, §. 15. Conuentus muris claudi præcipit, §. 16. Eos Mulieres ingredi vetat, §. 17. Inuen[illegible] bonorum in omnib. Monasterijs haberi mādat, §. 18. Monasteria non tuta, ad loca vicin a transferri decernit, §. 19. Visitationes solicitè fieri iubet, §. 20. Et à Commendatarijs hospitari mandat, §. 21. Commendatarijs, ne quid detrahant de necessarijs Monachorum, aut ob delicta eos coerceant, sed Superioribus Ordinis deferāt præcipit, §. 22. Cistercij fieri archiuium cum Indice omnium Monasteriorum, & bonorum iubet, §. 23. Indulta proprium habendi reuocat, §. 24. Eleemosynas à Commēdatarijs subministrari mandat, §. 25. Appellationē ad Nuncios, & legatos, Monachis vetat, §. 26. Clausulas præseruatiuas huic constit. apponit, §. 27. Decretum irritans subdit, §. 28. Executores deputat, §. 29. Contrarijs derogat, §. 30. Transumptis credi iubet, §. 31.

Schol. primum.

Quaero. Intrusos, de quibus in §. 10. numquid longa temporis detentio tuetur?

RESP. Non, quia inhabilitas, temporis diuturnitate præscribi non potest cap. Cum causam. 27. vbi Ancharan. num. 4. de Electīon.

Schol. secundum.

Quaero. Alternatiua, de qua in eodem §. 10. cui competit?

RESP. Intrusis, eo quòd vel tenentur Monasterijs se abdicare, aut huius Ordinis professionem vouere, verissima namq; est regula, quòd in alternatiuis, electio est debitoris. l. Plerumque 11. ff. de Iur. dot. cum similibus, Castrens. cons. 120. lib. 2. per tot.

XIX.

Edita Anno 1574.

AD Romani Pontificis Prouidentiam, & & infra, pagina 385. Bullarij.

COMPENDIVM.

Romanus Pontifex quandoq; solet præcipere, vt possessio, & fructus beneficiorum Sedi Apostolicæ reseruatorū, nomine eiusdem Sedis apprehendantur, donec literæ Apostolicæ desuper expediuntur, & quandoque etiam mandat in possessionem beneficiorum induci, §. 1. Sed quidam ad impedien. eiusmodi Papæ mandata, allegant primas instantias ad Ordinarios spectare, §. 2. Hic ideo Pont. declarat eiusmodi executionem impediri non posse, §. 3. Contrauenientibusq. pœnas imponit, §. 6. Contrarijs derogat, §. 8.

Schol. primum.

Quaero. Quid inter se differunt, Breue Apostolicum, & literæ, seu Bullæ Apostolicæ?

RESP. Ad nostrum propositum nomine differunt, & appellatione literarum Apostolicarum venit etiam Breue, & Bulla: Illæ namq; literæ dicuntur Breuia Apostolica, quia breuioribus verbis, quàm Bullæ scribuntur, summamque rei continent, vt post Bald. in cap. 1. de Controuer. Inuest. num. 3. scribit Staphil. in tract. de Lit. grat. & Iust. in rubr. de Rescript. in forma Breu. num. 4. ac Rebuff. in Praxi Benefic, in tit. de Breui Apostol. aliæ autem literæ, plenam rei seriem continentes, vocantur Bullæ, quia non signantur Anulo Piscatoris in cera rubra, vt Breuia, sed sigillo plumbeo cum effigie SS. Petri, & Pauli, de quo meminerunt Archid. in capit. vlt. dist. 11. num. 8. & Geminian. num. 8.

Schol. secundum.

Quaero. Cur potius hoc signum, vel sigillum habetur in plumbo, quam in argento, vel auro?

RESP. Quia ob pretiositatem metalli, esset de subtractione Bullæ periculum, vt inquiunt glos. & Scribb. in clem. Vnica. de Iureiur. in 6. & refert Iacob. Graff. post suas decis. in Comment. Bullæ Cœnæ Domini capit. 18. num. 3.

XX.

Edita Anno 1574.

PRo nostri muneris officio æquum, & infra, pag. 386. Bullarij.

COMPENDIVM.

Collegium Germanicum narrat cum annuo redditu decem millium aureorum in Vrbe ab eo fuisse institutum, & in eo non minus, quàm centum pueros ex vniuersa Germania, Septentrionalibusq; illi adiacentibus regionibus colligendos, & piè erudiendos, in sua constit. 14. de qua supra pag. 83. Cardinalibus modò eiusdem Collegij Protectoribus dat iurisdictionem, causas ciuiles, criminales, & mixtas, tàm actiuè, quàm passiuè, summariè, & de plano, manu regia, & sola facti veritate inspecta, omni, & quacumque appellatione remota, cognoscendi, §. 1. Iudices quoque ad eas delegandi, ac citandi, & inhibendi, & alia in præmissis necessaria faciendi, & exequendi quibuscumque non obstantibus d. §. 1. & 2. Transumptis quoque fidem dari iubet, §. 3.

Schol. primum.

Quaero. Procedens manu regia, num testi non reddenti rationem dicti sui credere debet?

RESP. Non facilè creden. sentit Alex. cons. 80. lib. 4. in fin. & Ofasch. decis. Pedem. 1. num. 30. in fine.

Schol. secundum.

Quaero. De origine manus, siue brachij regij, quid habes?

RESP. Tu ipse videas tractatum Caualcani de Brachio regio nuper editum, & signanter in part. princ. sub nu. 37. Et aliquid scripsit Marta. de Clausul. par. 1. Claus. 71. Et, quòd operetur, vt Iudex possit procedere executiuè, imò etiā de facto, & sine iuris ordine, dixit Rota in decis. Cocini 446. par. 2. in Nouiss. num. 1.

Offi-

XXI.

Edita Anno 1574.

Officij nostræ partes, & infra, pagina 387. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia dubium erat an contra eos, qui in presbyteratus ordine non constituti Missas celebrare, confessiones audire, & absolutionem impartiri ausi fuerint, possit per Officium Sanctissimæ Inquisitionis hereticæ prauitatis in Regnis Hispaniarum institutorum procedi, & per eorum Inquisitores, quorom diuersa feruntur in huiusmodi causa suffragia, puniri debeant, §.1. Hoc dubium affirmatiuè hic Pontifex resoluit, §.2. Et ita ab omnibus iudicari præcipit, §.3. Legibus prædictorum Regnorum, & Statutis Ciuitatum eorumdem, ac cæteris contrarijs derogat, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Quæ fuit ratio decisionis, de qua in §.2. & quæ pœna de iure infligenda?

RESP. Ratio fuit, quòd Presbyteratus ordine non insigniti, illa Sacramenta administrando, facto impugnant Catholicam Fidem, quæ solos Presbyteros eorumdem Sacramentorum ministros constituit, vt expressè legitur in ipso texr. in §.2. Pœna autem est depositionis, & falsitatis iux. tex. in cap. 2. de Cleric. non ord min. & ibi Butr. & Panormit. sub oum. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Ista const. Inquisitoribus in Regnis Hispaniarum directa, numquid ab alijs quoque Inquisitoribus erit obseruanda?

RESP. Obseruanda quidem, tum respectu fauoris fidei, tum etiam respectu personæ Romani Pontificis, generalem habentis iurisdictionem super hæreticam prauitatem, Fideiq. negotia, vt bene probat in casibus huic nō absimilibus, Gomes. super Regul. Cancell. quæst. 2. & eruditè Pegna in Director. Inquis. in sua disput. de authorit. extrauag. in fine operis impressa sub num. 14.

XXII.

Edita Anno 1574.

Qva publicè vtilia, & decora, & infra, pagina 387. Bullar.

COMPENDIVM.

Vtilitati publicæ, ornatuiq. Almæ Vrbis hic Pontifex intentus narrat, Pium V. constitutiones ad ornatum dictæ Vrbis editas à Sixto iiij. Leone X. & Pio iiij. tanquam correctorias iuris communis ad eius viam reduxisse; Et proinde S. P. Q. R. pro dictæ reductionis antiquatione ornatui Vrbis admodum necessaria institisse, §.1. Hic ideò Pont. omnibus constitutionibus antedictis abrogatis, circa ea, quę respiciunt hanc suam sanctionem, statuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Camerarium, & Magistros Viarum cogere posse Dominos domorum ad vias, & loca publica aptanda, §.2. Loca vacua clauden. §.3. Aedificantibus propinquum murum concedendum, §.4. Vicinos contignis domibus adiungen. §.5. Vicinos ad venden. ædificantibus, domos locari solitas, aucto pretio ad 12. pro 100. vel à Dominis inhabitaras aucto pretio ad 20. §.6. Et etiam vicinis quorum domus pro Vrbis ornatu diruta sunt, §.7. Statuit quoque volentes spontè domos vendere, vicinis, & Inquilinis, intimare debere, §.8. Vicinos autem ædificare volentes, cęteris præferri, §.9. Simulantes autem huiusmodi venditiones, coerceri, §.10. Inquilinos post dictos vicinos ad retractum admitti, §.11. Declarat insuper, quis vicinus in concursu præferatur, §.12. Et ædificantes in re emphyteotica quid agere debeant, §.13. Extendit hanc Bullam etiam ad prædia rustica infra tria ab Vrbe milliaria, §.14. Decernit, quòd prædiola alijs vicinis vendantur, §.15. Extendit hanc sanctionem, etiam ad bona locorum Piorum, aut fideicommisso subiectorum, §.16. Formam dat Camerario, & Magistris proceden. contra vendere recusantes in casibus prædictis, §.17. Et quando quis non recusat, §.18. Et præscribendi modum, & terminum ad ædifican. §.19. & 20. Pœnarum applicatio locis Pijs, §.21. Summaria datur iurisdictio in prædictis, §.22.

Schol. primum.

Quæro. Domus semel locata, dicitur ne locari solita, vt dicitur in §.6.

RESP. Affirmatiuam sententiam probat Bald. de Iure Prothom. §.5. in 4. notab. versic. Super qua. latè Gabr. in tit. de Locar. conclus. 1. vbi hanc opinionem veriorem numero 4. & iti seqq. communiter teneri probat.

Schol. secundum.

Quæro. An hæc Bulla retractus locum habeat in locatione, vel potius venditione domus ad vitam, qui contractus in Vrbe frequens est?

RESP. Affirmatiua sententia verissima est, quia venditio temporalis est vera, & propria venditio, vt renoit Rota coram Millino in vna Romana Retractus Palatij 19. Nouembris 1604. vbi dicitur, hoc idem Rotam prius tenuisse coram Seraphino in vna Romana Retractus 26. Februarij 1590.

XXIII.

Edita Anno 1574.

Cvpientes vniuersos, & infra, pagina 391. Bullarij.

COMPENDIVM.

Doctores Romanos ex parte, & auo Romæ natis, maiores ann. 22. in publico Studio Almæ Vrbis, in quacumque facultate publicè legere volentes, statim præuio examine vnius Lectoris cum salario scutorum 25. pro quolibet anno admitti decernit, §.1. Et ita seruari præcipit, §.2. Quibuscumquè non obstantibus, §.3.

Schol. primum.

Quæro. Horum filiorum appellatione, de qua in §.1. veniunt adoptiui?

RESP. Venire arbitror, eo quòd agitur de materia fauorabili, nempè de bonarum artium cognitione, & honorifico calcare ad virtutem, vt in l. Adoptiuum. §. Patronū notat per illum text. Bald. num. 1. Castr. nu 2. Ascan. Clement. de Patr. potest. cap. 5. sub num. 10. vbi hanc limitationem, ad regulam, quòd filij adoptiui propriè filij non dicuntur affert.

Schol secundum.

Quæro. Nati in suburbijs, & continentibus sint ne propriè nati in Vrbe, de quibus in §.1.

RESP. Ita quidem, ad texr. in d. l. Aedificia 139. & melius in l. Qui in continentibus 147. ff. de Verbor. signific. Panorm. consi. 52. lib. 2. nu. 5. vers. Quoad secundum.

XXIV.

Edita Anno 1574.

Cvm ab ipso Pontificatus nostri principio, & infra pag. 391. Bullar.

COMPENDIVM.

Bonifatius viij. in sua const. 1. supra pag. 34. t. 1. excommunicauit dantes, aut promittentes quicquam magnum, vel paruum pro gratia, vel iustitia obtinenda apud Sedem Apostolicam, §.1. Eam constitutionem iste Pontif. confirmat, & ad fautores extendit, §.2. Additq; pœnam priuationis officiorum, & beneficiorum, & inhabilitationis, & perpetuæ infamiæ, necnon alterius pœnę pro rei qualitate exigendæ, §.3. Reuelantibus autem impunitatem promittit, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Eam pœnam pro rei qualitate exigendam, vt in §.3. in fin. an quis sub pœna peccati mortalis eas pati teneatur, nullo Iudicis præcedente præcepto, vel monitione?

RESP. Non, ex recepta per omnes sententia quòd nemo teneatur in foro conscientiæ subire pœnam à Iudice imponendam, donec imponatur, vt ex S. Thoma 2. 2. quæst.

quæſt.61. art.3. ſic tenet Nauar. in Comment. huius Bullæ ſub num.44.

Schol. ſecundum.

Quæro. Dans aliquid, vel promittens Iudici, vt faciat aliquod arbitrarium, vt putà dare maiorem, vel minorem dilationem, vel quid ſimile an incidat in pœnas huius conſtitutionis?

R E S P. Incidit, quia licèt fortaſſis negari poſſet id dari pro iuſtitia facien. non tamen negari poteſt, quin detur pro iuſtitia, vel gratia Nauar. vbi ſupra num.17. & comprobat num.26. in fine.

X X V.

Edita Anno 1575.

CVpientes pro noſtri officij cura, & infra, pagina 392. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Subcollectoribus, & Commiſſarijs in locis Regni Neapolis à Sedis Apoſtolicæ illic Nuncio deputatis dat priuilegium, quòd cauſæ delictorum, & exceſſuum ab eis commiſſorum, ab ipſo Nuncio ſolum, non autem ab alijs Iudicibus, etiam locorum Ordinarijs cognoſcantur, & decidantur, donec ipſi vixerint, etiam poſt dimiſſum officium, §.1. Et ita, & non aliter iudicari debet, §.2. Eidem Nuncio dat facultatem, vt contradictores omnes quamuis Epiſcopali, & Archiepiſcopali dignitate fungentes, etiam appellatione poſtpoſita compeſcat, §.3. Quibuſcumque non obſtantibus, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Subcollectorum facultas, ſi non ſit expreſsè data ad confitendum debitum Cameræ Apoſtolicę poterint ne ipſi confiteri, & quietare de his, de quibus non apparet eis facta ſolutio?

R E S P. Poterunt, quia non præſumitur de pretio pro Camera, habuiſſe fidem, quam habere non poteſt argum. rex. in l. Si procurator. 5. ff. de Iure fiſci. Bald. in l. In contractibus 14.§. ſed quoniã. Cod. de non numer. pec. nu.3. & 4. Bellenc. de Carit. ſubſid. quæſt.104. num.2. vbi ex eod. Bald. limitat quando Subcollector non eſſet ſoluendo, aliàs non præiudicaret Cameræ, & debuit curare debitor, quòd ille non habebat authoritatem habendi fidem de pretio.

Schol. ſecundum.

Quæro. Nom cogitur Subcollector facere inſtromenta liberationis de parte decimæ exactæ?

R E S P. Cogitur, Bald. in l. Sicut datam.26. Cod. de liberal. cauſ. nu.1. & 2. vltra Speculat. Bart. & alios, quos citat antedictus Bellenc. quæſt.103. num.1.

X X V I.

Edita Anno 1575.

DVm rectæ adminiſtrandæ vbique Iuſtitiæ, & infra, pag.392.

C O M P E N D I V M.

Vt in Curia de Sabellis in Vrbe (cuius Bernardino de Sabellis Mareſcallatum Sedes Apoſtolica commiſit) ad iuſti, rectique formam directa, ſine ſorde cauſæ peragantur, nonnulla, quorum aliqua pridem à Iulio ij. & Pio iiij. prudenter conſtituta, in vſu non erant, deinceps obſeruentur, decernit Iudicem gratuitò à Mareſcallo dictæ Curiæ deputati, itaut neque Iudici quicquam dare, neque Mareſcallo accipere liceat, §.1. & 2. Et deputationem ad annum fieri, & ex cauſa ad alium annum poſſe prorogari, §.3. Syndicatui prǽuia cautione Iudicem ſtare iubet, §.4. Commentarienſiſq Capitanei, & Executoris dictæ Curiæ officia, gratis dari, §.5. Duos tantum Notarios eſſe declarat, §.6. Cauſas, in quibus ſtatuta eſt pœna corporis afflictiua, Mareſcallus, & Iudex non cognoſcant. §.7. Sed de alijs minoribus delictis poſſint, niſi alibi ſit præuentum, §.8. Saluum conductum, aut ſignificationem reis (præterquam ſub cautione relaxatis,) non cedat, §.9. Fiſcus in cauſis criminalibus dictæ Curiæ ſemper citetur, §.10. Sententię omnes, & pœnarum ſolutiones, in libro adnotentur, §.11. Appellatio ad Aud. Cam. in cauſis ciuilibus conceditur, §.12. Tributum à Mulieribus inhoneſtis exigi interdicit, §.13. Contrarijsq. derogat, §.14.

Schol. primum.

Quæro. Vnde eſt, quòd etiam ad Gubernatorem Vrbis hodie datur appellatio, licèt hic in §.12. ad Aud. Cameræ ſit conceſſa?

R E S P. Quia ſic ante hanc Bullam vetuſta aderat conſuetudo, de qua teſtatur Veſtr. in Pract. Roman. Cur. lib.2. num.3. & Scaccia de Iudic. lib.1. cap.28. & proinde adhuc ſeruatur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quo tempore hoc tributum, de quo in §.13. à Meretricibus exigi cęptum fuit?

R E S P. A tanto tempore citra, vt nullo apparente titulo, iure iamdiu præſcripto etiam ab inuitis exigebatur, ex ea forſan taxa, quam pro qualitate meretricis, Iudex ille arbitrabatur, vt inquit Veſtr. in loco cit. quod iniquum certe videbatur.

X X V I I.

Edita Anno 1575.

QVoniam noſtro, & infra, pagina 393. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Prohibet Religioſis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia, ab eius Prælatis ad ſæcularia tribunalia appellare, vel illa quoquomodo adire, ſed ad eius Generalem, & Protectorem, aut Papam recurrere, ſicut antiquitus conſuetum fuit, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, priuationis perpetuæ officiorum, inhabilitatis ad illa, & alia eiuſdem Ordinis officia, vocisq. tàm actiuæ, quàm paſſiuæ, §.1. & 2. Fautores, & Conſultores eiſdẽ pœnis alligat, §.3. Et ſub eiſdem pœnis prohibet omnibus quoquomodo reſiſtere Commiſſarijs à Generali miſſis pro viſitandis Ordinis Prouincijs, §.3. Quorum Commiſſariorum deſtinationem abſolutè Generali committit, §.5. Statotaq. ab illis, Miniſtros Prouinciales abſque licentia Generalis immutare interdicit, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba §.1. *Sicut antiquitus conſuetum fuit*, important ne conditionem, ſi ita fuerit obſeruatum; vel exponuntur cauſatiuè, id eſt, quia ſic fuit antiquitus obſeruatum?

R E S P. Cauſatiuè, quia in legibus, in quibus certum aliquid diſponitur, non eſt credeo. per verbum *ſicut, &c.* poſtea conditionem diſpoſitioni appoſuiſſe, ſed eius cauſam Bartan extrauag. Ad reprimend. in verb. Prout. Dec. in l. Edita.3. Cod. de Eden. nom.6. plenè Felyn. in capit.2. de Reſcript. num.10. Rota in deciſ. Bubali in vna Calaguritana Iuriſdictionis 13. Febr. 1587.

Schol. ſecundum.

Quæro. Recurrere in §.6. quid propriè ſignificat?

R E S P. Hæc habet Vgolin. in ſuis Comment. ad Bullam Cœnæ Domini, ſiue de Cenſur. par.2. cap.12. num.6. Recurrere nihil aliud ſignificat, quam confugere, & ire quod verbum ob id vſurpatur, celeritatem ſignificans eorum, qui lites habent, quamprimum eas expediendi: Et hoc recurrere contingere poteſt tàm appellando, quàm lites inchoando.

X X V I I I.

Edita Anno 1575. & 1581.

VBi gratiæ, & infra, pag. 393. *Item*. Dubijs, quę, & infra, pag. 394. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Reuocat quibuſcumque Mulieribus indulta ingrediendi Monaſteria Monialium, & Virorum cuiuſcumque Ordinis conceſſa, & licentias quibuſcumque Viris ingrediendi Monaſteria Monialium, ex quibuſuis cauſis datas, §.1. Illa ingredientibus prætextu licentiarum pœnam excommu-

municationis ipso facto incurrendæ, & Papæ reseruatæ imponit, §.2. Abbatissis, Abbatibus, Conuentibus, & alijs Monasteriorum vtriusque sexus Superioribus, vltra dictā pęnam excommunicationis, infligit etiam pœnā priuationis beneficiorum, & officiorum, & inhabilitatis ad illa, & alijs, si quemquam prętextu huiusmodi licentiarū, & facultatum illa ingredi faciant, §.3. Omnibus Ecclesiasticis, & sęcularibus, & regularibus prohibet, ne prætextu licentiarū ab his, quibus illa concedendi in casibus necessarijs tātùm ex decreto Concilij Tridentini tribuitur, ne Monasteria Monialium pro libito, sed necessitatibus vrgentibus dumtaxat ingredi, ne vè moniales sub eisdem pęnis illos admittere præsumant, §.4. Prælatis omnibus, quibus incumbit cura monasteriorum monialium, pręcipit, vt facultate ex officio sibi illa ingrediendi tributa, ita demum vti possint, si id faciant in casibus necessarijs, & à paucis, ijsq; senioribus, & religiosis personis comitati, §.1. const. subseq. His, qui contrafecerint, nonnullas pęnas imponit, §.2. Contrarijsq. omnibus derogat, §.7. Transumptisq; credi decernit, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Cum in §.2. pęnæ imponantur Monialibus, quæ vigore licentiarum ingrediuntur Monasteria, num idem dicen. de ingredientibus sine tali facultate?

R E S P. Negatiuam sententiā tenet Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 1. quæst. 47. art. 1. eo quòd excommunicationes non extenduntur de casu ad casum etiam ex maioritate rationis, & ad hoc nonnulla allegat, sed contrariū affirmat Nauar. de Regular. Comm. 4. sub nu. 62. vers. Adde his, primo eo vtens validissimo argumento, quòd Pius Quintus eamdem excommunicationem, contra dictas mulieres, prætextu indulti, ingredientes, emanatam in sua constit. 20. de qua sup. pag. 39. statim in adiuncta ei constit. §.2 declarauit, eadem ligare pęna mulieres ingredientes absq; tali facultate. Et ideo Genitor meus cautè loquutus est, dum firmauit rubricam illarum Constitutionū contra mulieres, etiam prætextu licentiæ, ingredientes, sentiēs, casum ingrediendi absque licentia, magis esse dubitalem. Et ita Nauar. ibid. in sacra Pęnitentiaria seruari subdit, idemque ex Catechis. Neapolit. inquir Quarant. in sua Summa quarumdam Bullarum in verb. monasteria pag. mihi 306. in fine, & latius pag. 345. vbi Roderic. & Franc. Suar. refellit ex vi obseruantiæ Pęnitentiariæ, quæ interpretationem supradictam sufficienter operatur.

Schol. secundum.

Quæro. Hæc ergo obseruantia Pœnitentiariæ, de qua mox verba fecisti, id operatur?

R E S P. Proculdubio, quinimò pro lege seruatur, vt de stylo Cancellarię loquens tenuit Rota decis. 55. de concess. Prębend. in antiq. nu. 2. & Curia Romana tamquā aliarum mater, & magistra est ab omnibus sequenda Gonzal. supra 8. Reg. Cancell. de mensib. & alternat. gl. 6. n. 211. maximè cum agatur de interpretatione sanctionis Apostolicæ vt sic Rota in decis. Lancell. 196. num. 2. in Recentior. par. 1.

X X I X.

Edita Anno 1575.

C Vm officio Pastorali incumbat, & infra, pagina 395. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Collegium Medicorum, & Collegium Aromatariorum Vrbis concorditer statuerunt, quòd absque approbatione Protomedici, eiusq. Consiliariorum, atque Consulum Aromatariorum, non exerceatur Ars Aromataria sub pęna ducat. 25. Et de ea re Protomedicus, cum Consiliarijs in suo tribunali, cum consilio Consulū Aromatariorū inquirant, §.3. Approbationisq. patentes iuxta solitū fiant, §.4. Composita ex simplicibus medicamenta Aromatarij non conficiant absque iussu Protomedici, præsente vno ex Medicis Collegij, & contra transgressores inquiratur, vt supra, §.5. Protomedicus, vt visitet Aromatarias, §.6. Aromatarij quas res venenatas, aut medicamēta vendere, aut dare possint, §.7. & 8. Librum habeant Receptarum, §.9. Quæ ad medicinā pertinent, asseruare debeant, §.10. Res medicinales à Medicis præscriptas, vt ad pondus appendere teneantur, §.11. Rerum Aromatariæ pretium quotānis Protomedicus cum Consiliarijs, & Consules Aromatariorū, coram Cameræ Apostolicæ Pręsidentibus constituant, §.12. Inter Medicos, Chirurgos, & Aromatarios Societas prohibetur sub pęna ducat. 25. §. 13. Pretium rerum Aromatarię, vt taxandum, §.14. Medicinæ solum ab Aromatarijs administrentur sub eadem pęna §.15. Aromatariæ, vt à Protomedico visitandæ, §.16 Libris Aromatariorū quæ fides danda, §.17. Iurisdictio Consulum Aromatariorum sit contra omnes etiam Ecclesiasticos, quoad artem Aromatariæ spectantia, §.18. Dilationes contra eos non detior eorum debitoribus, §.19. Aromatariæ extra Vrbem, vt visitandæ, & pœnę applicandæ, §.20. & seqq. Quæ in transgressionibus prędictorum Capitulorum coercitio sit, §.25. Aromatarij cum Medicis, vt conuenire possint super consilio adhibendo, §.27. Collegia hæc Papæ supplicant pro prædictorum approbatione, §.28. Qui successiuè approbat, §.29. Et ita, & non aliter iudicari, vel immutari præcipit, §.30. & seq. Quibuscumque non obstan. §. 32.

Schol. primum.

Quæro. Quis omnium primus medicinam inuenit?

R E S P. Non liquidò constat, sed quisquis is fuit, ipsius certè initium fuit obseruantia: Homines enim cum viderent alia salubria, & alia insalubria, ex obseruatione eorum artem medicinæ effecerunt, vt ex Aristot. in Proęm. Metaphys. dixit Bald. in cons. 237. lib. 2. num. 1. in fine, & post alios Tiraq. de Nobilit. cap. 31. num. 37.

Schol. secundum.

Quæro. Aromatarij, dum ex simplicibus composita cōficiunt, vt in §.5. num aliquid corruptum cum incorrupto valent commiscere?

R E S P. Contrarietas videtur inter l.1. Cod. de Cond. in public. horr. lib. 10. & l.2. Cod. de Murilegul. eod. lib. & Bart. & alios ibi scribb. de quib. agit Hieron Preudell. in tract. de Peste vers. Dum diximus. Sed ex lectura dd. ll. clara est earum conciliatio, vt negatiua sententia vera sit, si commixtio est damnosa, & secus è contra.

X X X.

R Omani Pontificis prouidentiæ, & infra, pagina 396. Bullar.

Edita Anno 1575.

C O M P E N D I V M.

Pius V. facultatem testandi Militum S. Iacobi de Spatha, de Calatraua, & Alcantara reuocauit, in constit. 73. pagina 56. Et hic Pontifex Philippi Hispaniarum Regis precibus, dictam facultatem reintegrat, §.2. & 3. Eorumq. testamenta, quorum causa integra est, plenarium effectū sortiri decernit, §.4. Decretum irritans apponit, §.5. Cōtrarijs derogat, §.6. Transumptis huius Bullæ credi mandat, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Isti Milites de Calatraua, & Alcantara tenentur ne ad tria vota, sicut alij religiosi?

R E S P. Tenentur, vt dixit Rota in decis. Blanch. 266. par. 2. Diuers. in princ. & Pur. decis. 217. lib. 3. nu. 1. in suis vltimò impressis.

Schol. secundum.

Quæro. Militia S. Iacobi quando, & quare instituta?

RESPON. Tempore Regis Ramyri primi huius nominis Hispaniarum Regis, qui vicit manu exigua, ingētes Sarracęnorum copias, ope DEI, & auxilio B. Iacobi, qui in eo prælio visus est, equo candido, vexillo niueo, & in eo Cruce rubea conspicuus est pugnans, vt post alios ita scribit Roderic. tom. 1. Quæstion. Regular. quęst. 6. artic. 5. & Petrus Greg. Tholos. in Syntagm. Iur. part. 2. lib. 15. capit. 35. num. 8.

Ex-

Edita Anno 1575.

XXXI.

EXposcit Pastoralis officij cura, & infra pagina 398. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vicarijs generalibus Prouincialibus, & Ministris Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum ad Diuinum Officium peragendum necessariam facultatem benedicendi vasa, vestimenta, & ornamenta Ecclesiastica (quibus tamen sacrum Chrisma non applicatur) dedisse refert, §. 1. Et eamdem facultatem eisdem Prælatis dicti Ordinis in Regnis Galliarum communicat, §. 2. Contrarijsq; derogat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quo ritu benedictio eiusmodi fieri debet?

RESP. Habes in Rituali Romano pag. 259. & seqq. & iussu fel. record. Pauli V. anno 1614. edito, vt infra in eius constit. 85. quod inuiolatè ibidem statuit obseruari.

Schol. secundum.

Quæro. Circumscripto eiusmodi indulto, hæc benedictio de iure ad quem spectabat?

RESP. Ad Episcopum, iuxta communem DD. sententiam, de qua post alios testatur Roderic. de quæstion. Regular. tom. 1. quæst. 19. artic. 1. Meminit propterea, multis Ordinibus Regularibus diuersâ ad hoc priuilegia elargita fuisse, & ante eum Collector Compendij priuileg. Fratr. Minor. in verb. Benedictio pagina 93. & Capuccin. ibid. in adnot.

Edita Anno 1575.

XXXII.

EX Apostolicæ Sedis, in qua meritis, & infra, pagina 398. Bullarij.

COMPENDIVM.

Militiæ S. Iacobi de Spatha, & de Auis Regni Portugalliæ, gaudent omnibus priuilegijs, Militiarum eiusdem Sancti Iacobi, & de Calatraua, & Alcantara, in Regnis Castellæ, & Legionis institutarum, §. 1. Dubitatum fuit, an è conuerso priuilegia à Pio V. istis Militijs concessa, illis quoque suffragentur, §. 2. Hic ideo Pont. eisdem ea communicat, §. 5. Contrarijs derogat, §. 9. Transumptis credi iubet. §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore, & in quo loco Militia de Auis instituta?

RESP. Anno 1147. hæc Militia exordium habuit in Regno Portugalliæ, tempore Alphonsi Henrici primi Lusitaniæ Regis, sic scribit Rod. Lusitan. tom. 1. Quæst. Regul. quæst. 6. art. 6. in princ.

Schol. secundum.

Quæro. Quam Regulam hi Milites de Auis profitêtur?

RESP. Regulam S. Benedicti, iussu Innocen. III. qui anno 4. sui Pont. ipsum Ordinem confirmauit teste Rodenc. vbi supra, vbi enunciat communicationem priuilegiorum Greg. XIII. anno Domini 1580. & sui Pontificatus 4. Qui tamen corrigendus est ex hac Bulla, quæ illa est, quæ hanc habet communionem, & est Greg. XIII. sub anno sui Pontificatus 4. Sed de hac Militia de Auis, vide quemdam tractatum plenè omnia complectentem F. Francisci de Auetal. impressum in fine dicti primi Tomi Quæstion. Regul. præcit. Roderic.

Edita Anno ...

XXXIII.

SAnctissimus D. N. D. Gregorius, & infra pagina 400. Bullarij.

COMPENDIVM.

Professionem Fidei à Græcis emittendam statuit super Symbolo, *Credo in vnum Deum*, §. 1. Explicatione processionis à Patre, & Filio, §. 2. Confectione Corporis CHRISTI in fermentato pane triticeo, §. 3. Animarum beatitudine, vel damnatione, §. 3. Purgatorio, suffragijsque pro earum liberatione, §. 4. Primatu Papæ, §. 5. Receptione Canonum, & decretorum Concilij Tridentini, §. 6. Traditionumque Apostolicarum, & Ecclesiasticarum, obseruationumque, & constitutionum, §. 7. Sensus Matris Ecclesiæ circa sensum Sacræ Scripturæ, §. 8. Septemque Sacramentorum nouæ Legis, §. 9. Et rituum approbatorum Ecclesiæ in eorumdem Sacramentorum solemni administratione, §. 10. Super omnibus, quæ de peccato originali, & de iustificatione in Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, §. 11. Sacrificio propitiatorio pro viuis, atque defunctis, & conuersione reali in corpus, & sanguinem CHRISTI, §. 12. Et sub altera specie totum, atque integrum CHRISTVM sumi, verumq; Sacramentum, §. 13. Purgatorium verum esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari, Sanctosq; vna cum CHRISTO regnantes venerari esse atque inuocari. §. 14. Imagines CHRISTI, Beatæ MARIAE, & aliorum Sanctorum haberi, atque venerari, §. 15. Indulgentiarum potestatem à CHRISTO in Ecclesia fuisse relictam, illarumque vsum Christiano Populo maximè salutarem esse, §. 16. Sanctam Apostolicam Romanam Ecclesiarum omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosci, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, & CHRISTI Vicario veram obedientiam promitti, ac iurari, §. 17. Et cætera etiam à sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, & præcipuè à Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipi, atque profiteri, & contraria omnia, & schismata, atque hæreses reiectas, & anathematizatas reijci, damnari, & abiurari, §. 18.

Schol. primum.

Quæro. Circumscripto text. §. 3. peccat ne Græcus celebrando in azimo in eius terra?

RESP. Peccare ex S. Thom. & Panorm. scribit Nauar. consil. 1. lib. 1. de Constit. quæst. 31. idem dicens de Latino, celebrante in sua terra in pane fermentato.

Schol. secundum.

Quæro. Sanctorum Imagines, quas venerari dicitur in §. 15. quo pacto depingendæ?

RESP. Conc. Trid. sess. 25. post decretum de Purgator. multa statuit desuper aduertenda, & luculenter quamplura explicat Paleott. in tract. de Imaginib. lib. 4. quæ hoc vno Scholio nec comprehendi, neque indicari possunt.

Edita Anno 1576.

XXXIV.

EX incumbenti nobis, & infra, pagina 401. Bullarij.

COMPENDIVM.

Fratribus, & Monialibus Ordinis B. MARIAE de Monte Carmelo, dat facultatem Monasteriorum, & locorum dicti Ordinis bona etiam stabilia alienandi, vendendi, & permutandi, pro pactis, modis, pretijs, & formis inter partes conueniendis, dummodo hæc omnia fiant pro commoditate, vel vtilitate ipsorum Monasteriorum, & Domorum, & accedat consensus duarum partium ex tribus partibus Fratrum, & Monialium illius Monasterij, & Domus, cuius dicta bona erunt, §. 1. & 3. Ita tamen quòd loco consensus Sedis Apostolicæ, Prior Generalis dicti Ordinis re diligenter examinata, & euidenter vtili comprobata, prædicta ratificet, §. 3. Et aliter facti contractus nulli sint, & donec Prior ipse non ratificauerit, possessio remaneat penès alienantes, §. 3. Et quoad vtilitatem, & commoditatem prædictam assertioni duarum partium ex tribus, vt supra, postquam à dicto Priore tunc approbata, vel deinde ratificata fuerit, à Papa confirmata censetur, §. 4. Executores deputat, §. 5. Contrarijs derogat, §. 6. Et in casu alienationis stabilium ex causa maioris vtilitatis, aut alterius suadentis rationis, decernit quòd alienationes bonorum ad Monasteria, & Domos spectantium non antea fiant, quàm cum reperta fuerint illis vtiliora, in quibus pretium rerum alienatarum vnico consensu rea-

realiter, & cum effectu inuestiantur, & conuertantur, §.5. Transumptisq. fides detur, §.8.

Schol. primum.

Quæro. Vt duæ ex tribus partibus consensisse dicantur, vt in §.2. quo pacto constabit?

RESP. Ex eorum numero, quos omnes conuocatos fuisse præsumitur in Conuentu, si de contrario non appareat Rota in decis. Seraphin. 1080. num. 5. in postremò impressis.

Schol. secundum.

Quæro. Post Papæ confirmationem de euidenti vtilitate, de qua in §.4. num contrarium probari poterit?

RESP. Ita sentit Rota in alia Seraphin. decis. 443. in fine.

XXXV.

Edita Anno 1576.

INter cæteras Pastoralis, & infra, pagina 402. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præfecto Annonæ Vrbis, & locorum Status Ecclesiastici mediatè, & immediatè subiectorum, dat authoritatem, frumenta, & legumina cuiuscumque generis, & speciei, describendi, & quascumque personas etiam Ducalis, & Cardinalatus, aut maioris gradus honore fulgentes, cogendi ad illam, quæ tempore publicandorum Edictorum ipsos habere contigerit quantitatem, etiam medio iuramento denuncian. & Cardinali S.R.E. Camerario consignandam, §.1. & 2. Datq; eidem facultatem coercen. prohibentes absque eius licentia, de loco ad locum, etiam Status Ecclesiastici, illa transportari, §.3. Fraudes in prædictis committentes, vel aliàs delinquentes, quibusuis etiam vltimi supplicij pœnis puniendi, vel desuper concordandi, & pœnas remittendi, §.4. Quascumque frumentorum & leguminum quantitates cogendi, & emendi, & quascumque desuper conuentiones faciendi, §.5. Commissarios quoscũque ad eiusmodi negotium deputandi, deputatos reuocandi, salaria declarandi, & omnes pecuniarum quantitates persolui mandandi, Ministros ad rationes, & computa redden. & reliqua restituen. compellendi, §.6. Omniaque ad eiusmodi negotium quomodolibet pertinentia, gerendi, edicta, & proclamata faciendi, quæque omnes Clerici Reuer. Cameræ Apostolicæ, dum simul congregati eamdem Cameram repræsentant, facere possunt, gerendi: Vnũ quoque, vel plures loco sui cum simili, vel limitata potestate substituen. ac eius arbitrio remouen. §.7. Decernit quòd omnes Officiales, ad quos spectabit, ipsi Præfecto faueant, assistant, & eius mandata exequi curent, §.8. Contrarijs omnibus derogat, §.9.

Schol. primum.

Quæro. De loco ad locum transportatio frumentorum, de qua in §.4. cur considerata?

RESP. Vna ex multis mihi occurrit ratio, nempè, vt prius incolis fœcunditas frumentorum propria seruiat, quàm peregrinis commercijs studiosa cupiditas exhauriat neque frumento prius peregrinas naues onerari ad aliena litora transituras, quàm expensæ publicæ ad optatam copiam possint pertinere hæc Cassiod. lib. 4. Variat. Epistolar. 34. & consimile dictum scribit etiam lib. 2. epistol. 12. & de his meminit Petr. Greg. lib. 36. Syntagm. iur. cap. 30. numero 8.

Schol. secundum.

Quæro. Si tempore penuriç esset imponen. collecta pro emendo frumento, num diuites ad eam tenerentur, etiamsi frumento non indigeant?

RESP. Teneri probat tex. in l. Vnica. Cod. Vt nemini lic. in empt. lib. 10. & Bart. ibid. num. 3. & 4. inquit eiusmodi collectæ onus esse patrimoniale, non autem personale, ideoq; diuites etiam ad hoc compelli. Et ille qui plus habet, plus soluat. Sicut à contrario si imponeretur onus emendi frumentum, quod Camera, vel Communitas conseruare non potest, pari modo qui plus habet, plus soluere compellitur.

XXXVI.

Edita Anno 1576.

QVæcumque sacrarum Religionum, & infra, pag. 404. Bullar.

COMPENDIVM.

Religiosos Societatis IESV vbique locorum existentes eximit ab interessentia publicarum supplicationum, seu precum, aut processionum, nisi vbi propter hæreticorum, gentilium conuersionem, aut aliàs expediens esse generalis illius Præpositus iudicaret, §.1. & seqq. Inhibetque Prçlatis, alijsq; omnibus, ne illos desuper audeant molestare, §.4. Executores deputat, §.5. Contrarijs derogat, §.6. Transumptisq. fidem dari præcipit, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Processiones eiusmodi cur, & quando fiunt, & ad quas Ecclesias dirigendæ?

RESP. Arbitrio Ordinarij remittitur, nempe si indicerentur pro bono publico, vel aliàs sint solitæ, vt in Festo Sanctissimi Corporis CHRISTI, in Litanijs Maioribus, in Iubileis, in Rogationibus, in Aduentu noui Legati, vel Episcopi, aut imminente peste, vel alio flagello, Panormit. in cap. Nimis 17. de Excess. Prælat. nu. 3. & 5. & Prax. Curiæ Neapol. cap. 64. num. 2.

Schol. secundum.

Quæro. Multa, quæ in huiusmodi processionibus prçcaueri frequẽter desideratur, quis me opportunè edocebit?

RESP. Luculenter quidem tradit Nauar. de Orat. & Hor. Canon. cap. 5. num. 26. & seqq.

XXXVII.

Edita Anno 1576.

OFficij nostri partes, & infra, pagina 405. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia fertur nonnullos in vim priuilegiorum Cruciatæ Sanctæ, à Sede Apostolica concessorum, eligen. Confessores, qui à nõnullis excessibus, & criminibus absoluere possunt, à lapsu, & incursu in hæresim absoluen. authoritatem saltem in foro conscientiæ habere, hic Pont. declarat eiusmodi facultatem nequaquam concessam fuisse vel esse censeri, aut dictis Cõfessoribus absolutionem impartiri licuisse, neque in posterum licere, & absolutiones iam fortasse impensas nemini suffragari potuisse, §.1. & 2. Et vt Christifideles commodius huius declarationis notitiam habere possint, Commissario generali dictæ Cruciatæ licentiam tribuit illam de Latino sermone in vulgarem iuxta linguam Prouinciæ reducen. vbi publicatio dictæ Cruciatæ facienda erit, vnà cum facultatibus dictæ Cruciatæ, & per modũ exceptionis in suo loco, sine ad partem imprimi posse quibuscumque non obstan. §.3. Transumptis fidem dari decernit, §.4.

Schol. primum.

Quæro. In Bulla Cruciatæ, quã impressam vidi in Opere Sebastiani à Costa super explicatione dictæ Bullæ expressè est excepta facultas absoluen. ab hæresi. Vnde ergo ortum est dubium, de quo in §.1.?

RESP. Fortasse hoc tempore Gregor. XIII. in Bulla Cruciatæ eiusmodi exceptio de hæresi non continebatur, quia dicta Bulla Cruciatæ impressa in dicto opere, postmodum edita fuit per Greg. XIIII. anno 1591. die 6. Aprilis, vt innuit Gutierez Canon. Quçst. lib. 1. cap. 13. num. 28. dicens, quòd Bulla modernæ Cruciatæ absolutionis ab hçresi prohibitionem continet. Quinimo alios excipit casus, nempè conspirationis in personam, & statum Summi Pontificis, ac falsificationis literarum Apostolicarum, ac supplicationum, cæterisque alijs casibus, qui vndecimo, incipiente, Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, necnon duodecimo, decimotertio, & quartodecimo capitulis, siue articulis literarum Cœnæ Domini scripti sunt, & per te videri poterunt hic infra in huius Greg. const. 81.

Schol.

Schol. secundum.

Quaero. Hæc prohibitio absoluen. à lapsu, & incursu hæresis (quatenus etiam hoc tempore adesset) intelligeretur ne etiam de hæresi purè mentali?

RESP. Non, quia poré mentalis hæresis non est punibilis ab Ecclesia in foro exteriori, & non eget absolutione in dicto foro, nec subiacet iudicio fori exterioris Ecclesiæ, iuxta constantem, receptamq. Theologorum sententiam, de qua (relatis alijs) testatur Ioan. Simanc. de Cathol. Inst. cap. 42. num. 3. & seqq. & meminit Gutier. vbi sup.

XXXVIII.

Edita Anno 1576.

PAstoris æterni, qui non vult mortem, & infra, pag. 405. Bullar.

COMPENDIVM.

Enarrat anno 1264. in Vrbe institutam fuisse à Patritijs Romanis Societatem Recommendatorum B. MARIAE Virginis primò, & deinde Confalonis nuncupatam, à diuersisq; Romanis Pontificibus præclaris priuilegijs, & indulgentijs decoratam, §. 1. Et S. Bonauenturam certã orandi formam, seu Coronam præscriptam ad honorem eiusdẽ B. MARIAE statuisse, §. 2. Fratribusq. sic orantibus plures concessas indulgentias, §. 3. Elargitur eisdem nonnullas indulgentias, vt ardentius recitationi dictæ Coronæ, alijsq. pijs operibus studeant.

Schol. primum.

Quaero. Quis Pontifex hanc Societatem primò approbauit?

RESP. Eius approbationem ante Clem. IV. non inueni, sed ipse Clemens die 25. Nouemb. 1267. in Ciuitate Viterbij quasdam edidit literas Apostolicas, in quibus piam quorundam Romanorum ter in anno Sacerdotibus eorũ peccata confitendi, & cõmunicandi ordinationem cõmendauit, & centum dies de iniunctis sibi pœnitentijs, pro qualibet vice relaxauit, vt in vetusto Codice manuscripto vidi, in authentico eiusdem Societatis; Inde intelligimus, quòd antea sub Pontificatu Vrbani IV. ad Pontificatũ euectianno 1261. & anno 1264. in hac Bulla enunciato, vita functi, instituta fuerat hæc Societas, non autem sub Pontificatu Clem. IV. qui ad Pontificatum ascendit anno seq.

Schol. secundum.

Quaero. Quando hæc Societas primò Recommendatorum, & deinde Confalonis, nuncupari cepit?

RESP. Ex authenticis scripturis in archiuio huius Archiconfraternitatis habetur, ab ipso Societatis exordio Cõfratres Recommendatos B. MARIAE semper nuncupatos fuisse vsque ad diem 13. Augusti 1404. Et inde ad annum 1550. nihil certum inueni: Sed hoc anno Iul. III. in quodam priuilegio his Confratribus dato, liberandi vnum carceratum annis singulis in festo Assumptionis B. MARIAE, eos Confratres B. MARIAE appellauit, prout cęteri Pontt. postea semper denominarunt.

XXXIX.

Edita Anno 1577.

SAluatoris D.N. IESV CHRISTI qui caritas est, & infra, pag. 406. Bullar.

COMPENDIVM.

Refert vberes fructus Societatis IESV, §. 1. Confirmatamq; eam fuisse à Paulo III. & Iulio III. §. 2. & seq. Priuilegium à Pio IV. datum Societati, de ædificandis locis intra centum quadraginta cannas Ordinum Mendicãtium, §. 4. Et ab isto Pont. confirmatũ, §. 5. Et molestias desuper Societati fuisse illatas, §. 6. Reuocat ideo dictũ priuilegium Mendicantium, quoad Societatẽ, §. 8. Liberam noua loca vbique construendi facultatẽ ei tribuit, §. 9. Gratias, & priuilegia omnia Societatis confirmat, §. 10. Clausulas Bullæ præseruatiuas apponit, §. 11. Executores deputat, §. 12. Cõtrarijs omnib. derogat, §. 13. Transumptis credi iubet, §. 14.

Schol. primum.

Quaero. Requiritur saltem licentia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij?

RESP. Requiri videtur, quia sic decreuit Bonif. viij. in cap. 1. de Excess. Prælat. de quo hæc Bulla non loquitur, vt ibi Bonif. requirit. Sed tollitur omnis hæsitatio à Clemen. VIII. qui post Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. in fine in cõstit. 99. licentiam Ordinariorum necessariam esse duxit in construendis nouis Conuentibus.

Schol. secundum.

Quaero. Priuilegium Pij IV. de quo in §. 4. vbi perlegã?

RESP. In libro priuilegiorum Societatis, Romæ impresso anno 1587. pag. 73. quod priuilegiũ dedit ipse Pius die 13. Aprilis 1561. & Genitor illud omisit, cum hoc præstantius illo sit.

XL.

Edita Anno 1577.

IN Apostolicę dignitatis culmine, & infra, pagina 408. Bullar.

COMPENDIVM.

Protomedico, & Collegio Physicorum Almæ Vrbis dat iurisdictionẽ cogendi omnes etiam Medicos, & in publicis Vniuersitatibus doctoratos, (illis exceptis, qui in stationibus Medicorum, siue Collegijs, vel aliàs in exercitio Medicinæ probi, & periti communiter existimantur) ad se per Protomedicum, & duos alios de Collegio examinan. non repertosq. idoneos ab exercitio suspenden. aut eis, ne dictã artem, nisi cum præsentia, vel consilio alterius, vel aliorum medicorum idoneorum, & à dicto Protomedico, & duobus de Collegio huiusmodi approbatorum illarenus exercere audeant, nec debeant, prohiben. § 2. Contrauenientesque aut contradicentes, quasuis pęnas ipsi Collegio beneuisas, & arbitrio eiusdem Collegij, pijs vsibus applicandas, infligen. d. §. 2. Protomedicum, Collegium, eorumq. deputatos, vel deputandos super præmissis à quibuscumq; molestari non posse, & medicos non repertos, vt supra, idoneos, eisdem parere sub pœnis per eos imponen. decernit, §. 3. Officialibus omnibus præcipit quatenus Protomedico, & Collegio prædicto in præmissis faueant, §. 4. Cõtrarijs omnibus derogat, §. 5. Transumptis credi iubet, §. 6.

Schol. primum.

Quaero. Arbitrium Collegij circa pœnas, de quibus in §. 2. quo pacto intelligendum?

RESP. Quod iuri, & legibus consonat Bart. in Extrauag. Ad reprimen. in verb. videbitur nu. 8. Rota in decis. Seraphin. 1017. nu. 1. in Nouis. & in decis. Grassi 348. p. 1. Diuers. nu. 4. & in casu, quo æquitas suadet, rigor à Iudice relaxan. est, Rota in decis. Cresc. 4. de Testibus nu. 3. & in alia Seraphin. 1154 num. 1.

Schol. secundum.

Quaero. Aequitas autem, vel rigor, quomodo Iudicibus suadere dicuntur?

RESP. Attendendo qualitates, & circumstantias factorum, personarum, locorum, & temporum, quæ longa verborum serie explicate necesse esset, & ideo videas Luc. de Penna in l. 1. Cod. de Coll. Illyric. nu. 3. & 4. Clar. q. 60. & Tiraquel. de Pœn. temper. per totum eius tractatum, & Farin. q. 18. n. 61. & seqq. & q. 87. vsque ad quæst. 98.

XLI.

Edita Anno 1577.

QVæ in Ecclesiam Dei, & infra, pag. 409. Bullarij,

COMPENDIVM.

Nicolaus V. in sua const. 1. de qua sup. pag. 61. t. 1. super cõcordatis Germaniæ, statuit Ordinarios, & alios beneficiorũ collatores, non posse disponere de beneficijs vacantibus, in mensibus Sedis Apostolicæ reseruatis, si non apparuerit fuisse à Sede prędicta prouisum, intra tres menses à die nouæ vacationis, in loco beneficij, §. 1. Hic Pont. declarat, quòd dispositio intra dictos tres menses ab Ordinarijs, & beneficiorum Collatoribus minimè fiat, sed à Sede Apostolica à die notæ vacationis Sedi Apostolicæ, §. 2. Collationes aliter factas irritat, §. 3. Collatoribusq; inobe-

bedientibus pœnas infligit, §.4. Et transumptis huius Bullæ credi permittit, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Concordata eiusmodi cur sic appellata?

RESP. Quia sunt leges communi concordia Papæ, & Principum Germaniæ firmatæ, super forma conferendi beneficia, vt de istis sic in specie loquitur Gonzal. sup. 8. Regul. Cancell. de Mensibus, & Alternat. glos. 25. num. 2. & 3. & Rebuff. sup. Concord. Franciæ in præfat. glos. seq. nu. 5. rubr. de Collationibus.

Schol. secundum.

Quæro. Concordatorum obseruantia num præsumenda, vel probanda?

RESP. Præsumitur, & contrarium alleganti probatio incumbit, Rota in decis. Cottæ 56. par. 1. Diuers. nu. 4. & in decis. Robuster. 97. num. 2. ibid. cum alijs in puncto allegatis à Gonzal vbi sup. glos. 27. in fine, vbi ad idem super his Germaniæ concordatis allegat Gregor. Brandens. in quæst. 2. & 4.

XLII.

Edita Anno 1577.

IN Apostolicæ Sedis specula, & infra, pag. 410. Bullarij.

COMPENDIVM.

Græci aliàs imperio, & scientia sublimes, iam sunt ad maximam calamitatem, ignorantiam, ac hæresum errores redacti, vt ad salutis viam reuocentur, in Alma Vrbe Collegium pro adolescentibus Græcis liberalibus artibus, scientijs, Theologia, & Ecclesiasticis ritibus instituendis, & vt postquam profecerint, Nationis suæ Populo prodesse, & præesse, & curam animarum exercere, Verbum DEI prædicare, & ad orthodoxam Fidem reducere possint, erigit, §. 1. & 2. Exemptionemq; à iurisdictione Ordinariorum concedit, §. 3. Priuilegia Studij Vrbis, & Doctorum elargitur, §. 4. Collegium, eiusq; personas à nemine molestari iubet, §. 5. Scholares ad gradus promoueri permittit, §. 6. Cardinalem Collegij Protectorem deputat, §. 7. Contrarijsque derogat, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Collegia eiusmodi, iste Gregor. quot extruxit?

RESP. Tria, & viginti in diuersis Orbis partibus teste Ciacon. in eius vita, ex quibus Romæ, vltra Græcorũ istud, Germanicum alterum, vt supra in eius constit. 14. pag. 84. Anglicum quoque infra in constit. 53. & aliud Maronytarũ in const. 91. Genitor meus colligere potuit. Verum in noua eius (Deo dante) impressione aliud Neophitorum, & omnium primum, Romanum, imprimen. curabit.

Schol. secundum.

Quæro. In alijs autem Regionibus, eiusdem Gregorij Collegiorum diplomata super eorum institutionibus edita quo pacto habere possem?

RESP. In Lotharingia vnius Collegij institutionem, vide in Append. Bullar. fol. 30. Aliud in Regno Poloniæ in ead. Appendice fol. 35 & earum Compendium, hic infra loco suo videbis. Alias verò institutiones aliorum Collegiorum in Codicibus manuscriptis, quæ in Archiuio Domus professæ Societatis IESV in Vrbe asseruari compertum habui.

XLIII.

Edita Anno 1577.

OFficij nostri partes sedulò præstare tenemur, & infra pagina 411. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus IV. in sua constit. 14. de qua sup. pag. 141. to. 1. applicauit bona Apostatarum regularium extra claustra degentium acquisita, Monasterijs, in quibus primò professi fuerant, §. 1. Pius IIII. illam constitutionem reduxit ad terminos iuris, & sacrarum Constitutionum, in tertia eius Bulla, de qua hic supra pag. 1. d. §. 1. Vnde intrat eiusdem Pauli constit. 29. de qua sup. pag. 126. tom. 1. in qua hęc spolia ad Cameram Apostolicam spectare decreuit, §. 2. Quia tamen aliqui contrarium prætendunt d. §. 2. Hic Pont. ad dictam Cameram spectare declarat, si decesserint absque facultate testandi, §. 3. Et ita iudicari mandat, §. 4. Thesaurarium generalem huius Bullæ executorem deputat, §. 5. Contraria omnia tollit, §. 6. Transumptis huius Constitutionis credi iubet, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Quid si aliquis Monachus vagauit extra Claustra, & postea redijt ad Monasterium, ibiq, decedit, habebit fortassè locum hæc Bulla?

RESP. Non, quia loquitur de vagantibus, & morantibus extra Claustra, vt colligitur ex illis verbis, §. 3. *si decesserit sine facultate testandi*. Hæc enim facultas non potest considerari in Monacho auth. ingressi. Cod. de Sacros. Eccles. vbi omnes, & tradit Lap. allegat. 129. nu. 18. & colligitur etiam ex alijs verbis constitutionis, *extra Claustra degentium*, & paulò infra, *post eorum obitum*. Si quidem, *eorum*, est repetitiuum præcedentium cum omnibus eius qualitatibus, Bart. in l. Si quis seruum, 8. §. fin. ff. de legat. 2. num. 5. & in l. 1. ff. de receptator. necnon Paris. consil. 18. lib. 2. num. 32.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si aliquis Regularis apostata transiuit ab vno Ordine, ad alium, & ab illo redijt ad statum sæcularem, in quo multa bona acquisiuit?

RESP. Ad Cameram Apostolicam spectant attendendo istam Gregorij constit. quæ de per se clara est, & breuibus respondet Nauar. in consil. 80. lib. 3. de Regular. incipien. Regularis apostata.

XLIV.

Edita Anno 1577.

SI inter præcipuas virtutes, & infra, pagina 412. Bullarij.

COMPENDIVM.

Innocentius III. in sua const. 7. de qua sup. pag. 10. to. 1. erexit in Vrbe Archihospitale S. Spiritus in Saxia, vbi cuiusuis generis languētes, vulnerati, & infirmi curentur, infantes expositi alantur, & puellæ nubiles matrimonio collocentur, §. 1. & Sixtus IV. in sua constit. 22. de qua supra pag. 75. to. 1. illud ampliauit, & plurimas ei gratias, & priuilegia ipse, & alij concesserunt d. §. 1. Pro quorum firmiori subsistentia, hic Pont. ea confirmat, quatenus sint in vsu, vel sacris Canonibus, & Concilio Tridentino non aduersentur, §. 2. Locisq. omnibus, etiam particularibus concessa, communicat, § 3. Clausulas huius concessionis præseruatiuas apponit, §. 4. Et ita, & non aliter iudicari præcipit, §. 5. Executores deputat, §. 6. Contrariaque omnia remouet, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Hospitali eiusmodi expositi censentur ne filij legitimi, vel non?

RESP. Eiusmodi expositio valde repugnat legitimæ filiationi, vt dixit Rota de hoc Hospitali loquens in decis. Seraphin. 1081. num. 5. sed non ex ea solum illegitimi dicuntur, verum potius reputantur legitimi, vbi eorum origo ignota est, vt arg. tex. in l. fin. C. de infan. exposit. vbi in dubio, eos præsumit esse liberos, & nõ seruos, vt tenet Paleot. de Noth. & Spur. cap. 63. nu. 3. & de communi. Ignat. Lop. ad Diaz. in Pract. Canon in verb. Illegitimi, tex. impressio nem Moguntię, & propterea ad ordines, & alios legitimos actus promoueri posse, docet Anan. in c. 1 eo. nu. 11. & seq. & Fel. in c. Cum deputati. 16. de Iudic. nu. 10. necnon Bermon. de Public. Concub. in tit. Qui etiã filios, &c. nu. 90.

Schol. secundum.

Quæro. Expositorum nutritio, num magnum pietatis est opus?

RESP. Imò maximum, quia omnia ferè misericordiæ opera continet: Si quidem exurientes pascit, sitientibus potum præbet, nudos operit, infirmos curat, visitatque,

ignorantes docet, & eis consulit, malè agentes corrigit, & mœstos consolatur, vt perbellè recenset Ildephonſ. Perez in suo tract. de Anniuersar. lib. 1. cap. 21. sub num. 68. & seq. vbi subdit, quòd inter eiusmodi expositos, surgunt etiam multi insignes viri, inter quos meminit de Bartholo, qui in loco Pietatis Venetiarum expositus, & educatus fuit, quemadmodum ea alacritate, & cum lachrymis scripsit ipsemet Batt. in l. Quidam cum filium. 132. de Verb. oblig. num. 8. quod repetitur in vita eiusdem Bartholi in princ. Digestorum.

XLV.

Edita Anno 1577.

Cum ſicut accepimus, & infra, pagina 414. Bullarij.

COMPENDIVM.

Auocat ad se quascumque causas tangentes Ecclesiam, & Capitulum S. Ioannis in Laterano de Vrbe à quocumque Iudice, §. 1. Earumq. cognitionem, illius Archipresbytero committit, §. 2. Cum facultate quoscumque citan. & inhiben. in Curia, & extra, §. 3. Canonicos, & alios dictæ Ecclesiæ personas, ab excommunicatione, aliisq; censuris, & pœnis, simpliciter, & ad cautelam absoluendi, §. 4. Aduersus lapsum fatalium in integrum restituendi, & quatenus lapsa non sint, prorogandi §. 5. Attentata quoque reuocandi, cæteraque in præmissis necessaria, & opportuna faciendi, §. 6. Causas appellationum non obstan. ferijs expediendi, §. 7. Decernitque causas eiusmodi, ab Archipresbytero ex rescripto Sanctissimi eius manu signato dumtaxat, auocari posse, §. 8. Et ita, & non aliter iudicari præcipit, §. 9. Quibuscunque contrarijs non obstan. §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Citatio decernenda ab Archipresbytero, vt in §. 3. si esset executa contra Capitulum, & singulares personas, nunquid intelligeretur solum, quoad rem spectantem ad dictum Capitulum?

RESP. Ita firmatum fuit à Rota coram Bisigneto in decis. 1. de Dolo, & Contumac. & in decis. Putei 10. iuxta penult. impressionem lib. 1. num. 2.

Schol. secundum.

Quæro. Si verò decernenda esset per citationem affigen. in aliquo loco in partibus, sufficit ne affixio illius copiæ?

RESP. Non, quia citatus non debuit credere dictæ copiæ, dum pro forma Iudex mandat ipsam citationem affigi, Rota decis. 8. de Dolo, & Contum. per totam, vbi propterea firmat, affigen. esse prius originale in loco, & appendi, & post eam appensam, & exulsam sigillatam, illius loco relinqui copiam in eodem loco, & ad hoc alias quoq; decis. allegat Marchesſ. de Commiſſ. par. 3. §. 5. num. 4. iuxta vltimam impressionem pag. 167.

XLVII.

Edita Anno 1577.

Cogit muneris Apostolici ratio, & infra, pag. 415. Bullar.

COMPENDIVM.

Matthæus della Fuente circa annum Domini 1056. in Eremo del Tardon vnà cum duobus, vel tribus Socijs pro prio labore victum parans, pauperem vitam ducere cepit, & pietiq. eandem viuendi rationem secuti sunt, §. 1. Sed habita notitia constitutionis 76. Pij V. de qua supra pag. 56. Regulã Sancti Basilij delegerunt, & Matthæus in manibus vnius Socij, quem elegit, tria vota substantialia iuxta dictam Regulam professus est, & cæteri Eremitæ deinde in manibus dicti Matthæi professionem emiserunt, & ad Monasteria eorum maiorum constructa migrarunt, & ibi horas Canonicas in Choro, & Missas conuentualiter celebrant, necessaria eorum manibus dumtaxat parando, §. 2. & 3. Matthæus Abbatis munere functus est, quoad eos Monachos, dum vixit, & postea alium eius loco ipsi elegerunt, §. 4. Sed quia Eremitæ in manibus eius, qui illa recipiendi facultatem non habebat, vota emiserunt, & Monasteria prædicta canonicè instituta non fuerunt, ideò hic Pont. illa canonicè erigit, & dignitatem Abbatialem, aliaque officia, §. 5. & 6. Facultatem orandi, & celebrandi iuxta Missale, & Breuiarium Romanum tribuit, §. 7. Monasteria omnia subijcit Ordini S. Basilij & sub Sedis Apostolicæ protectione recipit, § 8. Decernit illa vnam Prouinciã Hispanicam constituere, & ibi quolibet triennio Capitulũ generale celebrari, §. 9. Habitus nigri delationem, & formã præscribit, §. 10. Priuilegia Ordinis S. Basilij, & Congregationis Cassinensis concedit, §. 11. Et quantocitius dictum Capitulum generalem peragi iubet, §. 12. Vsitatoremque ad triennium eligi, qui visitet, & corrigat, §. 13. & 14. Et illum, & alios Abbati, seu Vicario generali subiectos declarat, §. 15. & seqq. In dicto Capitulo ordinationes Concilio Tridentino, Ordini, ac sacris Canonibus non contrarias, fieri permittit, §. 18. Degentes in dictis Monasterijs, ad Ordinem recipi, & ad professionem post annũ admitti decernit, §. 19. & 20. Exemptionem à decimis concedit, §. 21. Decretum irritans apponit, § 22. Executores deputat, §. 23. Contraria remouet, §. 24. Fidem transumptis dari iubet, §. 25.

Schol. primum.

Quæro. Si Matthæus in Abbatem fuerat electus, cur aliorum professio in eius manibus facta dicitur inualida?

RESP. Quia non fuit confirmatus, neque benedictus, & consequenter non habuit potestatem incorporandi Religioni profitētes in eius manibus cap. 2. de Soppl. neglig. Præl. & in puncto sic respondet Nauar. conſ. 4. lib. 3. de Regular. nu. 5. & 8. iuxta impressionem Venetijs 1610.

Schol. secundum.

Quæro. In d. conſt. 76. Pij V. §. 1. habetur ab his, qui in Congregationibus sub obediētia voluntaria viuerent, quorum habitus à presbyteris sæcularibus esset distinctus, professionem esse emittendam, quo stante, cur Matthæo prædicto non videtur data facultas recipiendi eiusmodi professionem, vt hic dicitur in §. 5.?

RESP. Huic difficultati circa hanc Bullam olim propositæ, Nauar. vbi supra num. 1. & 6. respondet, quod ex literis Pij V. non colligitur sufficienter, quod electi à Congregationibus possent administrationem sua vti, antequam confirmarentur.

XLVII.

Edita Anno 1577.

Spectatus, qui in castitatis, & infra, pagina 417. Bullar.

COMPENDIVM.

Martinus V. in sua constit. 11. de qua supra pagina 53. to. 1. approbauit Congregationem Fratrum Iesuatorum, §. 1. Alij successores pleraque priuilegia concesserunt, §. 2. Pius V. in const. 50. de qua supra pag. 49. omnes gratias Ordinum Mendicantium illi communicauit, §. 3. Hic Pont. omnes illas gratias, & indulgentias (citra tamen clausulã porrigendi manus adiutrices) confirmat, quatenus sint in vsu, & sacris Canonibus non contrarijs, supplendo omnes defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem. §. 4. Decretum irritans addit, §. 5. Executores deputat, §. 6. Contrariorum derogationes adiungit, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Illa clausula *supplendo*, &c. de qua in §. 4. de quibus defectibus intelligitur?

RESP. De defectibus iuris positiui, non autem iuris naturalis, Fetter. conſ. 38. lib. 1. num. 4. Iaſ. conſ. 86. nu. 39. cum alijs, quos cumulat Marta de Clauſ. in clauſ. 181. par. 1. iuxta vltimã impressionẽ, vbi alios quoq; recēset effectus.

Schol. secundum.

Quæro. Hoc mane ad Ecclesiam SS. Ioannis, & Pauli de Vrbe, feria 6. post Cineres, Stationum gratia accessi, vbi Procurator Conuentus horum Fratrum Iesuatorum ibi degentium hoc idem, quod à te quæro solicitè postolauit; nempè quo tempore, & à quo constet supradictam

Ec-

Ecclesiam sui Ordinis Fratribus fuisse concessam?

RESP. Nicolaus V. die 1. Ianuarij anno Domini 1544. & sui Pontificatus 8. ad preces Latini Vrsini Presbyteri Cardinalis Tit. SS. Ioannis, & Pauli, eam Ecclesiā cui prius Canonici Seculares præerant, huic Ordini concessit, vt, ex diplomate in Bibliotheca Genitoris mei asseruato, appa-ret. Tu autem huiusmodi historiam plenius explicatam, ab Vgonio in suo, quem de Stationibus Vrbis edidit, libello. pag. mihi 31. videre poteris.

XLVIII.

Edita Anno 1577.

IN specula supremæ dignitatis, & infra, pagina 418. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clericos Regulares Congregationis S. Pauli Decollati, absque licentia eius Præpositi Generalis, ad quemuis aliū Ordinem, præter Carthusianum, cuiuscumque indolis vigore, transire prohibet, §. 1. & 2. Ad Carthusianos infra tres menses à die recessus ab ista Congregatione transire præcipit, §. 3. Ad alios autem Ordines infra terminum à Præposito præfigendum, d. §. 3. Non transeuntibus pœnas imponit, §. 4. Executores deputat, §. 5. Contraria refellit, §. 6. Constitutionis huius transumptis fidem dari indulget, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Si vigore indulti Papæ, (quod hic adesse supponitur) ad aliam Religionem transitus permittitur, cur etiā Præpositi Generalis licentia adhuc necessaria est?

RESP. Quia dum Papa ex aliqua causa dispensare consueuit, circa eam causam Præpositus multa ex facto pē dentia, aduertere valet, ad ea, quæ post alios scribit Roder. de Quæstion. Regolar. tom. 3. q. 52. art. 9.

Schol. secundum.

Quæro. Indultum transeundi ab Ordine Mendicantiū, ad Ordinem etiam non Mendicantium, siue arctiorem, siue laxiorem, nunquid etiam ad Militarem, siue Hospitalarium intelligitur?

RESP. Affirmatiuè tenet Nauar. cons. 58. de Regul. lib. 3. nom. 1. Sed contrarium determinauit Sacra Cardinalium Congregatio super negotijs Regularium, nolens, à Claustralibus ad non Claustrales transitum fieri, vt notatū est in fine dicti consilij ipsius iuxta impressionem Venetijs 1610. pag. 561. & inquit Roder. vbi supra art. 12.

XLIX.

Edita Anno 1557. & 1582

EX incumbenti nobis, & infra, pagina 419. *Item*, Alias emanarunt, & infra, ead. pagina. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet Sal exterum in Statu Ecclesiastico mercari, §. 2 Declarat, intelligi in locis Sedi Apostolicæ mediatè, & immediatè subiectis, §. 6. Contrarijsq. derogat, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Sal ergo non exterum licet mercari, cum hic non sit prohibitum?

RESP. Nequaquam licet, quia de iure communi prohibitum repetitur l. Si quis. 11. Cod. de Vectigalibus, & Cōmiss. & ibi Salyc. ac cæteri cōmuniter, & post alios scribit Stracch in suo tract. de Mercat. par. 4. n. 30. Sunt enim salinæ, & eorum prouentus, de regalibus Principis capit. 1. Quæ sint regal. & l. Inter publica. 17. ff. de Verb. signific. & sic non nisi à Principe, vel eius Officialibus sal mercari potest, vt subdit eo loco Strach. vbi num. 31. recenset in hac prohibitione non contineri mercatoram salamoræ.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si in alio Statu, quàm Papæ, sal mercatus sum, & transfero per Statū Ecclesiasticū, ad alterum statū?

RESP. Cessat ratio huius prohibitionis, quæ est ne vendatur sal exterum, in præiudicium Cameræ Papæ, & ne cessetur ab opere conficiēdi sal in hoc statu, si aliud hic mercaretur, prout in huiusmodi prohibitionibus, sic declarant Scribb. in l. Cætera 43. §. Sed & si quis. ff. de Legat. 1. vbi Ias. num. 23. & Alex. cons. 86. lib. 4. num. 3.

L.

Edita Anno 1577. & 1578

VOlentes pro nostra, & infra, pagina 420. *Item*, Inter multiplices, & infra, eadem pag. Bullar.

COMPENDIVM.

Ad Annonæ abundantiam in Statu Ecclesiastico præfer uandam omnibus cuiuscumq; gradus, & dignitatis personis prohibet, sub grauissimis pœnis, à Terris dicti Status extrahere triticum, ordeum, legumina, & omnis generis frumenta, & fruges, etiam ex bonis Ecclesiasticis collecta, §. 1. & in subseq. Bulla etiam §. 1. Prohibet etiam à quoquam impediri Vassallos ad Vrbem ea afferre, etiam prætextu moliturae, aut cuiuscumque alterius oneris solutionis, §. 2. Bullæ seq. Neminiq; licere decernit, ea vltra vsum vnius anni, pro se, & suis familijs emere, §. 3. Camerarium, & Annonæ Præfectum, Executores deputat, §. 4. Licentias etiam ex causa onerosa concessas reuocat, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Si quis emit granum pro vsu suo, deinde mutato proposito illud vendit, incidit in hanc prohibitione?

RESP. Non, quia emendo ea mente, non contrauenit, vt post antiquiores, sic scribit Ripa in tract. de Remed. ad conseruand. vbertat. sub nu. 11. & Clar. quæst. crim. 82. statut. 7. nom. 5. vbi de communi.

Schol. secundum.

Quæro. Sed quis, & quomodo probabit motationem propositi?

RESP. Emptor tenetur id probare, aliàs ex actu venditionis subsecutæ præsumetetur, quis eo animo emisse, vt post Bart. & Bald. quos allegat, ita censuit Ripa in loco pręcit. quem sequitur Baiard. quæst. 82. stat. 7. nu. 88. Probabit autem suo propterea iuramento, vel per congruas coniecturas, secundum Alberic. de Statut. lib. 2. q. 106. ad finem.

LI.

Edita Anno 1578.

PAstoralis officij cura, & infra, pagina 421. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus III. in sua const. 48. §. 22. de qua supra pag. 31. to. 1. exemptionem à decimis Religioni Societatis IESV elargitus est, §. 1. Pius IV. eam ampliauit, §. 2. Sed dubitat Præpositus dictæ Societatis molestari, cum non fuerit derogatum cap. Nuper. de Decim. §. 3. Hic ideo Pont. eandē exemptionem iteratò concedit, & ampliat, §. 4. Contrarijsq; derogat, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Cur dubitatum fuisse credis, necessariam esse derogationem d. cap. Nuper?

RESP. Quia verba exemptionis pro bonis acquisitis, & acquirēdis possunt intelligi de acquisitis alio titulo, quā emptionis, & in taliter acquisitis stat dispositio dicti cap. Nuper. quòd decimæ de eis persoluantur, ita singulariter censuit Rota in simili dubio excitato contra Fratres Ordinis Præmonstratensis, qui exemptionis huiusmodi priuilegium à Ioanne XXII. obtentum allegabant in decis. Seraphio. 1380. num. 3. in suis postremò impressis.

Schol. secundum.

Quæro. De quibus decimis huiusmodi Societatis exemptiones intelliguntur?

RESP. De illis, quæ Parochis, vel alijs personis, aut Collegijs, ex iuris communis dispositione debentur, & non de his, quæ iure speciali, ex aliqua particulari concessione,

sione, & priuilegio debentur, maximè si ex causa onerosa, & ex quasi contractu Principis, vt cēsuit Rota in decis. Seraphin. 1203. per totam in vna Valentina Decimarum die 1. Iulij 1598. quæ inter hos RR.PP. & Archiepiscopum, & Capitulum Ecclesiæ Valentinæ super intelligentia huius priuilegij vertebantur,

LII.

Edita Anno 1579.

CVpientes Domum Piam, & infra, pag. 422. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. Domum Piam ereait, pro piè ibi recipiendis, & educandis Mulieribus pœnitentibus, ad deliberan. an nubere, vel Moniales ibi effici vellēt in princ. Ne ergo per Vrbis tribunalia eius lites agi contingat, deputat Cardinales eius Protectores, in Iudices causarum ciuilium, & criminalium, & mixtarum spectantium ad dictam domum, eiusq; Congregationem Moniales, & alias personas, & inde egressas, cum facultate etiam per alium eas cognoscendi, §. 2. & 3. Citandique, & inhibendi in Curia, & extra, §. 4. Et singulis diebus, & horis (prætetquam in honorem DEI feriatis) procedendi, etiam tempore feriatum ob necessitatem humanam indicendarum, § 7. Notarium quoque ad dictas causas deputandi, §. 6. Citandi etiā per quoscumque Mandatarios, & exequendi per quoscumque Executores §. 7. Decernit super præmissis à nemine perturbari, §. 8. Clausulas huius concessionis præseruatiuas apponi, §. 9. Et decretum irritans, §. 10. Clausulasq. derogatorias, §. 11. Et fidem transumptorum permittit, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Num maxima est harum pœnitentium Mulierum fortitudo?

RESP, Audi Lactantium in lib. Instit. *Mens inquinata contagione impudico corporis, non potest, nisi longo tempore, & multis bonis operibus à colluuione, quæ inhæserit, purgari.* Audi quoque B. Hieronymum ad Furiam sic scribentem. *Grandis virtus est, & sollicita diligentia, superare quod natus sis in carne, non carnaliter viuere tecum pugnare quotidie, & inclusum hostem Argi, (vt fabulæ ferunt,) centum oculis.*

Schol. secundum.

Quæro. Si Papa derogasset ferijs simpliciter absque verbo, indicendis, nunquid etiam de indicen. intellexisset?

RESP. Non, ex authoritate Bart. in l. 1. ff. de fer. nu. 3. Alex. cons. 188. lib. 2. nu. 11.

LIII.

Edita Anno 1579.

QVoniam Diuinæ bonitati, & infra, pagina 423. Bullar.

COMPENDIVM.

Ad Angliæ Regnum heresis labe deuastatum, multosq. iuuenes ex illo miserrimo Regno huc profugientes, & ad Catholicæ Religionis, in qua nati sunt, institutionem suscipiendam se offerentes, pietatis oculis respexit, §. 1. & 2. Ad imitationemq. Gregorij Primi, qui Anglorum Nationem ad Fidem Catholicam induxit, iste Pontifex Greg. XIII. pro Anglorum ab hæresi reuocatione, Collegium Anglorum pro Scholasticis eius Regni in Philosophia, ac Theologia se exercentibus, Græcisq. ac Hebraicis literis operā dantibus, erigit, §. 3. Annuos redditus assignat, §. 4. Locū pro institutione Collegij concedit, §. 5. Exemptionem à iurisdictione Ordinariorum, & aliorum quorumcunque tribuit, §. 7. Et à solutione pedagiorum, & gabellarum, §. 8. [illegible]duna Studij Vrbis elargitur, §. 9. Collegium ab Officialibus molestari prohibet, §. 10. Superioribus dicti Collegij dat facultatem Studentes ad gradus promouendi, §. 11. Ac ad ordines, etiam extra tempora, & absque Ordinariorum literis dimissorijs, & sine aliquo beneficij, vel patrimonij titulo, & non obstante quocumque natalium defectu, §. 12. Cardinalem Collegij Protectorem deputat, §. 14. Alumnos recipiendos examinari iubet, §. 15. Admissos autem decernit iurare debere, vitam Ecclesiasticam perducturos, seque omni tempore ad iussum Superiorum in patriam reuertendum, & ad animas adiuuandas paratos, §. 16. Alumnos à Confessarijs à quibuscumque excessibus absolui indulget, §. 17. Et ita seruari præcipit, §. 18. Contrarijs derogat, §. 19.

Schol. primum.

Quæro. Multum ideo pro Anglis profecisse censetur iste Gregorius Primus, de quo in §. 3.?

RESP. Adeo, vt Apostolus Anglorum appellatus, multisq. alijs virtutibus à Ciacon. in ipsius Sancti Pontificis vita fuerit illustratus, in suo Opere de Vitis Summorum Pontificum.

Schol. secundum.

Quæro. Qui iuuandæ Fidei Catholicæ causa Angliam ire iurauerit, vt in §. 16. poterit ne Religionem intrare antequam illam adeat?

RESP. Non, quia postquam Religionem quis ingreditur, Angliam non potest adire, & iuramentum sic adeundi, præfertur voto intrandi prius Religionem, vt fusè in terminis huius Bullę firmauit Nauar. cons. 4. de Regular. lib. 3. iuxta impressionem de anno 1610. Venetijs.

LIIII.

ROmanus Pontifex, & infra, pagina 426. Bullarij. Edita Anno 1579.

COMPENDIVM.

Congregationem Monachorum S. Bernardi in Italia Ordinis Cistercien. Regularis Obseruantiæ quolibet triēnio Capitulum generale cogere iubet, §. 1. & 2. Visitatoresq. singulis annis destinari, §. 3. Formam eligendi Discretum ponit, §. 4. Pręsidentē totius Congregationis caput cōstituit, & ad triennium durare statuit, §. 5. Et ipso interim decedente, alium eius loco eligi mandat, §. 6. Scrutatoresque duos deputari, §. 7. Diffinitores septem pro qualibet Prouincia, §. 8. Ab his Præsidentem Capituli eligen. esse censet, §. 9. Quoad Prælaturas, & Sacerdotes alia statuit, §. 10. & seqq. Vota in eligen. Prælatis per modum consilij communicare liceat, §. 18. Visitatores quatuor, nempè duos ex qualibet Prouincia eligi, & maiores professione, vocem capitularem habere decernit, §. 19. Et horum maiorum potestatē designat d. §. 19. Acta Visitationis ad Capitulum referri iubet, §. 20. Prælato aliquo priuato, Vicarius deputetur vsque ad nouam electionem, §. 21. Electiones minores, vt fiant à Visitatoribus, §. 22. Prælati quando possint à Visitatoribus, vel Diffinitoribus priuari, §. 24. Et quanto tempore Monasterijs præesse possint, §. 25. & seq. Regimen vtriusque Prouinciæ in quibus Pręlatis de Capitulo ad Capitulum consistat, §. 27. Et eorum acta fideliter in libro deputato notentur, §. 28. Monasteria reformanda cui Prouinciæ assignentur, §. 29. Prælati Cistelli, & Bonisolatij, sint proprie Abbates cum solita iurisdictione, §. 30. Prior Morimundi, titulo Abbatis vtatur, §. 31. Constitutiones Alex. VI. Iulij II. Leonis X. & Pauli III. approbantur, §. 32. & seqq. Diffinitores quot titulos Abbatiales creare possint, §. 35. Quęstiones in futuro Capitulo non detegen. perpetuò sileant, §. 36. Executores deputat, §. 37. Contrarijs derogat, §. 38.

Schol. primum.

Quæro. Cisterciensis Ordo num arctior est cæteris alijs Ordinibus?

RESP. Non inueniri Ordinem arctiorem dixit glos. in cap. Non est. 7. de Regular. num. 1. Sed Hostiens. Zabar. & Panorm. dicunt Carthusianum esse strictiorem.

Schol. secundum.

Quæro. Idem Ordo Cisterciensis, est sub Regula Sancti Benedicti?

RESP. Certum esse liquet, ex dictis à Syluestro in sua

fua Summa in verb. Religio, §.1.num.7. & Rota in decif. Blanchet.266.par.1. Diuerf. in fine.

L V.

Edita Anno 1579.

CVm illius vicem, & infra, pag. 429. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clemens VII. in fua conft.35. de qua fup.pag.116.to.1. approbanis Congregationem Fratrum Minorum S.Francifci de Strictiori Obferuantia, & nonnullas defuper conftituit ordinationes, fuper quibus poftea moleftati funt, §.1. & 2. Hic ideo Pont.aliqua illis addit, §.3. Præfertim circa profeffionem præfentium Nouitiorum Fratrũ Reformatorum, necnon Fratrum de Obferuantia Profefforum, ad Reformatos fe transferentium, §.4. Eorumque receffum à profeffione, vel incorrigibilitate, & expulfione, §.5. Cuftodis munus in recipiendis Nouitijs, & Fratribus de Obferuantia, §.6. Præcipit certa loca his Reformatis affignari, §.7. Miniftri generalis de Obferuantia poteftatem declarat, circa hos Reformatos, §.8. Et qui ex non Reformatis, inter Reformatos morari poffint, §.9.& 10. Capitula Cuftodialia quolibet anno in locis Cuftodiæ ad electionẽ Cuftodis fieri permittit, §.11. Ipfisq; Capitulis folus Cuftos præfideat, & eo decedente Commiffarius Cuftodiæ, vel ipfe Minifter generalis, fi perfonaliter tantum intereffe velit, §.12. Cuftodes ad triennium eligantur, & confirmationem petant à Miniftro generali d.§.12. Cuftode decedente eligatur Cõmiffarius vfque ad Capitulum Cuftodiale, §.13. Cuftodum authoritas quæ, §.14. Ordinationes in Capitulis generalibus futuræ, huic Bullæ, & ftrictiori obferuãtiæ contrariæ, nullæ fint, §.15. Reformatorum veftes fint de vilioribus indumentis, & defpecto colore, §.16. Ordinationes Clementis VII. his non aduerfæ confirmantur, §.17. Claufulæ præferuatiuæ huius Bullæ fubduntur, §.18. Et decretum irritans, § 19. Executorumq. deputatio, §.20. Contrariorũ derogatio, §.21. Et tranfumptorum fides, §.22.

Schol. primum.

Quæro. Incorrigibilis, de quo in §.5. quis eft, vt à Religione expelli poffit?

RESP. Qui nulla fpes eft, quòd corrigatur, cùm admonitus à Superiore obftinatus eft, & illum non vult audire cap. Cum non ab homine. 10. vbi Panormit. & alij de Iudic. Farinac. quæft.11. num.49. verf. Licèt generaliter. Graff. in fuis Decif. par.1. lib.2. cap.24. fub num.19. Et in Ordine Minorum regularis obferuantiæ exiant conftitutiones particulares de eiufmodi incorrigibilitate, de quib. agit Roderic. de Quæftion. Regul. tom.1. quæft.30. ar.14. propè finem.

Schol. fecundum.

Quæro. Num Prælatus incorrigibilem expellendo, vt in d.§.5. poffit ei iubere, vt aliam ftrictio rem ingrediatur Religionem?

RESP. Non, quia Prælatus habet iurifdictionem in fuum Religiofum, quanto tempore ei fubditur, & non vltra: At fimul ac ille priuatur habitu, definit et fubditus; ergo non poteft illo tempore eum obligare Nauar. conf.77 num.2. verf. ad tertium iuxta impreffionem Venet. Idemque fed alia ratione tenet Roderic. mox citatus art.13.

L VI.

Edita Anno 1579.

PIj Patris Altiffimi, & infra, pag. 432. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quidam Chriftifideles Archiconfraternitatem Pietatis Carceratorum in Vrbe ad pia erga eos opera exercendum, tàm in fpiritualibus, quàm in temporalibus neceffitatibus fubuenien. inftituere propofuerunt, huius Pont. obtenta licentia, §.1. Is autem modò eam erigit, §.2. Statutaque condendi Confraternitati facultatem concedit, §.3. Carceresq. non fecretos intrandi, & cum carceratis tractandi, §.4. Confratribus indulgentias pia quædam opera exercẽtibus, elargitur, §.5. Alias Confraternitates aggregandi, & indulgentias eis communicandi authoritatem impartitur, §.6. Claufulam, Sublata, &c. addit. §.8. Derogatoriasque, §.9. Sanctionemq. pœnalem, §.10.

Schol. primum.

Quæro. Quis, quoue tempore, ante omnes inftitutionem, de qua in §.1. promouit?

RESP. Hoc eodem anno 1579. R. P. Ioannes Salier Presbyter Societatis IESV, Natione Gallus, bonitate, & fpiritus feruore eximius, tefte Camillo Phanuccio in fuo, quem vulgari idiomate, libello, confcripfit, de Pijs Vrbis Operib. lib.4. cap.44. pag. mihi 304.

Schol. fecundum.

Quæro. Carceratus fi in exilium ad tempus fit condemnatus, nunquid fi poft condemnationem in carceribus retinetur, hoc tempus carceris computetur in exilium?

RESP. Poterit quidem, ad tex. in l. Omnes.13. Cod. de Pœn. quem tamen tex. Confratres huius Societatis, vt congruè valeant pro carceratis allegare, caueant locum nõ habere, quando facto eiufdem carcerati, vel aliàs iureretinetur ad Franc. in decif.317. & Caball. cafu 141. per tot. vbi plura referunt exempla.

L VII.

Edita Anno 1579.

VSum Altaris viatici, & infra, pagina 433. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paul. III. Altaris portatilis, feu viatici vfum, Societati IESV conceffit, fed Concilium Tridentinum vniuerfaliter fuftulit, §.1. Hic Pont. illum reftituit, vt intermiffiones, quæ à Superioribus fiunt, fuper dicto Altari Miffæ facrificium valeant celebrare, etiam in Caftris Militum, & modò loca, etfi communia, & profana, tuta tamen fint, & honefta, quibufcunque non obftan. d.§.1. & 2. Et fidem huius indulti tranfumptis dari indulget, §.2.

Schol. primum.

Quæro. Altare portatile, vel Viaticum, num inter fe differunt?

RESP. Non, fed pro fynonymis pofuit Panormitan. in cap.1. de Confecrat. Ecclef. vel Alt. fub num.3. verfic. Et credo. Et ideo iure merito, dũ in textu dicitur altare Viaticum Genitor meus in eius rubrica, portatile appellanti.

Schol. fecundum.

Quæro. Cur portatile, & viaticum nuncupàtur?

RESP. Portatile dicitur à portando de loco ad locũ; Viaticum vero à vehendo, vt notiffimum eft, & fcribunt omnes Canon. in cap. In his. 30. de Priuileg. & in cap. fin. eod. tit. in 6. ac poft alios, Cæfar Lambertin. de Iure patronat. lib.1. art.9. q.11. princ. par.1. num.1.

L VIII.

Edita Anno 1579.

BEnedictus Dominus, & infra, pagina 433. Bullarij.

COMPENDIVM.

S. Bafilius cognomento Magnus Monachorum Ordinem inftituit in pterm. Qui in fanctitate, & doctrina olim floruerunt, §.1. Pro cuius reformatione Capitulum generale fieri, & Abbatem, aliosq. Officiales eligi hic Pontifex voluit, §.2. Et electi fuerunt, §.3. Capituli celebrationem, & ibi factam Prælatorum electionem comprobat, §.4. Et Generali electo curam totius Ordinis delegat, §.5. Omnesq; ei Monachos fubijcit, §.6. Habitum ex panno nigri coloris cum caputio, fiue cuculla monachali, eos deferre iubet, §.7. Profeffionemque regularem per omnes emitti, §.8. Capitulum quoque generale ce-

lebrari quolibet triennio, §.9. Officia triennio expleri decernit, §.10. Capitulo mandat præsidere, eligendum à Cardinale, §.11. Et in eo locum futuri Capituli designari, §.12. Electionesq. per suffragia fieri, §.13. In Monasterijs commendatis mensam conuentualem institui præcipit, distinctam ab Abbatiali, cui assignent Commendatarij bona necessaria, & Monasteria reparent, & ad cultum Diuinum necessaria assignēt, §.14. & seq. Et Monachi eorum possessionem capiant, §.16. Monasteria etiam commendata Ordini aggregat, §.17. Priuilegia eidē. Congregationis Cassinen. concedit, §.18. Eximitq; à iurisdictione Ordinariorum, & aliorum, §.19. Abbati, & Visitatoribus dat facultatem visitandi, & reformandi, §.20. Ita, & non aliàs iudicari mandat, §.21. Executores deputat, §.22. Contrarijsque derogat, §.23.

Schol. primum.

Quæro. Vnde est, quod Papa in §.8. iubet emitti professionem regularem?

RESP. Quia in hac Religione Sancti Basilij in sui initio fiebat expressa professio; A tempore autem eius initij non est memoria, regulari obseruantia in ea collabente, eius Monasteria commendata fuerunt, desijtque emitti consueta professio; Hæc scribit Nauar. de Regular. consl. 15. lib. 3. io princ. in impressis Venetijs anno 1610.

Schol. secundum.

Quæro. Ad hanc professionem posset ne his temporibus Abbas electus, antequam sit confirmatus, Monachum admittere?

RESP. Non, quia ante confirmationem non est Abbas, nec quidquam, vt Abbas, facere potest, cap. Nihil. 44. cum ibi not. de Elect. & tradit Nauar. vbi sup. in cons. 40. num. 5. Et id locum habet, etiam antequam Abbas sit benedictus, vt benè ostendit Roder. tom. 1. Quæst. Regular. quæst. 18. art. 2.

L I X.

Edita Anno 1579. QVæ inter Religiosorum cœtus, & infra, pagina 436. Bullar.

COMPENDIVM.

Pius V. in constit. 41. de qua sup. pag. 46. decreuit Canonicos Regulares S. Saluatoris Ordinis S. Augustini quolibet triennio in Capitulo generali, Priorem generalem, Visitatores, cæterosq. Prælatos, & Procuratorem generalem eligere debere, & iste Pont. circa hanc electionem triennalem confirmauit in princ. & §.1. Et quia nonnulli de dictarum constitutionum validitate dubitabant, ideo eas iterato promulgat, & de cætero nihil desuper innouari præcipit, §.2. & seqq. Non obstan. quibuscumque, §.5. Transumptis fidem præstari mandat, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Quid est, electionem fieri in Capitulo, vt hic dicitur in principio?

RESP. Non intelligas fieri in loco Capituli, qoia ille locus non dicitur Capitulum, sed locus capitularis: Intelligas ergò in Capitulo, idest in Congregatione Prælatorum Vocalium, & aliorum, qui in dicto loco Capituli tenentur interesse, Rota in decis. Mohedan. 1. de Foro comp. ou. 6. & in decis. Seraphin. 1247. num. 3.

Schol. secundum.

Quæro. Nunquid Canonicus Regularis de beneficio curato sæculari possit prouideri?

RESP. Cum licentia Superioris sui potest, cap. Quod Dei. 5. vbi Panormit. & alij. de Statu Monach. Rota in decis. Bellam. 751. propè finem, & in decis. Seraphio. 1269. per totam.

L X.

Edita Anno 1580. QVo magis, ac firmius, & infra, pagina 436. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Clementem VII. statuisse, quod Religiosi Militiæ S. Ioannis Hierosolymitani, habentes beneficium, vel pensionem, habitum suscipere, & professionem infra sex menses emittere debeant, §.1. Et Paulus III. censuit Magistrum, &c. prouidere posse, de Ecclesijs huius Ordinis, §.2. Pius IV. in eius const. 9. de qua supra pag. 3. prædicta confirmauit, & Priores Ecclesiæ infra limites suarum administrationum, Ordinarios declarauit, beneficiaq. certo modo conferri statuit, §.3. Et ad hoc quædam decreuit Paulus III. & quædam alia Magister Generalis, §.4. Sed desuper aliqua dubia exorta fuerunt §.5. Hic ideo Pont. inhærendo Concilio Tridentino, supradictorum Pontt. gratias confirmat, §.6. Prouisosq; à Sede Apostolica, habitum suscipere teneri declarat, §.7. Et illum non suscipientes infra sex menses, nonnullis pœnis affligat, §.8. Suscipientes verò, spolia consequi posse indulget, §.9. Exemptionem à decimis, & alijs oneribus à Pio V. elargitam, approbat, §.10. Executores deputat, §.11. Contraria remouet, §.12. Clausulas præseruatiuas appooir. §.13. Et transumptis fidem tribuit, §.14.

Schol. primum.

Quæro. Professio, de qua in §.1. cum fieri poterit à Milite minore annis 16.?

RESP. Non, quia Concilium Trid. sess. 25. de Regular. cap. 15. de Religiosis id statuens, locum habet etiam in Militibus, quia verè Religiosi sunt presertim huius Militiæ, licet quandoq. dictum Concilium loquens de Religiosis particulariter expressserit etiam de Militantibus, vt scribit Nauar. cons. 21. de Regular. lib. 3. iuxta impressionem Brixianam de anno 1597. vbi de communi testatur, Rota in decis. Cæs. de Graff. 47. num. 13. & 15. & in decis. Mohed. 10. de Caus. poss. & propriet. num. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Quid est quod fertur, huic Religioni à Carolo V. Romanorum Imperatore Meliuetanam Insulam donatam fuisse?

RESP. Ex authentico diplomate Bibliothecæ Genitoris mei Carolum V. Romanorum Imperatorem, & Siciliæ Regē, Insulas Meliueti Tripolis Gaudisij die 23. Martij anno Domini 1536. dictæ Militiæ, loco Insulæ Rhodi à Turcis expugnatæ, in feudum perpetuò donasse, tempore Pontificatus Leon. X.

L X I.

Edita Anno 1580. VRbem Romam, & infra, pag. 439. *Item*, Almam Vrbem, & infra, pag. 440. *Item*, Nuper præinsertas, & infra, pag. 441. Bullar.

COMPENDIVM.

Romanus Populus instituit reformare antiqua Statuta Vrbis, & noua condere, §.1. Lucas Pætus vnà cum alijs deputatus, in tres libros hæc noua redegit, & huic Pontifici exhibuit, §.2. Qui Cardinalem S. Seuerinæ, & alios ad illa examinandum delegit, §.3. Qui deinde ea examinarunt, & correxerunt d. §.3. Hic modo Pont. antiqua illa Statuta abrogat, §.4. Nouaq; benè digesta approbat, § 5. Obseruari præcipit in Curia Capitolij, etiam quoad causarum processum, & quoad alia, vbique in ipsa Vrbe, eiusq. districtu, vbi particularia statuta de eisdem causis, & casibus non habentur, § 6. Illisque per solam Signaturam Gratiæ derogari indulget § 7. Contrarijs derogat, § 8. Transumptis credi permittit, §.9. Declarat in subsequen. Bulla Statuta prædicta non præiudicare Consulibus Artium de Vrbe, §.1. & seqq. A quorum sententia ad Conseruatores Vrbis tantum appellari decernit, §.6. Sed hoc vltimum in subseq. Bulla declarat eiusmodi appellationum restrictionem non præiudicare Gubernatori Vrbis, & Capitaneo Appellationum, §.1. Et decretum irritans apponit, §.2.

Schol. primum.

Quæro. Quæ sunt Statuta ordinatoria, & decisoria, de quibus in §.6.?

RESP. Ordinatoria sunt, quæ telam iudiciariā, siue ordinem in agen. litibus respiciunt, vt putà quomodo quis citetur, vel testes examinentur, Ofasch. decis. 22. num. 16. & seq.

& seq. Vel quo modo dentur mandata, Magon. decis. Lucens. 87. num. 18. in fine. Vel circa recognitionem scripturæ, Rota Genuæ decis. 206. num. 2. Decisoria verò, quòd quis citetur, vel non citetur Rota in decis. Cresc. 9. Iulij 1604. in vna Aretina Spolij. Quòd lapso certo termino instantia pereat, Rota in decis. Put. 416. lib. 2. nu. 1. in Nouis. Vel quòd lapso simili termino, de iure partis Iudices non cognoscant Soc. sen. cons. 36. lib. 4. num. 11. Vel exceptiones non admittantur, Aym. cons. 201. nu. 38. vel ad detur appellatio, Rota in decis. Puteī 469. lib. 2. n. 2. in Nouis.

Schol. secundum.

Quæro. Num hæc Statuta Clericos ligant?

RESP. Ligant, quia sunt edita à Deputatis Papæ, & ipse approbauit: Vnde dicuntur Papalia, & Clericos comprehendunt, Rota in decis. Robuster. in vna Romana Dotis 21. Februarij 1567. & in decis. Aldobrand. postea Sanctissimi 452. lib. 1. Diuers. num. 1. Quamuis contrarium nitetur probare Marchesan. de Commissionib. par. 3. §. 5. num. 67. pag. mihi 170. in postremò impress.

LXII.

Edita Anno 1580.

CVm nihil magis Religiosorum, & infra, pagina 441. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præmittit Religiosorum statum admodum perturbati ex conquisitione fauorum personarum sæcularium, in procem. Prohibet ideo omnibus Superioribus Ordinis Fratrū S. Dominici, ad instantiam personarum extra dictum Ordinem, gratiam alicui, aut pœnarum remissionem concedi, cuiuis eiusdem Ordinis personæ, §. 1. Imponit pœnas eiusdem Ordinis Religiosis conquisitis fauoribus officia procurare, §. 2. Et sic, & non aliter iudicari, §. 3. Remouet contraria, §. 4. Iubet credi transumptis, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Hæc fauorum conquisitio, & ambitus, ipsis fortasse ambientibus miseriam infert?

RESP. Ita sanè, teste Cicerone lib. 1. Officior. & nouissimè Bussæus de Remed. contra animi morb. in verbo Ambitio. vbi latè.

Schol. secundum.

Quæro. Eiusmodi miseriam aliquis ne author bene explicat?

RESP. Seneca ad Lucull. mirificè explicat, & quamplura scribit etiam ex recentioribus Thib. Decian. lib. 8. sui tractat. in tit. de Ambit. cap. 21.

LXIII.

Edita Anno 1580.

AD Romani Pontificis, & infra, pagina 442. Bullarij.

COMPENDIVM.

Plerisq; Pontt. aduersus quoscunque S. R. E. & Cameræ Apostolicæ feudatarios, & alios dictæ Cameræ debitores, debitas solutiones certis die, & loco statutis non facientes pactaq; & conuentiones in eorum inuestituris, & concessionibus nō obseruantes pœnis ligatur, §. 1. Fiscus quotannis in Vigilia, & Festo SS. Petri, & Pauli caducitates acceptauit, & non soluentes contumaces à Cameralibus declarari obtinuit, §. 2. Paulus IV. in eius constit. 11. de qua supra pag. 140. to. 1. comprobauit, §. 3. Postea annis singulis debitores prædicti sic citati, priuati fuerunt. §. 4. Multi autem adhuc bona Sedis Apostolicæ detinent, & pœnas prædictas non incurrisse prætendunt, §. 5. Hic ideo Pont. prædictas prædecessorum constitutiones, sententias, & decreta comprobat, & innouat, §. 6. Et quocūque comprehensos in eis, ad realem locorum deuolutorum possessionem deueniri debere decernit, §. 7. Feudatariosque, & alios in Camera Apostolica in Sanctorum Petri, & Pauli Vigilia, & Festiuitate debita intra Cameræ Apostolicæ soluere debere, §. 8. Et solutiones semper intelligi receptas, sine præiudicio iurium Cameræ, §. 9. Et post dictam Festiuitatem recipi vetat, §. 10. Consentaneque in prædictis Bullis obseruari, §. 11. Et ita, & non aliter iudicari, §. 12. Contrarijs derogat, §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Cameræ Apostolicæ appellatione quid venit?

RESP. Accipitur quandoque pro loco, in quo ius redditur à Cameralibus, vel pro eo, quod vergit ad commodum, & vtilitatem Cameræ: Vel pro Clericis, & alijs, qui administrant Cameram, aut eius iurisdictionem Bartol. in rubr. Cod. de Iur. Fisc. lib. 10. num. 7. Paul. de Castr. consil. 105. lib. 1. num. 4. Dec. cons. 404. num. 1. & seq. & Peregr. de Iure Fisc. in princ. num. 3. Et omnibus his modis accipitur Camera, in textu huius Bullæ.

Schol. secundum.

Quæro. Nunquid feudatarius debitor censūs Cameræ, vti potest beneficio compensationis cum simili credito, quod habet cum Camera?

RESP. Nonquia speciale est in Tributis l. 3. Cod. de Compensat. Afflict. decis. 19. num. 4. Sebastian. Medic. de Compens. quæst. 38. vbi alios cumulat.

LXIIII.

Edita Anno 1580.

PIa consideratione, & infra, pagina 444. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Innocentium IIII. in sua const. 6. de qua supra pag. 17. to. 1. Regulam mitigatam Fratrum B. MARIAE de Monte Carmelo confirmasse, §. 1. Et Eugenium IV. in sua constit. 3. de qua supra pag. 55. tom. 1. iterum mitigasse, §. 2. Sed de anno 1561. in Regnis Hispaniarum dictam Regulam ab Innoc. IV. firmatam, & nonnulla alia statuta à nonnullis obseruari cœptum fuisse, Discalceatosq; nuncupari, §. 3. & 4. Qui propterea à Carmelitis profitentib. Regulam ab Eug. iiij. declaratam separari apud hunc Pōtif. institerant, §. 5. Hic Pont. dictos Discalceatos in Regnis Hispaniarum ab ipsis Mitigatis separat, §. 6. Monasteriaque eorum in vnam reducit Prouinciam Discalceatorum nuncupandam, & regen. à Priore dictæ Prouinciæ, sub obedientia Prouincialis generalis Ordinis, §. 7. Prioris Prouincialis munus præscribit, §. 8. Priuilegia totius Ordinis his Discalceatis communicat, §. 9. Ad Carthusianos tantum transire concedit, §. 10. Officiales aliorum Carmelitanorum sub præmissis non molestare Discalceatos decernit, §. 11. Discalceatis ad Ordinis Protectorem, vel ad Sedem Apostolicam recursum permittit, §. 12. Carmelitanis Mitigatis facultatem visitandi Discalceatos aufert, §. 13. Clausulas præseruatiuas huius Bullæ subdit, §. 14. Et clausulam, Sublata, &c. §. 15. Executorumque deputationem, §. 16. Et contrariorum derogationes, §. 17. Et fidem transumptorum, §. 18.

Schol. primum.

Quæro. Huius Reformationis quis dicitur fuisse promotor?

RESP. Eximiæ sanctitatis Virgo Teresia à IESV, cælesti spiritu afflata, pristinam Alberti Regulam, de qua supra in constitut. 8. Honor. iij. pagina 13. t. 1. primum sibimox Virginū cætibus, postremò duobus ex Carmelitis, quos Mitigatos vocant, proposuit strenuè recolendam, Horumque Patrum alter Antonius à IESV, Ioannes alter à Cruce, vterque sanctitate illustris, vltimus miraculis etiam clarus anno 1568. in Natali Hispaniæ solo propè Albulam antiquiori Carmelo, nouissima fundamenta dedere. Hæc perlegi in præfatione libelli priuilegiorum dictorum Discalceatorum Romæ hoc anno 1617. typis cusi.

Schol. secundum.

Quæro. Num Teresia Sanctorum Cathalogo à Sede Apostolica adscripta fuit?

℟ E S P. Desideratur eius Canonizatio, & interim Paulus Papa V, die 29. Aprilis 1614. facultatem celebrandi Officium, & Missam de dicta Teresia, in eius Festo concessit, vt ex hoc, quod sequitur, apparet diplomate.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regis æternæ gloriæ, qui fideles seruos suos corona vitæ coronat, vices quamquam immeriti gerentes in Terris, ex iniuncto nobis Pastoralis officij debito, Christi fidelium, ac præsertim Catholicorum Regum, & Principum, necnon Religiosarum personarum votis, quæ peculiarem erga eosdem Christi seruos honorem, & venerationem respiciunt, libenter annuimus, eaq; fauoribus prosequimur opportunis, prout conspicimus salubriter in Domino expedire.

§. 1. *Sane dilectorum filiorum omnium Religiosorum totius Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Beatæ MARIAE de Monte Carmelo, nomine, nobis nuper expositum fuit, quod bon. mem. Teresia de IESV, dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Fundatrix, tã multis, & eximijs virtutum, & gratiarum, ac miraculorum donis à Dominio illustrata fuit, vt magna idcirco erga eius nomen, & memoriam Christi fidelium deuotio vigeat: Quapropter non solum vniuersus Ordo prædictus, sed etiam carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, ac omnium ferè Hispaniarum Regnorum Archiepiscopi, Episcopi, Principes, necnon Communitates, Vniuersitates, & Homines, nobis iteratis precibus humiliter supplicari fecerunt, vt donec Canonizationis honor ab Apostolica Sede dictæ Teresiæ habeatur, quod ob eius excellentia merita, aliquando diuina inspirante gratia, futurum sperant, Sacrosanctum Missæ sacrificium, & Officium ab omnibus, & singulis dicti Ordinis vtriusque sexus Religiosis personis de dicta Teresia, tamquam de vna Beata Virgine, & aliàs, vt infra, agi, & recitari respectiue posset.*

Petitio pro habẽda Teresiæ Beatificatione.

§. 2. *Quare nos re prius per Venerabiles Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sacris Ritibus præfectos, quibus eam examinandam mandauimus, maturè discussa, de eorumdem Cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus inclinati, vt deinceps in futurum singulis annis in die depositionis dictæ Beatæ Teresiæ, videlicet die quinta mensis Octobris in omnibus Monasterijs, & Ecclesijs dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum ab omnibus eiusdem Ordinis Religiosis vtriusque sexus, Officium, & Missa de Beata Teresia prædicta, tamquam de vna Virgine, necnon in oppido Albæ Salamantin. Diœc. in Monasterio, & Ecclesia, in qua Corpus dictæ Beatæ Teresiæ asseruari asseritur, ab omnibus Presbyteris, tam Sæcularibus, quàm Regularibus cuiuscumque Ordinis in dicta die quinta Octobris tantum Missa in honorem eiusdem Beatæ Teresiæ, pro eorum deuotione iuxta regulas Breuiarij, & Missalis Romani recitari, & celebrari respectiuè possit, & valeat, Apostolica authoritate, tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus.*

Concessio petitæ Beatificationis

§ 3. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque.*

Derogatio contrariorum.

§. 4. *Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Procuratoris generalis dicti Ordinis munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

Fides transumpti.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die xxiiij. Aprilis M. DC. XIIII. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Dat Romæ Pont. anno 9. die 24. Aprilis.

PAVLVS PAPA V.

Domini Nostri IESV CHRISTI, &c.

Omittitur residuum narratiuæ, quia tota Bulla est quæ præcedit.

§. 1. *Cum autem sicut nomine eorumdem Religiosorum iterum nobis nuper expositum fuit, non solum vniuersus Ordo prædictus sed etiam Philippus Rex, ac Archiepiscopi, & Episcopi, ac Principes prædicti, pro eo, quem erga dictam Beatam Teresiam gerunt deuotionis affectu, Missam, & Officium de eadem Beata Teresia ab omnibus vtriusque sexus personis Ecclesiasticis, in Ecclesijs Regni Castellæ veteris, celebrari, & recitari respectiuè posse summopere desiderent.*

Petitio pro celebranda Missa, & Officio B. Teresiæ.

§. 2. *Nos supplicationibus illorum nomine nobis super hoc iterum humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Fratrum consilio, vt deinceps in futurum in omnibus Ecclesijs quarumcumque Ciuitatum, & Diœc. Regni Castellæ veteris tantum, Missa, & Officium de eadem Beata Teresia in die eius depositionis præfata dumtaxat, iuxta Rubricas Breuiarij Romani, à quibuscumque vtriusque sexus personis Ecclesiasticis, seruata alias in omnibus, & per omnia literarum prædictarum forma, & tenore, celebrari, & recitari respectiuè, liberè, & licitè possit, & valeat, Apostolica authoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.*

Papæ concessio.

§. 3. *Non obstantibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obstare, cæterisq; contrarijs quibuscumque.*

Contrariorum derogatio.

§. 4. *Volumus autem, quòd præsentium trãsumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Procuratoris generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.*

Transumptorum fides.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die xxvij. Septembris 1616. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

Dat. Pont. anno 12. die 27. Septemb.

Hac ipsa die, qua eiusmodi Apostolicæ imprimuntur literæ, S. D. N. Gregorius XV. in publico Concistorio, eamdem B. Teresiam, (Deo id concedente) sub die 12. futuri mensis Martij, canonizandam fore decreuit.

LXV.

Tanta, tamque horrenda quotidie succrescunt, & infra, pag. 446. Bullarij.

Edita Anno 1580.

COMPENDIVM.

Sanguinariorum, & sceleratorum hominum maleficia, eo vsque excreuisse refert, vt noua remedia ad eos remouendos, & auxiliandi facultatem tollendam, adhibenda sint in princip. Comprobat ergo constitutiones omnes contra eos hactenus editas, §. 1. Quoscumque Duces, Feudatarios, & cæteros S. R. E. temporali ditioni subiectos, qui quemcumque pro capitali crimine bannitum, vel diffamatum, in suis locis intra, vel extra Statum Ecclesiasti-

cum

cum receptauerit, aut receptari permiserit, aut quoquomodo fauorem præstiterit, vel iustitię ministros in eorum captura impediuerit, aut perterrefecerit, maioris excommunicationis sententia innodat, §.2.& seqq. Reumque criminis lesæ maiestatis, ac rebellem pronunciat, §.6. Omnibus bonis, dignitatibus, gratijs, & feudis priuat, §.7. Indignos eos, ac eorum filios, ad illa, vel alia obtinenda, & ad actus legitimos exercendos efficit, §.8. Vassallos à fidelitate, omniq; alio iure absoluit, §.9. Eorum ædificia deijci, & Cameræ adscribi decernit, §.10. Ducatus, & bona omnia dictæ Cameræ applicat, & liberæ dispositioni Pontificis reseruat, §.11. Priuilegia omnia reuocat, §.12. Dominia, & alia bona prædicta non comprehendi sub constit. Pij V. de non infeudandis Terris, & iurisdictionibus S.R.E. declarat, §.13. Cómunitates prædictis bannitis fauentes pœnis prædictis supponit, §.14. Executores huius Bullæ deputat, §.15. Contrarijs derogat, §.16.

Schol. primum.

Quaero. Diffamatus, de quo in §.2. quis dicitur?

RESP. Is tantummodo, contra quem militat adeo grauis diffamatio, quòd æquipolleat banno, de hac Bulla loquens, tenet Nauar. conf. 59. incip. Quidam iuuenis. lib. 5. de Sent. excomm. per tot. & Rota loquens de Bullis Pij IIII. & V. in dec. 525. p. 1. Diuersor. n. 1.

Schol. secundum.

Quaero. Quid si aliquem bannitum receptem, vt eum à crassatura, alijsq; malis retraham?

RESP. Non te ligat ista Bulla, vt consulendo ostendit, de hac Bulla loquens, Nauar. in conf. 57. de Sent. excomm. in nou. sub num. 5. & conf. seq. eod. n. 7.

LXVI.

Edita Anno 1580.

IN Ecclesijs præsertim insignibus, & infra, pag. 448. Bullar.

COMPENDIVM.

Irritat quascumque tàm Sedis Apostolicæ dispositiones, quàm aliorum, de beneficijs in personas propter genus, aut hæresim, & à fide apostasiam, siuè proprio, siuè stirpis suæ agnatorum vitio contaminatas, per canonicas sanctiones, aut statuta à Sede Apostolica confirmata, aut priuilegia ab eadem data, prohibitas, §.1. Illaq; ad Papæ dispositionem pertinere decernit, d. §.1. & 2. Modum quoque ea impetrandi præscribit, §.3.

Schol. primum.

Quaero. Hæresis, & à fide apostasia, de quibus in §.1. differunt fortasse?

RESP. Apostata à fide, hæreticus non solum, sed plusquam hæreticus est secundùm Azo. in rubr. Cod. de Apost. in princ. Rebuff. in Praxi benefic. num. 47. quos citat, & de hac Bulla meminit Gonzal. de Mensib. & Alternat. glos. 15. num. 66. Is namq; à fide, & Religione Christiana transit ad Iudaismum, seu aliam sectam infidelium Clar. quæst. 78. n. 4. post Alciat. conf. 458.

Schol. secundum.

Quaero. Ista beneficia ob hæresim vacantia, quæ (vt pro certo habetur) à die commissi criminis vacant, si resignentur, quid resignatatijs acquiritur?

RESP. Nihil prorsus, quia ex tunc, omne ius suum amiserunt, & ex tunc sunt Sedi Apostolicæ reseruata, vt sic aliàs decretum fuisse testatur, Locat. in fine sui Oper. Iudiciar. quem refert, & approbat Pegna in Director. Inquis. p. 3. Comment. 162. vers. Huc quoque pag. mihi 667.

LXVII.

Edita Anno 1580.

CIrcumspecta in omnibus, & infra, pagina 448. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia nonnulli Clerici sæculares, & laici, abutentes priuilegijs à Sede Apostolica Hospitali S. Ioannis Hierosolymitani concessis, & signanter à Pio V. post Concilium Tridentinum confirmatis, se exemptos a iurisdictione Ordinariorum in criminibus, & excessibus esse prætendunt eo, quod Ecclesijs dicti Hospitalis sint adscripti, vel coloni, aut procuratores, & familiares eius Militum existant, §.1. Hic Pont. iurisdictionem Ordinariorum reintegrat contra prædictos, exceptis ijs, qui in Ecclesijs, & locis Militum actu seruiunt, & intra eorum septa, & domos resident, ac sub obedientia eorum viuunt, quæ omnia simul debere concurrere intelligantur, §.2. Ac exceptis ijs, qui legitimè, & secundum regulam dictæ Religionis professionem fecerint, de qua loci Ordinario constare debeat d. §.2. Et ita, & non aliter iudicari decernit d. §.2. Clausulas huius Bullæ præseruatiuas subdit, §.3. Et derogatorias, §.4. Pij V. constitutionem prædictam, quoad alia, & signanter in eo, quod voluit dictorum Militum priuilegia non comprehendere, neque Ecclesias, neque personas, in his, quæ ad curam animarum pertinent, sed in his dicti Concilij Tridentini decreta omnia seruari, comprobat, §.5. Et fidem transumptis dari mandat, §.6.

Schol. primum.

Quaero. Quę sunt decreta Conc. Trid. de quibus in §.1.?

RESP. Est in cap. 5. sess. 6. de Reform. & c. 4. sess. 14. de Reform. eisq; consonat aliud decretum in cap. 18. sess. 23.

Schol. secundum.

Quaero. Ante dictam Bullam Pij V. illa duo supradicta decreta derogabant ne priuilegijs huius Religionis, de quibus in d. §.1.?

RESP. Greg. Tholos. in Syntagm. Iur. par. 2. lib. 15. c. 34. n. 10. negatiuam sententiam Curiæ supremæ placuisse scribit. Sed Nauar. in conf. 12. incip. An Milites lib. 3. de Regularib. secundum impressionem Venetijs de anno 1610. valde de hoc dubitauit. Et ideo declarationem Pontificis desiderare subdit num. 6.

LXVIII.

Edita Anno 1581.

ALias piæ memoriæ Paulus, & infra, pagina 449. Bullar.

COMPENDIVM.

Paulus IV. in sua const. de qua sup. pag. 138. tom. 1. Hebræis vetuit in Statu Ecclesiastico medicare Christianos, §.1. Pius V. in const. 3. de qua sup. pag. 34. approbauit, & vbique locorum id seruari iussit. §.2. Innocentius III. & Pius V. in d. constit. 3. Medicos iussit monere debere infirmos in lecto iacentes, vt peccata sua Confessori confiteantur, & nisi tertio id efficerent, eosdem amplius non visitarent, §.2. Hic Pont. hæc approbat, §.3. Additque ne Christiani infirmi, Iudæos, vel alios infideles ad eorum curam admittant d. §.3. Et quolibet anno istam constitutionem initio Quadragesimæ ab Ordinarijs publicari iubet, §.4. Contrauenientibus pœnas imponit, §.5. Contrarijs derogat, §.6. Transumptisq; credi mandat, §.7.

Schol. primum.

Quaero. Num etiam iure veteri Christianis interdictum est, Medicis vti Hebræis?

RESP. Ex decreto sexti Oecumenici Concilij Constantinopolitani sancitum est, Christianorum neminem, in infirmitatibus suis Iudæum vocare, vt refertur in cap. Nullus 13. caus. 28. quæst. 1. & id Innoc. III. in Concilio generali latius edixit in cap. Cum infirmitas. 13. de Pœnit. & remiss. & tradit Ripa in tract. de Remed. ad euit. pest. num. 51. & seq. vbi acriter reprehendit illos, qui in suis morbis ad Iudæos Medicos confugiunt.

Schol. secundum.

Quaero. Quid si Christianus moriatur, nisi iuuetur à Iudæo, vel infideli Medico, & alius inueniri non possit?

RESP. In tanta necessitate, licere illum vocare, scribit Archidiac. post Hu. in supradicto cap. Nullus. num. 2. & in simili casu, de comedendo azimum à lege vetitum, tenet Turrecrem. ibid. num. 1.

Chri-

LXIX.

Edita Anno 1583.

CRistianæ nobiscum Religionis,& infra,pag. 450, *Item*. Cum alias, & infra, pag. 451. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deplorat Christianorum S. R. E. ditioni subiectorum apud Infideles captiuorum afflictiones, in princ. Ideoque ad eorum liberationem, & redemptionem Archiconfraternitatem B. Virginis Confalonis de Vrbe deputat, §. 1. & seqq. Et ad hoc statuta condendi facultatem præstat, §. 5. Executores huius Bullæ deputat, §. 7. Contrarijs omnibus derogat, § 8. Transumptis credi iubet, §. 9. Iulium II. priuilegium liberandi vnum incarceratum singulis annis in Festo Assumptionis B. MARIAE dedisse refert, §. 10. Piumq; IIII. illud comprobasse, §. 11. Ipse Pont. ad duos carceratos extendit, §. 12. & seqq. Non obstan. quibuscumque, §. 16.

Schol. primum.

Quæro. Hoc pium opus extendit se etiam ad redemptionem Captiuorũ apud Infideles pro delictis carceratos?

RESP. Affirmatiuam sententiam tenet Felyn. in cap. Significauit 11. de Iudæis. nu. 4. & Tiraquell. de Priuil. piæ causæ. in præfat. in vers. Item relictum pro redemptione; Et ante eos glos. in cap. Sacrorum 15. caus. 12. quæst. 2. in verb. repetitionis. Et certè maior ratio charitatis isto casu militare videtur, maiorq; timor desperationis.

Schol. secundum.

Quæro. Hæc Sodalitas poterit impensam pecuniam à redemptis repetere?

RESP. Semper mihi placuit opinio negatiua, quoniam Ecclesia est mater omnium fidelium, & ideo tenetur ad hanc redemptionem, & propterea nihil repetit. l. Alimenta. 11. Cod. de negoc. gest. Intelligo tamen nisi ista Confraternitas habeat statutum vigore huius Bullæ, vt in §. 5. conditum, quo posset a redemptis diuitibus repetere, & in aliorum pauperum redemptionem pecuniam refunderet, prout in Ciuitate Neapolis sic seruari vidisse scribit, Rodoan. de Reb. Eccles. non alienan. rubr. 20. nu. 54. de Caus. Pier.

LXX.

Edita Anno 1581.

ANtiqua Iudæorum improbitas, & infra, pagina 452. Bullar.

COMPENDIVM.

Quamnis Iudæi pro eorum conuersione in gremio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ recipiantur, audent nihilominus in Religionem Christianam quamplura nefanda cõmittere, ideoq; Pont. Inquisitores hæreticæ prauitatis in seqq. casibus, liberè contra eos procedere posse indulget in exordio, & §. 1. Si negauerint, quæ circa Fidem communia sunt cum Christianis, §. 2. Si Dęmones inuocauerint, aut eis immolauerint, §. 3. Si quem Christianum hæc docuerint, vel ad ea perduxerint, §. 4. Si hæreticas blasphemias dixerint, §. 5. Si Christianum à Fide demauerint, §. 6. Si Infideles ad Fidem Christi transire impediuerint, §. 7. Si Hæreticum scienter receptauerint, vel ei auxilium dederint, §. 8. Si libros hæreticos, vel Thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos tenuerint, §. 9. Si Hostiam salutarem, aut Crucem, & similia, vel Christianos deriserint, §. 10. Si nutrices Christianas retinuerint, vel easdem ab hac die, qua Eucharistiæ Sacramentum sumpserint lac in latrinas effundere coegerint, § 11. Contra Iudęos, & Infideles quoscumque hic Pont. in suis locis Inquisitores delegat Iudices, qui in prædictis acriter illos puniant. § 12. Huiusq; legis publicatio, in locis cuique subiectis fiat, §. 13. Et ita, & non aliter iudicetur, §. 14. Quibuscumque non obstantibus, §. 15.

Schol. primum.

Quæro. Num etiam iure veteri in prædictis procedere poterant Inquisitores?

RESP. Potuisse egregiè quidem post antiquiores probat Eymeric. in Director. Inquis. par. 2. quæst. 46. num. 1. & seqq. & sequitur Pegna in Comment. 71. vers. si ergo, & comment. 69. vers. Tertium est. pag. mihi 358.

Schol. secundum.

Quæro. Contra hos Iudæos, & Infideles admittuntur ne per inquisitores, testes Iudæi pariter, & Infideles?

RESP. Admitti etiam aduersus Christianos, ne hæresis crimen remaneat impunitum, & sic multo magis aduersus Iudęos, & Infideles, scribit Pegna in d. Director. Inquis. p. 2. Comment. 13. vers. Neque hoc solum, & seqq. pag. mihi 108. vbi in specie de hac Gregorij constit. meminit in vers. Verumtamen.

LXXI.

Edita Anno 1581.

CVm sicut accepimus, & infra, pagina 453. Bullarij.

COMPENDIVM.

Furnarios Vrbis, pro pretio panis, in causis discussionũ, cæteris creditoribus præferri decernit, §. 1. Omnesq; Iudices in dictis eorum causis, manu regia procedere posse, §. 2. Obstantia omnia remouet, §. 3. Fidem transumptis huius indulti dari iubet, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Panis appellatione, de quo in princ. num Furnarij intelligent etiam de frumento?

RESP. Non, quia communis vsus loquen. est attendendus, & strictior est significatio frumenti, quam panis Bart. in l. 1. C. de Frum. Vrb. Constantinop. vers. Quæro vtrum lib. 11. Corset. in sing. 123. in verbo, frumentum.

Schol. secundum.

Quæro. Manus regia, de qua loquitur in §. 2. quo primum tempore vires habuit?

RESP. Quando Romulus I. Romanorum Rex, sine certa lege, & sine iure, Populum regebat, ipseq; manu sua controuersias decidebat, antequam Curiæ ad eodem Romulo introducerentur, l. 2. ff. de Orig. iur. & tradit Cauale. de Brach. reg. p. 1. n. 38. necnon Marta de Clausul. in claus. 71. Manu regia, nouissime impressus. pag. mihi 86.

LXXII.

Edita Anno 1582.

OMnipotens Deus, & infra, pagina 454. Bullar.

COMPENDIVM.

Quia ad Collegium Anglicanum, quod Rhemis est, ex Anglia, & finitimis locis hæreticorum furore dispersi, se recipiunt, & præsidium ad hoc ei ab isto Pontifice comparatum ad tantam multitudinem sustentandam, satis non est, §. 1. Hortatur Christi fideles ad ei pias eleemosynas subministran. §. 2. Prælatis, vt hęc Populis promulgent, & eleemosynarum collectioni, lucro, & fraude cessante, studeant, præcipit d. §. 2. Principes quoque ad hanc piam eleemosynarum subuentionem hic idem Pont. hortatur, §. 3. Huiusq; diplomatis transumptis credi iubet, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Num eleemosynis peccata redimuntur?

RESP. Hunc, & alios admirabiles effectus eleemosyna operatur, quos sacra Scriptura testatur in pluribus locis, quorum aliquos compendiosè recenset ex recentioribus Leon. in Thesaur. for. Eccles. p. 4. c. 2. nu. 153. & Iul. Fusc. in suo, quem edidit, libello, de Fructib. Eleemosyn.

Schol. secundum.

Quæro. Vt in quærendis eleemosynis fraus cesset, & lucrum, vt dicitur in §. 2. quid Ordinarij præcauere debent?

RESP. Attendant statuta ab Innocen. III. in cap. Cum ex eo 14. de Pœnit. & remission. & Clem. V. in

clem.

elem. 1. eod. tit. necnon à Concilio Triden. sess. 21. cap. 9. de Reformat.

LXXIII.

Edita Anno 1582.

Romani Pontificis prouidentia, & infra, pagina 455. Bullar.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum, etsi quæstus prohibuit, non tamen eleemosynas colligi vetuit, §. 1. Hic modò Pont. Ordini Fratrum S. Antonij Viennen. pro eorum Hospitalib. petere, & assequi posse, decernit. §. 2. Ordinarijsq. prædicationem, & huius indulti executionem demandat, §. 3. Contraria illi non obstare decernit, §. 4. Formã colligendi eleemosynas præscribit, §. 5. Eam non seruantibus, pœnas indicit, §. 6. Transumptis huius constitutionis fidem præstari indulget, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid eadem die, qua isti Fratres eleemosynas quærunt, possint etiam alij Ordines Mendicantium eleemosynas quærere?

RESP. Nouissimè inter alios tamen Mendicantium Ordines, affirmatiuè resolutum fuit, vt ex infrascripto decreto clarè liquet.

SACRA Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotijs; & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, censuit, Fratres Discalceatos non esse molestandos, neque impediri posse, in quæstuatione eleemosynarum, non obstante quòd alij Fratres Mendicantes eadē die eleemosynas quærere soleant, qua isti quærunt. Et ita decreuit, ac ab omnibus Regularibus Mendicantibus; & præsertim à Fratribus S. Francisci de obseruantia, obseruari, & exequi mandat. Romæ 9. Ianuarij 1608.

A. M. CARD. GALLVS.

Quæro. Quæ seruanda, & vitanda sunt ab istis Quæstoribus?

RESP. Eleganter de Quæstoribus S. Antonij loquens, explicat Soccin. in tract. de Oblat. in vlt. libello, & Rosell. de Indulg. n. 92. necnon Panuin. de Visitat. pat. 2. q. 8. n. 15. & seqq. Et habemus iura expressa in c. Cum ex eo 14. de Pœnit. & remissionibus, & in clem. 2. eod. tit. & in c. Tuarum 11. de Priuileg.

LXXIV.

Edita Anno 1582.

INter grauissimas, & infra, pagina 456. *Item.* Cupientes pro, & infra, pag. 457. Bullar.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum Papæ remisit curam restituendi Breuiarium, §. 1. In eo præcipuè duo continentur, Primum pertinet ad Preces, Laudesq. diuinas Festis, profestisq. diebus persoluendas. Alterum ad annuos Paschatis, Festorumque ex eo pendentium recursus Solis, & Lunæ motu metiendos, §. 2. Illud primum in sua constit. 64. de qua supra pag. 53. Pius V. absoluit, §. 3. Secundum autem non fuit vsque modò executum, ideoque hic Pontifex quodam libro per Antonium Lilium Artium, & Medicinæ doctorem pro Calendarij emendatione habito, peritissimos viros eidem deputauit, § 4. & 5. Exinde præhabito Principum assensu, infrascripta tria peragen. coguer. §. 6. Vernum æquinoctium ad diem 21. Martij restituit, § 7. Et ludices dierum propterea subtractorum rationem, habere, decernit, §. 8. Et vt dictum æquinoctium perdurer certum ordinem, subtrahēdo decem dies inclusiuè à tertia Nonarum, vsque ad pridie Idus eximantur in mense Octobris 1582. §. 9. Cyclumque Epactarum substituit, in Cal. loco aurei numeri, §. 10. Cyclum solarem antiquum; ad nostram, & quamcumque intercalādi rationem accōmodatum, §. 11. Calendarium exinde sic restitutum approbat, omnesque eo vti præcipit, § 12. & seqq. Principes hortatur, vt illud recipiant, & obseruari faciant, §. 15. His, qui de Mense Octobris 1582. illud non seruare cœperunt, declarationem apponit, vt transitus fiat à die decimo ad diē 21. Februarij 1583. & hoc pacto nulla amplius erit discrepantia in Festorum tàm mobilium, quàm fixorum celebratione, in const. sub seq.

Schol. primum.

Quæro. Ante hanc Calendarij approbationem, quo tēpore hic Pont. illud absoluerat?

RESP. Hoc opus sanè vtile, & memorabile ipse persoluit, anno 1581. Cal. Martij ita scribit Ciacon. in vita huius Pont. vers. Calendarium pag. mihi 1221.

Schol. secundum.

Quæro. In §. 1. subseq. constitut. videtur posita Calendarij correctio anno 1583. Quid ergo dicen. erat, si correctio fieri contingebat anno 1584.?

RESP. Si quid vltra decreta in d. §. 1. desiderabatur, ex libercula super dicti Calendarij restitutionis norma, de qua in his Bullis agitur, à supradicto Antonio Venetijs edito, accipien. fuisse arbitror pagina mihi 5. vers. Si verò correctio instituatur anno 1584.

LXXV.

Edita Anno 1582.

EXponi nobis nuper, & infra, pagina 457. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concedit Presbyteris Confessarijs Societatis IESV, per Generalem Præpositum, vel ei subordinatos Superiores, de eius licentia designandis, & per locorum Ordinarios approbandis, etiamsi Magisterij, doctoratus, vel alijs gradibus non sint insigniti, facultatem literas sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ, etiam Magistris in Theologia, vel iure canonico doctoribus directas in foro conscientiæ aperiendi, & confessionibus ad eos recurrentium auditis, in illis contenta exequendi, §. 1. Derogat omnibus contrarijs, §. 2. Et huius constitutionis transumptis fidem dari mandat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Si Confessarij prædictæ Societatis essent idonei, & ab Ordinario approbati, non tamen à Præposito designati, possent ne hac vti facultate?

RESP. Non, quia à Papa illa designatio pro forma requiritur, vt ad tantum negotium non simpliciter idonei sed & docti à Superioribus, quibus bene cogniti sunt, designentur, ita aduertit Collector Compendij priuilegiorum Societatis IESV, in tit. Confessarius. §. 3. & refert Rodetic. de Quæstion. Reg. rom. 1. quæst. 63. art. 8.

Schol. secundum.

Quæro. Pro hisce Pœnitentiariæ literis, quid persoluitur?

RESP. Nihil, quia dat omnia gratis, Sarnens. in Reg. Canc. de Non iudic. iuxta form. supplic. quæst. 14. pag. mihi 80. Paris. de Confident. quæst. 60. num. 51.

LXXVI.

Edita Anno 1582.

APostolicæ Sedis, & infra, pag. 458. *Item.* Ex debito, & infra, pag. 459. Bullar.

COMPENDIVM.

Refert totale gubernium Collegiorum Societatis IESV bonorumque temporalium ad ea spectantium, ad ipsius Præpositum generalem, vel ipsam Societatem ex constitutionibus Pauli III. & Iulij III. pertinere, §. 1. Ipsamq. Societatem inter Ordines Mendicantium adnumeratam, illorum priuilegijs in contractibus ineundis gaudere, §. 2. Et hunc Pontif. dicto Præposito, & Societati specialiter con-

conceſſiſſe, facultatem dictis priuilegijs vtendi, contractusq; ſeruato proptio dictæ Societatis modo ineundi, §. 5. Sed tamen iuſtis de cauſis hic idem Pont. eiſdem Societati, & Præpoſito liberam facultatem elargitur omnium locorum, domorum, & Collegiorum bona quæcunque per ſe, vel per alium, vendendi, affictandi, permutandi, & alienandi, cenſuſq; redimibiles vendendi, necnon compromittendi, & tranſigendi, actioneſque cedendi abſque alia Sedis Apoſtolicæ, vel alterius licentia §. 4. & §. 5. & in ſubſequenti Bulla. §. 3. & ſeq. Additq; in Europæ Prouincijs, contractus huiuſmodi ante datam Præpoſito informationem fieri poſſe, ſed dominium, & poſſeſſionem bonorum penes loca bonorum alienatorum remanere, donec ipſe Præpoſitus generalis illos confirmat, vel conſenſum præſtat d. §. 5. In Indijs vero, & alijs extra Europam regionibus dictam confirmationem Prouincialibus, aut Viceprouincialibus, Viſitatoribus, ſeu Commiſſarijs, ſimili per eos informatione accepta, idem Præpoſitus committere poſſit d. §. 5. Contractus aliter ineundos hic Pont. irritos declarat d. §. 5. Ineundos autem ſeruatis prædictis approbat, §. 6. Executores deputat. §. 7. & in ſubſeq. Bullæ, §. 7. Contraria remouet, §. 8. Tranſumptis huius Bullæ credi permittit, §. 9. Et ita, & non aliter iudicari poſſe decernit, §. 6. ſubſeq. conſtit.

Schol. primum.

Quæro. Núm data facultate alienandi bona immobilia, comprehendebantur cenſus redimibiles, ſi expreſſa ſpecificatio, de qua hic, facta non eſſet?

RESP. Quicquid alij dicant, veriſſimam puto ſententiam affirmatiuam, quam poſt alios firmat Benedict. Bonius in ſuo tract. de Cenſib. art. 5. per tot. & Oſaſc. in deciſ. 99. num. 49. ac Rota in deciſ. Seraph. 224. in fine.

Schol. ſecundum.

Quæro. Núm comprehendebatur ceſſio iitium?

RESP. Ceſſionem, alienationis eſſe ſpeciem oſtendit Ioan. Andr. in tract. de Ceſſ. action. §. 1. Soccin. conſ. 57. lib. 4. num. 22. Magon. deciſ. Lucceſ. 53. num. 1. pagina mihi. 183.

LXXVII.

Edita Anno 1582.

PIum, & vtile, & infra, pagina 460. *Item*. Cum aliàs fœl. record. & infra, pagina 461. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decreuit Paul. III. perſonas Societatis IESV Idoneas, & ab ipſa Societate approbatas, ab eius generali Præpoſito quibuſcunque Antiſtitibus præſentari, & ſic præſentatos, abſque vlla eorum promiſſione, vel obligatione, ad Ordines promoueri. §. 1. Nonnulli tamen Ordinarij Concilij Trident. ſeſſ. 23. obſeruantiam requirebant, §. 2. Hic ideò Pont. præcipit Epiſcopis, alijſq; Antiſtitibus, vt hos promouendos, qui à Præpoſito ipſo, vel ab eo deligendis licentiam habuerint, quicquam prędictorum requirant, ſed ipſos abſque aliqua functione in Ordinibus ipſis, interſtitiorumq; ad illos ſuſcipiendos obſeruatione, aut inquiſitione de cantu, Officijs, cęremonijs Eccleſiaſticis, idoneitate proprij Ordinarij licentia, & alijs requiſitis, ad minores, ac etiam extra tempora, tribuſque Dominicis, vel alijs diebus Feſtis etiam continuis ad ſacrum etiam presbyteratus Ordinem promoueri, §. 3. Et concedit Prępoſito, quos iudicauerit ab ipſa Societate emittere poſſe, eoſque de illius licentia ad quemuis alium Ordinem patis laxioris, aut ſtrictioris obſeruantiæ ab eodem eis præſcribendum, de conſenſu tamen Superiorum loci, quo deſtinabuntur, demigiare, & profeſſionem emittere, habitumq; ſuſcipere, §. 2. conſtit. ſubſeq. Derogat contrarijs omnibus, §. 3. Huiuſque Bullæ tranſumptis credi mandat. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Priuilegium de quo in §. 1. quod abſque Concilij Tridentini requiſitis perſonæ Societatis IESV ad Ordines promouerentur, nonne reuocatum extitit?

RESP. Aliqui à Six. V. reuocatum dicunt, ſed contrarium verius eſſe probat Roderic. de Quæſtion. Regular. tom. 3. quæſt. 3. art. 23. vbi latè de hoc agit, dicens eam conſtitutionem non loqui de Clericis Regularibus. Quod Roderici dictum mihi videtur clarum, eo, quòd ipſe Sixtus ibidem excepit caſum, quo aliquem quis ſine authoritate Apoſtolica ad ordines eo modo promoueat, & in iſta Gregorij Bulla, hæc authoritas habetur.

Schol. ſecundum.

Quæro. Vbi prędictam Sixt. V. conſtitutionem habere poterò?

RESP. Habetur infra inter ipſius Sixt. V. conſtitutiones in ordine 91.

LXXVIII.

Edita Anno 1582.

AD tollĕdum deteſtabilem duellorum vſum, & infra, pagina 461. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 19. pugnantes in duello, locum concedentes, patrinos, ſuadentes, & conſulentes, atque ſpectatores grauiſſimis pœnis innodauit, §. 1. Quam ſanctionem hic Pont. ad duella etiam priuatim ex condicto commiſſa extendit §. 2. Quibuſcunque non obſtan. §. 3. Alias conſtitutiones in ſuo robore durare decernit, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Concilium ergo Tridentinum non ſe extendebat ad ſingularia certamina, ſeu duella priuatim cōmiſſa?

RESP. Non; ſiquidem cum Concilij ſanctio ſit pœnalis, & de duellis loquatur, intelligen. erat de illis certaminibus, in quibus duelli forma ſeruatur, nempè loci deſtinatio, armorum præfixio, patrinorumq; & ſpectatorum conſtitutio, ita tenet Nauar. conſ. 2. incip. Pius. lib. 5. de Purg. vulg. num. 1. & 4. Diaz. in Pract. Canon. crim. cap. 104. de Duellum ſpontè alijs offerent. pagina mihi 360. ſecundùm impreſſionem Moguntiæ, ac Farinac. conſ. 9. lib. 1. num. 10. 13 18. 19. & 21. & ſubdit nu. 34. quòd cum ita Romæ à Gubernatore illius eſſet iudicatum, ad fauorem quorumdam Piſanorum, qui priuatim duellauerāt, hic Pont. iſtam edidit conſtitutionem.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quæ erant alia, quæ indicat Diaz, adhiberi conſueta?

RESP. Perlege Petrum Greg. part. 3. Syntagm. Iur. cap. 48. num. 10. vbi multa poſt alios recenſet, variaſque ſpecies, nec non, & cauſas duelli refert. Aliqua etiam ſcribit Matth. in addit. ad Guidop. deciſ. 117. & plura deducit Farinac. d. conſ. 9. ferè per totum.

LXXIX.

Edita Anno 1582.

VNiuerſi Orbis Eccleſijs eo diſponente, & infra, pagina 462. Bullarij.

COMPENDIVM.

Erigit in Archiepiſcopatum, Eccleſiam Ciuitatis Bononiæ Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectam, §. 1. & ſeqq. Archiepiſcopo pallij, & Crucis vſum, Archiepiſcoporum more habere, alijſque inſignijs Archiepiſcopalibus, ac honoribus, ac priuilegijs, necnon prærogatiuis alijs Archiepiſcopis debitis, & conceſſis, gaudere decernit, d. §. 3. Placentiuamque Parmenſem, Regienſem, Mutinen. Imolen. Ceruien. & Cæmen. Eccleſias, earumque Diœceſes cum Clero, & beneficijs, ei ſubijcit, §. 4. Earum etiam Epiſcopos huius Archiepiſcopi ſuffraganeos conſtituit, §. 5. Et ita, & non aliter iudicari decernit, §. 6. Contrarijs omnibus derogat, §. 6. Sanctionemque pœnalem apponit. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Quid eſt quod fertur huius Archiepiſcopatus limites fuiſſe poſtea reſtrictos?

RESP. Clemens VIII. Eccleſias Imolen. & Cerniens reſti-

restituit Ecclesiæ Rauennatensi infra in sua constitut.116. quam in rubr. huius Bullæ Genitor meus indicauit: Quo verò ad Ecclesias Regij, Mutinæ, Ferrariæ, Parmæ, ac Placentiæ, hanc Gregorij constitutionem effectum non habuisse scribit in specie Tusc.in conclus. 120.num. 103. in verb. Bononia.

Schol.secundum.

Quæro. Quanta est authoritas Archiepiscopi in suffraneos suos, vltra ea, quæ hic habentur in §.3.?

RESP. Non scholio, vel adnotatioriuncula, sed tractatu opus esset, quem cum in adnotationibus ad hanc Gregorij constitutionem edidetat Quaranta in Summa quarūdam Bullarum anno 1609. Venetijs impresso pag. mihi 42. in fine in verb. Archiepiscopi, illum perlege.

LXXX.

Edita Anno 1583.

EXposcit debitum, & infra pag. 463. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum Abbatissæ, vel Præfectæ perpetuæ Monialium S. Benedicti, Cisterciēn, Carthusiēn, & aliorum Ordinum in Italia, & præsertim in vtriusque Siciliæ Regnis vacare contigerit, alias ad triennium tantùm, à Conuentu cuiusque Monasterij, & aliàs iuxta decreta Concilij Tridentini, & regularia suorum Ordinum instituta, eligi decernit, §. 1. & 2. Superioribus Monialium, sic & non aliter eligi posse declarat, §. 3. & 4. Contrarijs derogat, §. 5. Transumptisq; huius constitutionis fidem adhiberi mandat, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Nùm magis expediens fuisset, electio Abbatissarum perpetua?

RESP. Multa super hoc articulo Nauar. adducit in cap.Nullam 9.caus.18.quæst.2. & Roderic.tom.1. Quæstion.Reg.in quæst. 16.artic.1.vbi in fine rationem refert, ob quam Sedes Apostolica in aliquot Religionibus electionem Superiorum temporalem esse censuit.

Schol. secundum.

Quæro. Electæ autem, nùm etiam confirmandæ, & benedicendæ?

RESP. Vtrumque verum esse pro certo supponitur in clem.2.§.Statuimus de Statu Monachor. dum ibi dispo nitur, eas benedici debere intra annum suæ confirmationis, tradunt Panorm. Felyn & alij in cap. Meminimus.13. in princ.de Accusat. & Zabar. in d.§.Statuimus in princ. & quæst. 12. in fine eas ipso iure priuari dicunt, nisi benedicantur infra annum.

LXXXI.

Edita Anno . . .

COnsueuerunt Rom. Pontt., & infra, pag. 464. Bullar.

COMPENDIVM.

Anathematizat (antiquum prædecessorum morem sequendo) quoscumque hæreticos, eorum fautores, libros; legentes, ac omnes schismaticos, §. 1. Appellantesque à Papa, ad futurum Concilium, §.2. Pyratas, & Latrunculos maritimos, eorumq, auxiliatores, §.3. Naufragorum bona capientes, §.4. Noua pedagia, absque potestate, imponentes, §.5 Falsificantes literas Apostolicas, aut falsò fabricantes, §.6. Arma, & similia ad Infideles deferentes, aut concernentia statum Reipublicæ Christianæ eisdem nonciantes, §.7. Victualia, & alia ad Vrbem deferentium perturbatores, eorumq; fautores. § 8. Peregrinorum, & aliorum ad Sedem Apostolicam venientium offensores, §.9. Commorantium in Curia absque iurisdictione perturbatores, §. 10. Cardinalium, & aliorum Prælatorum offensores, & eorum auxiliatores. §. 11. Offen dentes eos, qui ad Romanam Curiam recurrunt, Procuratoresq; eorum, §.12. Impedientes executionem literarum Apostolicarum, & recursum ad Sedem Apostolicam, §.13. Auocantes causas Ecclesiasticas, à Iudicibus Ecclesiasticis, & eorum fautores, §.14. Trahentes ad sæcularia Tribunalia, præter iuris dispositionē, personas Ecclesiasticas, vel Ecclesiasticam libertatem lædentes, §.15. Impedientes iurisdictionem Iudicum Ecclesiasticorum, & eorum fautores, §.16. Vsurpantes iurisdictiones, & prouentus ad Sedem Apostolicam, & personas Ecclesiasticas ratione Ecclesiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, vel eos sequestrantes, §.17. Imponētes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, vel Ecclesijs, & eorum fructibus, absque licentia Papæ, §.18. Iudices sæculares se interponentes in causis criminalibus, contra personas Ecclesiasticas, §. 19. Occupantes loca S. R. E. aut in illis iurisdictionem vsurpantes, eorumq; fautores, §.20. Raptores bonorum Cameræ Apostolicæ, §.21. Hæc Bulla durat quousque alia similis publicetur, §.22. Absolutio Papæ reseruatur, §.23. Alij si absoluunt, excommunicantur, §.24. Absolutio Papæ quos comprehendat, §.25. Cōtrarijs quibuscumque derogatot, §.26. Publicatio Romæ omnes ligat, §.27. Publicatio ab Ordinarijs fienda singulis annis, §.28. Confessarij teneant omnes hanc Bullam, § 29.

Schol. primum.

Quæro. Iurisdictio, cuius vsurpatio interdicitur in §.17. habet ne locum, etiam in iurisdictione sæculari?

RESP. Vtique, si iurisdictio sæcularis spectat ad personam Ecclesiasticam ratione dignitatis Ecclesiasticæ, quoniam in his terminis, hæc Bulla generaliter loquitur de eiusmodi iurisdictione, Nauarr. in cons. 32. de Senten. Excommunic. num. 1. & seq. iuxta impressionem Brixiæ incipiēn. Prætor, & Magistratus, necnon Vgolin. (licèt de eo non faciat mentionem) de Censur. Pontif. reseruat. par. 2. cap.17.§.1. vers. Item excommunicatio. pag. mihi 404.

Schol. secundum.

Quæro. Vtrum hæc Bulla, vel similis excommunicationis pœnam continens, liget cathecumenum?

RESP. Non ligat, quia non baptizatus, non subest iurisdictioni spirituali Ecclesiæ, neque ad Ecclesiæ communionem receptus. Et ideo non potest excommunicari, idest extra Ecclesiæ communionem poni, secundùm D.Tho. in 3.par.dist.18.q.2.ar.3.q.3. Nauar. in terminis huius Bullæ sic tenet in Manual.Conf.c.27.num.13.& in Comment. de Iubil.notab.31.n.84. vbi hanc doctrinā communiter receptam esse inquit, & pariter in Comment. eiusdem Bullę sequitur Vgolin. de Censur. Pont. reseruat. par. 1. c. 9. nu. 3.

LXXXII.

COntrouersia inter venerabilem Fratrem nostrum, & infra, pag. 466. Bullar.

Edita Anno 1583

COMPENDIVM.

Episcopus Mileuitanus ob eius ad Episcopatum promotionem, & nitriens consecrationem prætendebat quādam Præceptoriam, seu Prioratū, quem obtinebat Hospitale S. Ioannis Hierosolymitani, non vacasse, sed vti eius prædium, & non vt beneficium possidere posse. Michael autem Palentrifi illam, siue illum impetrauerat, vnde lis, & causa desuper orta fuit ab isto Pontif. commissa Aud. Cam. qui pro Michaele pronunciauit, §. 1. Hic Pont. dictam retentionam non licuisse Episcopo absque Sedis Apostolicæ dispensatione, ideoq; dictam sententiam iustam fuisse declarat, & approbat, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Vacatio ob eiusmodi promotionem, & adeptionem pacificæ possessionis, nonne iure communi inducebatur?

RESP. Ita dispositum erat in cap. Com in cunctis. 7. §. Cum vero. de Elect. Rota in decis. 37. Achill. & in decis. 110. Seraphin. onm. 1. & seq. in Nouis.

Schol. secundum.

Quæro. Cur Præceptoriam non reputabat iile Episcopus, beneficium Ecclesiasticum, sed prædium, vt in §. 1.?

RESP. Quia beneficiorum appellatione, credebat non ve-

venire Hospitale, siue eius Præceptoriam, ad glos.in clem. 2. in verb. Beneficijs. de Elect. Sed contrarium verius dici debebat, vt latè habetur apud Gonzal. super reg.8. Cancell.glos.8.num.62.& seqq.pag.mihi 238.

LXXXIII.

Edita Anno 1583.

DOminicum gregem, & infra, pagina 467. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vt de cætero Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini, idonei tantùm, & indecenti numero, ad Magisterij, & Doctoratus in Theologia gradum promoueantur, & ambitus in eis promouendis remoueatur, vetuit Priorem generalem dicti Ordinis, & ipsum Capitulum generale cuiuscumque priuilegij vigore, illos promouere, nisi singulis sex annis in Capitulis generalibus, coram Diffinitoribus, & in ipso Diffinitorio, & non vltra, duos ex singulis Italiæ Prouincijs, & Congregationibus, certis modo, & forma eligeo. §.1. & seqq. Priuilegia desuper concessa omnia reuocat, §.5. Executores deputat, §.6. Contrarijsque derogat, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Cur isti Religiosi ita intendere debent, vt Theologiæ gradum consequantur?

R E S P. Quoniam cum illa sit omnium scientiarum suprema, & omnes scientiæ ancillentur eidem, sui nobilitate, altitudine, & profunditate, longo tempore eam addiscere opus est cap. fin. §. Quia vero, & ibi Scribb. Ne Cleric.vel Monach. Bald.cons.51. lib.5. incip. Libertis.num.1. & Barr. Spin. de Præemin. sacræ Theolog. cap.3. per tot.

Schol. secundum.

Quæro. Reuocatio eiusmodi priuilegiorum, de qua in §.5.nùm fauorabilis?

R E S P. Ita sanè, quia ad bonum publicum prohibiti ambitus, & perfecti Theologorum examinis est inducta, Alex. cons.155. lib.6. num.13. Afflict. decis.392. num. 6. Maximè quòd habet clausulas derogatorias secundùm Alex.vbi sup.

LXXXIIII.

Edita Anno 1583.

EXposcit, & infra, pagina 469. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia nonnullæ extabant lites, inter Fratres Mendicantes, & Confraternitates Laicorum, super præcedentia, eas extinguit, §.1. Et in processionibus eos, vel eas præcedere decernit, qui, vel quæ, sunt in possessione præcedendi, & vbi de einsmodi possessione non constat, Fratres Mendicantes in loco antiquiores, & Confraternitates, quę prius saccis vsæ sunt, §.2. Prærogatiuas Ordinum circa præcedentias, in alijs actibus præseruat, §.3. Et Fratres Capuccinos, sub Cruce Fratrum Conuentualium, aut Fratrum de Obseruantia (vt solent) incedere posse permittit, §.4. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §. 5. Contrarijs derogat, §.6. Transumptisq; credi iubet, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Si Confraternitas, quæ prius quàm altera saccis vsa est, ad processionem accederet sine sacco, nùm præcedentiæ prærogatiua gaudebit?

R E S P. Non, siquidem præeminentiam obtinere volens habitum suo gradui conuenientem gestare debet Butr. in cap.1. per illum tex. de Auth. & vsu pall. num.7. quem citat ad hoc Præposit. in cap. Concilia. 7. §. Episcopos distin.17. num.3. & alios allegat Gratian. in Discept.forens. cap.298.sub nù.65.

Schol. secundum.

Quæro. Quid est quod fertur in Regnis quibusdam Hispaniarum, hanc Bullam non fuisse vsu receptam?

R E S P. Sic scribit Rod.to.3.Quæstion.Reg.quęst.37. art.4.in vltimis verbis. Idq; verù esse suadetur ex eo, quod post hanc editam constitutionem Gregorianam, varias controuersias super eiusmodi præcedentia ortas fuisse enarrat Clem. VIII.infra in sua const.13. in eius exordio.

LXXXV.

Edita Anno 1584.

HVmano vix iudicio, & infra, pagina 469. Bullar.

COMPENDIVM.

Omnes, & quascumque resignationes beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam ex causa permutationis, & Commendæ, & etiam literis Apostolicis non confectis, & possessione non habita, necnon litis, & iurium cessiones, & retrocessiones deinceps in Papæ manibus, sinè temporales, siuè perpetuas fiendas cum literis Apostolicis publicari mandat intra sex menses, si beneficium citra Montes fuerit; vltra verò, intra nonem à data concessionis gratiæ, §.1. Publicationem in Cathedrali, & in beneficij Ecclesia, si in pluribus illud sit, vbique fieri, dum frequens populus ad Missarum solemnia conuenerit, palàm omnibus literas Apostolicas, earumvè transumptum specificatis omnibus qualitatibus exhiberi iubet, §.2. Si verò beneficij Ecclesia sit ruralis, aut populo, Conuentusq; careat, eo casu in parochiali, intra cuius limites illud sit, & in Cathedrali Ecclesia. Vel si locus manifestis periculis subiaceat, tunc in proxima parochiali, ac etiam in Cathedrali, vel si aditus ad illas, aut vtramuis minimè sit securus, in alia Cathedrali, aut parochiali viciniori, periculorum immuni, publicationem fieri iubet d.§. 2. Eum quoque, in quem disponi contigerit, intra dictum tempus possessionem beneficij capere vigore literarum Apostolicarum, in casu impedimenti, saltem literas Apostolicas Iudici, seu Executori illarum intra idem tempus præsentare debere iubet, §.3. Et specificè, & non per æquipollens hanc publicationem seruari iubet, §. 4. Aliòquin eas resignationes, & cessiones irritat, §.5. Et declarat quòd in causa litigiosi procedi possit contra cedentem, donec successor venerit ad causam, §. 6. In casu resignationis beneficiorum in manibus Ordinariorum collatorum vniuersum negotium admissionis, vel reiectionis, resignationis, & prouisionis iuxta Apostolicas, & alias sanctiones, omnino absolui præcipit, §.7. Et sic prouisum, intra sex menses à die sibi factæ prouisionis illam publicare, & beneficij possessionem capere, aliàs illam nullam, & illud vacare decernit d.§.7. Ordinariosq; & alios si prædicta non perfecerint ea vice potestate disponendi de illis beneficijs priuatos, & dispositionem ad Sedem Apostolicam deuolutam pronunciat, §.8. Decretum irritans apponit, §.9. Contrarijs omnibus derogat, §.10. Exemplisq; credi mandat, §.11.

Schol. primum.

Quæro. Lex ista comprehendit forsan beneficia etiam iurispatronatus?

R E S P. Comprehendere censuit Rota in decis.Seraph. 1289.n.5.in Nouis.

Schol. secundum.

Quæro. Quid de permutatione beneficiorum?

R E S P. Idem respondetur, cum permutatio sit vera resignatio, Rota decis.16.de Rer.permut.in Antiq. Et multa ad hoc considerauit Gomez. in Reg. Cancellar. de Public. quæst.3.num.2.& seq. & Rebuff.in d.Regula glos.3.num. 2. & de communi Paris. de Resignat.Benef. lib.12. quæst. 15.num.29.

LXXXVI.

Edita Anno 1584.

CVm interna quies, & infra, pagina 471. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Fratrum Eremitarum Eremi Camaldulen. personæ,

næ, deserti loca petunt pro habenda interna eorum quiete, & illa perturbari solet, cum illi ad suscipiendos sacros Ordines foras exeunt, ideò hic Pont. Maiori dicti Eremi, vt quattuor eis Ordines minores, necnon Cardinalibus ad illud accedentibus, si Episcopi fuerint, & sacros etiam presbyteratus Ordines, etiam extra tempora à iure statuta, & non seruatis interstitijs, dummodo ipsi Maiori idonei videantur, conferri valeant, facultatem tribuit, §. 1. Quibuscunque contrarijs derogat, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Nùnquid aliquis ex antiquioribus Eremitis diù, strictéq; latere voluit?

RESP. Priori in Eremo Scythica Aegypti, post annos quinquaginta vix aspici se à sorore, idq; parum perpessus est, ita scribit Zozomenus lib. 6. cap. 29.

Schol. secundum.

Quæro. Quid de SS. Antonio, & Paulo Primo Eremita, circumfertur?

RESP. *S. Antonius sumebat panem, salem, & paululum aquæ, panc per tectum immisso bis in anno, neque ab eo quidem, qui immittebat, vel alio colloquium vnquam, aut vllum cum eo, aut cum aliquo alio colloquium miscens, eratq; ad ipsum aditus lapidibus obstructus, eamque rationem per totos viginti annos tenuit*. Hæc Athanasius in vita ipsius D. Antonij. De Paulo autem primo Eremita hæc habet D. Hieronym. in vita illius, *Tahlum* (scribit) *ætatis suæ anno 16. Eremum petentem, in eo totam vitam traduxisse, à nemine interim, nisi à D. Antonio sui obitus tempore vnquam conspectum*.

LXXXVII.

Edita Anno 1584. **S**Ancta Mater Ecclesia, & infra, pagina 471. Bullarij.

COMPENDIVM.

S. Annæ, quæ magna in humanum genus præstitit beneficia, & ex qua MARIA semper Virgo nata est, Festiuitatem die 26. mensis Iulij quotannis per totius Orbis Ecclesias, duplici Officio coli iubet, §. 1. Hancque legem vbique publicari præcipit, & obseruari, §. 2. Eiusque transumptis fidem adhiberi, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Nùnquid peruetustus fuit S. Annæ cultus?

RESP. Tàm in Orientali, quàm in Occidentali Ecclesia sic fuisse, ex multis constare censuit Baron. in suo Martyrolog. prædicta die 26. Iulij pag. mihi 409. & seq. vbi multos commemorat authores, quibus accedat Petrus Dorlãdus Ordinis Carthusien. Theuto, qui vitam D. Annæ conscripsit impressam post opus Landulphi Saxonis Carthusien. de vita CHRISTI in cap. 7. circa finem pag. mihi 763. hæc habet. *Ecclesia olim iam eius recoluit memoriam, quia ad nouum testamentum idcirco pertinere visa est, quia iam præsentem* CHRISTVM *Saluatorem agnouit.*

Schol. secundum.

Quæro. Annæ nomen, quid sonat?

RESP. Idem quod gratia. Vnde Damascenus lib. 4. de Fide inquit, *Gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam partiid etenim Mariæ nomine significatur*. Hęc habet Carthagen. Suar. Homiliar. lib. 2. Homil. 8. pagina mihi 159. col. 1.

LXXXVIII.

Edita Anno 1584. **C**Vm aliàs fœl. record. Paulus Papa III. & infra, pagina 472. Bullarij.

Paulus III. in sua const. 45. de qua sup. pag. 131. t. 1. statuit libros mercatorum Ripæ Vrbis, cum libris Proxenetarum eiusdem Ripæ concordantes ad proban. eorum credita, habere eamdem executionem, quàm habent obligationes in forma Cameræ Apostolicæ contra omnes etiam S. R. E. Cardinales in procem. Hic Pont. id ampliat procedere, etiam contra Mulieres coniugatas tàm per se, quàm cum earum viris, & absque illis in dictis libris descriptas, §. 1. Et sic, & non aliter iudicari mandat, §. 1. Quæcunque contraria non obstare decernit, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Contra hos Mercatores poterit ne mulier in dicta forma Cameræ obligata excipere, non solùm de vera solutione, sed etiam quod illa solutio cedat in duriorem causam sui debiti?

RESP. Poterit, quia an cedat in duriorem causam pendet à præsumptione iuris, quæ est liquidissima probatio, retardans omnem obligationem, etiam Cameralem Gallesi. io suo tract. de Oblig. Camer. par. 1. quæst. 3. nu. 4. & part. 4. quæst. 1. num. 5. & Rota in decis. Robuster. 92. part. 1. Diuersor. num. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Mercatores autem habentes plures minores, vel mulieres obligatas, nùm poterunt omissa executione facta, vnum ex illis conuenire?

RESP. Vtique poterunt, quia hoc patet ex lectura clausulæ obligationis Cameralis, vt legitur in formula eiusmodi obligationis, & in Curia id notissimum dixit Rota in decis. Seraph. 1107. nu. 3.

LXXXIX.

AScendente Domino, & infra, pagina 472. Bullarij. Edita Anno 1584.

COMPENDIVM.

Paulus III. & Iul. III. laudabile Societatis IESV institutum confirmarunt, §. 1. & 2. Idem Paulus ab Ordinariorum iurisdictione eximit, §. 3. Pius V. inter Mendicantes adnumerauit, §. 4. Societatis finis præcipuus est, Christianæ Religionis defensio, & propagatio, §. 5. Eius constitutionibus cauetur, Nouitios biennio probari, & deinde ad vota substantialia simplicia admitti, §. 6. Postea veluti Scholares, vel Coadiutores temporales non formatos, cooptati in Societate, retinendos quamdiu Præpositus generalis voluerit, §. 7. Coadiutores isti ad tria vota admittutur simplicia, & in gradum Coadiutorum temporalium formatorum recipiuntur, §. 8. Scholares absolutis studijs alium peragunt annum probationis, & in prædicationibus, & alijs Societatis ministerijs tàmdiu probantur, quàmdiu Præposito plenè satisfecerint, §. 9. Ex eis, qui ad quattuor votorum professionem admittendi sint Præfecti iudicio relinquitur, §. 10. Admissi sunt incapaces hæreditariæ successionis, §. 11. Votumque obedientiæ erga Papam emittunt, §. 12. Et alia vota simplicia, §. 13. Discedentes postea à Societate, apostatæ censentur, §. 14. Omnes post Nouitiatum, & emissa vota simplicia, in communi viuunt, §. 15. Paupertatem seruant, licèt non professi dominium bonorum retineant, §. 16. Veri sunt Religiosi, & ordinis priuilegijs gaudent, §. 17. Dubia quædam in contrarium excitata Pontifex remouet, §. 18. & 19. Tria illa vota simplicia esse verè substantialia declarat, §. 20. Eaque emittentes, veros esse Religiosos, §. 21. Discedentesque, à Religione, apostatas esse decernit §. 22. Contradictiones excitatas, temerarias pronunciat, §. 23. Institutumque huius Societatis impugnari prohibet, §. 24. Dubiorumque declarationem, Præposito reseruat, §. 25. Extra iudicari mandat, §. 26. Obseruantiam huius legis præcipit, §. 27. Contrarijs derogat, §. 28. Communicationem harum gratiarum denegat, §. 29. Trãsumptisque huius Bullæ credi mandat. §. 30.

Schol. primum.

Quæro. In primordijs aliarum Religionum iurgia huiusmodi excitata ne fuerunt?

RESP. In Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinum initijs id euenisse accipe ex Alexão. IV. const. 8. de qua supra pag. 22. to. 1. & ab alia, quam citat Roderic. de hac Bulla loquens de Quæst. Regular. tom. 1. quæst. 1. art. 5. &

5. & alijs pluribus relatis in libro Priuilegiorum Prædicator. pag. mihi 39. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Si proprietas est contra essentiam status Regularis, iuxta cap. Cùm ad Monasterium 6. de Stat. Monach. quo pacto isti de Societate IESV sunt Religiosi, si paupertatem non profitentur, quoad proprietatem, & dominium, sed tantummodo quoad vsum, & administrationem in §. 16. & seq.?

RESP. Ex hoc non tollitur, quin Papa potuerit ex legitima præsertim causa dispensare, quoad dominium, vt multis demonstrat Rod. vbi sup. art. 4. per tot. de ista constitut. Gregoriana scribens.

X C.

Edita Anno 1584.

EA, quæ ad prosperos, & infra pagina 476. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia non nulla hic Pont. in eius constit. 17. de qua sup. pagina 85. statuit pro Congregatione Monachorum Eremitarum S. Hieronymi de Obseruantia, quæ emendatione mox indigere dignoscuntur, §. 1. Capitulum ideo generale quolibet triennio cogi iubet, §. 2. Præposito generali decedente, alium eligendi formam præscribit, §. 3. Interim antiquiorem Consultorem, eius vicem gerere mandat, §. 4. Priores cum Procuratoribus singulorum locorum electioni Præpositi, & Diffinitorum interesse indulget, §. 5. Præpositum, & Diffinitores ex Prioribus eligi decernit, §. 6. Priorum aliquo decedente, Præpositus, & Consultores aliquem ex Vicarijs eligere iubet, §. 7. Præpositus electus, Prioratum, quem obtinebat, non amittit, §. 8. Perfuncto Præpositurae officio, per sex annos illud vacet, §. 9. Ambitus omnibus prohibetur, §. 10. Pecunia Cōgregationis particulari Monasterio non applicetur, §. 11. Capitula generalia vbi celebranda, §. 12. Regularis obseruantia in quibus locis retinenda, §. 13. Huius constitutionis obseruantia strictè præcipitur, §. 14. Eiusque publicatio Præposito delegatur, §. 15. Contrarijsq; derogat, §. 16.

Schol. primum.

Quæro. Quibus temporibus, & à quo, ista Congregatio promota fuit?

RESP. Anno 1424. ob frugem melioris vitæ, eam promouit Lupus de Olmeto Frater Monasterij B. MARIAE de Guadalupe Ordinis S. Hieronymi Toletanæ Diœc. vt in quadam Bulla Martini V. habetur, quam tibi indicaui sup. ad Schol. 2. const. 17. huius Greg. XIII.

Schol. secundum.

Quæro. Hoc nomen Monachorum Eremitarum competebat ne antea professoribus prædicti Ordinis S. Hieronymi?

RESP. Ex textu, & verbis eiusdem Bullæ Martini V. & aliarum postea editarum pro dicta Congregatione dignoscitur, professores dicti Ordinis nuncupari Fratres, professores verò huius Congregationis Monachos vocitari.

X C I.

Edita Anno 1584.

HVmana sic ferunt, & infra, pagina 477. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hic Pont. narrat se in Vrbe instituisse Hospitale pro Natione Maronitarum, ad eorum Fidem Catholicam retinen. & augen. §. 1. Annuosque redditus assignasse, §. 2. Modo illud supprimit pro maiori dictæ Nationis vtilitate, §. 3. Collegium eius loco erigit ad Iuuenes eius Nationis bonis artibus, sanaque doctrina instruendos, §. 4. Redditus, & domos assignat, §. 5. Missam, & alia Diuina Officia, Arabico, vel Chaldæo idiomate celebrandi, licentiā concedit d. §. 5. A iurisdictione quorumcunque Ordinariorum, & Iudicum eximit, §. 6. Gabellisque, & pedagijs, §. 7. Priuilegia Studij Almæ Vrbis, & similium Collegiorum in Vrbe institutorum, concedit, § 8. Collegium super his perturbari prohibet, §. 9. Cardinalem eius Protectorē, & Gubernatorem deputat, §. 10. Clausulas præseruatiuas, & derogatorias apponit, §. 11. & seqq.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore Maronitarum Natio, Fidem Catholicam, de qua in §. 1. agnouit?

RESP. Anno 1482. tempore Alex. III. & Innoc. III. quo celebratum fuit Concilium Lateranense, ad quod illorum Patriarcha venit, & ibi plenissimè res spectantes ad hanc Fidem, ritusq; sacros edoctus fuit, ita scribit Baron. in Annal. Eccles. lib. 12. pag. mihi 766. secundum impressionem Romæ.

Schol. secundum.

Quæro. Maronitæ vnde dicti?

RESP. A Marone quodam hæresiarcha, qui vnum intellectum, & vnam operationem, in CHRISTO ponunt, hi abibant iuxta Libyam in Prouincia. Phæniciæ, vt recenset Albertin. in repet. rubr. de Hæretic. in tit. de Septimo errore Iudæorum pag. mihi 373. in 6. sub num. 14. & Baron. vbi supra pag. 765. in fine. Vel à Vico Syriæ Matonia, siue à S. Marone Abbate nomen sumpsisse dici potest secundum Baron. ibid.

X C I I.

Edita Anno 1584.

SAncta Mater Ecclesia, & infra, pag. 479. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iudæis qualibet hebdomada verbum DEI prædicari curent Prælati, in Terris, vbi sunt eorum Synagogæ (non tamen in loco sacro, vel vbi sacra confici solent; per aliquem Magistrum in Theologia, aut alium idoneum virum Hebraicæ, si potest, linguæ peritum, qui Scripturas veteris Testamenti exponat, & de veritate Fidei Christianæ, de eius aduentu, & Incarnatione Filij DEI, illiusque natiuitate, vita, passione, morte, sepultura, & alijs disserat, §. 1. Iudæi maiores annis 12. eiusmodi prædicationi interesse debeant, §. 2. Christiani verò Iudæos à prædicatione seducentes, puniantur, §. 3. Principes faueant Ordinarijs, in prædictis, §. 4. Fidesq. huius cōstitutioni detur, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Pœna, quæ Iudæis imponitur eos eijciendo à Synagoga, cum verum est, quòd maxima erat?

RESP. Apud Iudæos, qui grauiter peccassent Aposynagogi fiebant, idest extra Synagogam eorum eijciebantur: sic apud D. Ioannem Euang. cap. 9. scriptum est, Iudæos decreuisse, vt si quis cōfiteretur Dominum nostrum IESVM esse CHRISTVM, extra Synagogam fieret, quòd maximè timebant Iudæi; Vnde & Dominus prædixit, tāquam pœnam grauem discipulis infligendam, quòd absque Synagoga eos facerent idem D. Io. cap. 10.

Schol. secundum.

Quæro. Hebræi, qui prædicationis verbo edocti, ad Fidem conuersi, Baptismum in Vrbe recipiunt, dicuntur for san illius Ciues?

RESP. Ita sanè, cum generatio naturalis, & regeneratio spiritualis æquiparentur, capit. 4. de Baptism. cum ibi not. & Luc. de Penn. in l. Ciues 7. de Incol. lib. 7. nu. 3. vers. Nam generatio, ac Marquard. de Susan. in suo tract. de Iud. par. 3. cap. 2. num. 13.

X C I I I.

Edita Anno 1584.

INter Apostolicas, & alias canonicas sanctiones, & infra, pag. 480. Bullar.

COMPENDIVM.

Consuetudo erat nonnullis Ecclesijs, quòd non admitteten-

retentur in eis Prælati, neque Canonici, & in Ciuitatibus, & alijs locis non admittantur Officiales, nisi iurent consuetudines, & statuta earum, quamuis clausa, & non scripta, in proœm. Quia tamen in eis reperiuntur illicita, impossibilia, & Ecclesiasticæ libertati contraria, prohibuit scienter illa esse talia, præstare iuramenta, & præstita non seruari voluit, & ignorantibus eadem, ad licita tantum, possibilia, & libertati Ecclesiasticæ non aduersantia teneri. Et ita 10 his iuramentis generaliter præstitis, intelligi debere censuit Nicol. III. §.1. Hic Pont. eius, & aliorum sacras constitutiones super eiusmodi iuramentorum reprobatione editas, etiam quoad præterita, præcipit obseruari, §.2. Prælatis, & alijs ea præstantibus, & exigentibus, vel Concilio Tridentino contraria, pœnas imponit, §.3. Iurantes eadem scienter, omni commodo, pro quo iurauerint, priuat. Ignorantes verò ad obseruantiam non teneri, §.4. Contrarijs derogat, §.5. Transumptis credi mandat, §.6.

Schol. primum.

Quæro: Nunquid etiam iure ciuili hæc obseruantia illiciti statuti prohibita censetur?

RESP. Prohibitam esse constat ex l. Non dubium. §. Cod. de Legibus, & dixit glos. in l. Non videntur. 128. §. Qui iussu, quam communiter DD. sequuntur. ff. de reg. iur. & tradit Roman. conf. 218. Præsens casus. num. 5. nec non Seraphin. de Priuil. iuram. priuil. 59. num. 4.

Schol. secundum.

Quæro. Impossibilia autem, quæ reputantur?

RESP. Quæ de iure, vel absque crimine fieri nō possunt, vel sunt contra bonos mores, vt primū probat Bald. conf. 112. lib. 3. num. 1. vers. Item quòd ista, Et secundum probat in conf. 373, lib. 1. nu. 1. per tex. in l. Filius 15. ff. de Conditionibus institut. & alias impossibilitatis species, vel exempla recenset Sebast. Medic. de Casibus fortuit.

XCIV.

Edita Anno 1584.

INter multiplices animi nostri curas, & infra, pagina 480. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro subuentione Montis Pietatis de Vrbe, & securitate litigantium, statuit, quòd Iudices Vrbis, summas pecuniarum occasione litium actualiter deponendas, supra quantitatem scutorum quinque, deponi faciant in Monte Pietatis, §.1. & 2. Cuius consignatio, ad omne Iudicis mandatum, fiat ab Officialibus Montis, nulla aucta impensa, §.3. Vsum cedularum, ac pignorum tollere non intendit, §.4. Debitores tutè in Monte hoc deponere posse. & debere declarat, §.5. & 6. Iudicibus, & litigantibus, ac Notarijs contrauenientibus pœnas imponit, §.7. 8. & 12. Pro depositorum assecuratione, nedum ipsius Montis, sed etiam eius Depositarij bona obligat, §.10. Et ita, & non aliter iudicari præcipit, §.11. Executorē deputat Camerariū S.R.E. §.13. Eique dat facultatem dubia ib præmissis oriunda, declarandi, §.14. Contrarijs quoque derogat, §.15.

Schol. primum.

Quæro. Quis me edocebit quæ præcipuè agen. sint ad constituen. Montem Pietatis?

RESP. Egregiè Salon. hæc describit in 2. S. Thomæ, quæst. 88. art. 2. de Monte Pietatis per totam post Ioan. Bapt. de S. Seuerino in repet. l. 1. Cod. de Summa Trinit. num. 53. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Quis primum in Vrbe erexit, siue instituit, vel confirmauit Montem Pietatis?

RESP. Ioannes Caluus Ord. Fratr. Minorum de Obseruantia professor, & in Romana Curia eiusdem Ordinis Commissarius, & alij nonnulli bonæ mentis viri institutionē dicti Montis in Vrbe erexerunt, & pro tecta eius gubernatione nonnulla statuerunt. Quæ omnia Paulus Papa III. anno 1539. die 9. mensis Septembris approbauit, & confirmauit, quamplura priuilegia, & gratias elargitus est, multasque salubres ordinationes adiunxit, vt videre est in eius diplomate, quod vidi impressum in lib. Statutorum, & priuilegiorum dicti Montis edito Romæ anno 1617. par. 2. pag. mihi 25.

XCV.

Edita Anno 1584.

VIgore priuilegij, & infra, pagina 481. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus III. concessit Societatis IESV, vt quisq; dictæ Societatis vir idoneus, & à Præposito deputatus, verbum DEI publicè valeat prædicare, & quisque presbyter omnium fidelium confessiones audire possit, & ex illo concessionis tempore, etiam Scholares, & alij, nondum sacris Ordinibus initiati, aliàs tamē idonei, passim, & vbique ad prædicandum mittuntur: Vnde fuit dubitatum an hoc prædicandi indultum comprehendat eos, qui ad ipsos Ordines non ascenderunt, in princ. Hic modo Pont. comprehendere desernit, §.1. Et ad Clericos prima tantum tonsura insignitos id extendit d. §.1. Ordinarijs, & alijs id obseruare præcipit, §.2.

Schol. primum.

Quæro. Num laicus poterat olim prædicare?

RESP. Non, vt egregiè eius rescripto censuit Innocen. III. in cap. Cum ex iniuncto 12. de Hæretic. quod impressit etiam Eymer. in Directòr. Inquis. par. 2. Illudque exornat Pegna Comment. 11. vbi subdit, laicos in proposito nostro censeri, qui non sunt in aliquo sacro Ordine constituti, vnde patet benè dispositum hic fuisse in §.1. de prima tonsura insignitis.

Schol. secundum.

Quæro. Clericis huiusmodi, vel alijs, si fuerint suspensi, vel interdicti, prædicare forsan licebit?

RESP. Non licebit, si nominatim sint suspensi, vel interdicti; Secus verò è contra, Nauar. conf. 53. cum tenean tur. lib. 5. de Sent. excommunic. num. 2. vers. 3. pagina mihi 553. secundum impressionem Venetijs de anno 1610. & antea in Manual. Confess. cap. 27. num. 176.

XCVI.

Edita Anno 1584.

QVæ à Romanis, & infra, pagina 482. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus III. iussit Clericos Reu. Cameræ Apostolicæ expeditiones date, sub nomine, & sigillo Cardinalis Camerarij, §.1. Iulius III. in sua constit. 3. de qua sup. pagina 132. to. 1. comprobauit, exceptis causis gubernatorum ipsis Clericis distribuendorum, §.2. Hic quoque Pont. eorum constitutiones innouat, & expeditiones aliter fiendas, irritat, §.3. & 4. Et non vti alia subscriptione, quàm Visa, &c. decernit. §. 5. Notarios subscriptiones aliàs scribere vetat, §.6. Auditoribus Clericorum, & alijs Officialibus extra Cameram existentibus, vetat expeditiones super rebus ad Cameram pertinentibus subscribere posse, §.7. Omnes Camerales expeditiones, Tractas frumentorum, & earum expeditiones, ad solum Camerarium spectare decernit, §.8. Et ita, & non aliàs iudicari iubet, §.9. Camerario inobedientes, coercendi facultatem tribuit, §. 10. Obstantia omnia remouet, §.11.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba, &c. de quibus in §.5. quem habent sensum?

RESP. Tyrones etiam id in Curia sciunt, nomen scilicet, cognomen, & officium, cuiuscumque Clerici Cameræ, qui expeditioni Cardinalis Camerarij se subscribunt.

Schol. secundum.

Quæro. Clerici Cameræ Apostolicæ cur ita appellati?

RESP. Quia de sorte Cameræ sunt, & Cameræ partem habent, cap. 1. dist. 21. Et idem videtur dicere, de Cameræ sorte, quòd de electione, siue electis ad dictam Ca-

merum Vestr. in Pract. Rom. Cur. lib. 2. cap. 1. num. 1. Gregor. Tholos. lib. 16. Syntagm. iur. cap. 1. num. 5. Cameræ verò partem habere, est redituum eius contingenter portionem consequi, ad glos. in d. c. 1. in verb. partem, & Gregor. Tholos. loco cit.

XCVII.

Edita Anno 1584.

OMnipotentis DEI, & infra, pag. 483. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pij Adolescentes Studijs Collegij Societatis IESV de Vrbe incumbentes, ad pia quædam opera exercenda se consociarunt, §. 1. Postea etiam alibi in alijs Collegijs externi Scholares, eadem imitari cœperunt, §. 2. Primaria ergo Cōgregatio videtur firmanda in Ecclesia Annūciationis Beatæ MARIAE dicti Collegij in Vrbe, §. 3. Pontifex ibi illam erigit sub regimine Præpositi generalis dictæ Societatis IESV, §. 4. Sodalibusq; quamplures indulgentias elargitur, §. 5. & seqq. Quibus, sodales etiam absentes, & prædicta opera exercentes perfrui decernit, §. 15. Stationū Vrbis Indulgentias concedit, §. 16. Præposito dat facultatem aggregandi alias Congregationes, §. 17. Eisq; Indulgentias cōmunicandi, §. 18. Congregationes quoque visitandi, & statuta condendi authoritatem tribuit, §. 19.

Schol. primum.

Quæro. Huiusmodi Congregationi cur apud nos Parthenicæ nomen super additum fuit?

RESP. Quia sicut Adolescentium deuotio, & Ecclesiæ nomen B. MARIAE cultum redolebat, ita & eorū denominatio Congregationis idem præsefert: Nam Parthenos apud Græcos, idem quod Virgo apud Latinos significat, secundum Calepin. in suo Diction. qui nedum apud Summistas, sed & Iurisconsultos non modicæ est authoritatis, vt scribit Vnic. de Franc. decis. 662. num. 17.

Schol. secundum.

Quæro. Quę exinde mala euitantur ab Adolescētibus?

RESP. Quamplura, & præsertim prauatum societatum mortiferum contagium animarum, vt fusè de hac rescripsit Ioan. Busæus dictæ Societatis IESV præclarissimus Theologus, in suo, quem edidit, libello de Summa Remedior. contr. Animi morbos, in §. Societas pagina mihi 229. & seqq.

CXVIII.

Edita Anno 1584.

NOn sine graui animi nostri, & infra, pagina 485. Bullarij.

COMPENDIVM.

Excommunicatione maiori latæ sententiæ alligat, vltra alias pœnas iuris, constitutionumq; & proclamatum, quoscumque in Italia commorantes, animalia, & alia bona in statu temporali Sedis Apostolicæ diripientes, abducentes, necnon ea ementes, & recipientes, & cum illis contrahentes, §. 1. Episcopis locorum conuicinorum, huius constitutionis publicationem præcipit, §. 2. Quam omnes ligare iubet ibid. Contrarijs omnibus derogat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Italiæ appellatione comprehenditur Roma?

RESP. Posset dici non comprehendi, argum. tex. in §. 1. Instit. de Excusat. tutor. Sed contrarium verius puto, tum ex identitate rationis, quæ legitur in textu, tum quia ista constitutio edita est ad maiorem aggrauationē latronum, quos in Vrbe, hac non ligari pœna, nulla ratione est credendum.

Schol. secundum.

Quæro. Illa verba *in ditione temporali* §. 1. sumenda ne erant in larga, vel in stricta significatione, cum multiplex sit significatio dictionis *in*?

RESP. In stricta erunt sumenda interpretatione, quia id dictat ratio subiectæ materiæ, cum agatur hic de grauissima pœna excommunicationis incurrēda, glos. & Scribb. in l. Eas causas 79. ff. de Condit. & demonstrat. Roman. consi. 376. num. 7. Præsertim quòd iuncta est ipsa dictio (*in*) casui ablatiuo, & sic intrinsicitatē denotat, vt Barr. inquit in l. Gallus 29. §. Iste casus. ff. de liber. & posthom. num. 3. Sed an ista pœna excommunicationis hodie sit sublata dubitat Genitor meus, vt adnotauit hic in rubrica.

XCIX.

Edita Anno 1585.

EA est Eremi Camaldulen. & infra, pagina 485. Bullarij.

COMPENDIVM.

Priuilegia Ordinis, & Eremi Camaldulen. approbat, §. 1. Priori illius, & cæteris in dicto Eremo famulantibus præcipit, ne ad alium Ordinem, & Religionem, etiam quæ Montiscoronę vocatur, eiusdem Ordinis Camaldulen. sine expresso consensu, & licentia in scriptis obtenta Maioris dicti Eremi transire audeant d. §. 1. Contrafacientibus pœnas irrogat, §. 2. Contrarijsq; derogat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Prior Camaldulensis quam habet iurisdictionem in suo Ordine?

RESP. Quasi Episcopalem inquit Remig. in suo tractat. de Caritat. subsid. quęst. 5. num. 45. Tu autem Pontificias attende constitutiones suo loco citatas de hoc Ordine, & eiusdem Priuilegia nuper impressa.

Schol. secundum.

Quæro. Si de licentia simpliciter locutus esset hic Pontif. in §. 1. an sufficeret de iure antiquo petita, quamuis non obtenta?

RESP. Si quis zelo sanctioris vitæ transiret ad Religionem arctiorem petita sufficeret, secus si non ad strictiorem, tex. est notab. in cap. Licèt 18. & ibi Canonistę de Regular. & consulendo dixit Angel. consi. 35. incipien. Albertus num. 1.

SIXTVS V. Italus. creatus Anno 1585.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1585.

VIrium nostrarum infirmitati, & infra, pagina 486. Bullarij.

COMPENDIVM.

Suarum virium infirmitatem ad regendam Sanctā Romanam Ecclesiam enarrat in proœm. Christi fidelibus ergo Deum pro implorando Diuino auxilio ad Pastoralis officij munus sustinendum, certa hic præscripta forma orantibus, Iubileum indicit, omniumq; peccatorum indulgentiam elargitur, §. 1. & 2. Et hanc constitutionem publicari mandat, §. 3. Contrarijs derogat, §. 4. Eiusq; transumptis credi iubet, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Iubileum ergo idem esse dicemus, quod remissionem peccatorum?

RESP. Iubileus significat tempus remissionis, non ipsam remissionem indicat, Nauar. in suo Comment. de Iubil. & Indulgent. in 1. notab. sub num. 9. pag. mihi 4. & notab. 3.

Schol. secundum.

Quæro. Solus Papa, vel alius etiam, plenariam indulgentiam concedere poterit?

RESP. Ipse solus secundum communem opinionem Scribb. in cap. 4. de Pœnit. & remiss. Non tamen excluso Concilio Oecumenico legitimè coacto, vt post Abbat. & Felyn.

Felyn. quos allegat inquit Nauar. vbi supra in notab. 31. num. 1.

I I.

Edita Anno 1585.

INter varias curas, quæ ex Pastoralis, & infra, pag. 487. Bullarij.

COMPENDIVM.

Plenissimè reuocat omnes, & quascumque exemptiones quibuscumque locis, & personis à solutione onerum Cameralium, præterquam ob susceptionem liberorum iuxta iuris dispositionem, & ob realem pecuniarum exbursationem, vel alias ob causas ab eo cognoscendas concessas, §. 1. Reuocationemq; à data præsentium afficere decernit, §. 2. Aliorum Prædecessorum reuocationes innouat, §. 3. Lites omnes desuper exortas extinguit, §. 4. Sic, & non aliter iudicari mandat, §. 5. Executores deputat, §. 6. Contrarijsq; derogat, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. S.R.E. Cardinales comprehenduntur in hac reuocatione?

RESP. Ita quidem, quia in textu expressè nominantur: Verùmtamen in hac parte hæc Bulla vsu minimè recepta fuit, sed expressè contrarium disposuit postea fœl. rec. Paulus V. in sua const. 9. §. 12.

Scholium secundum.

Quæro. Erit ne causa legitima inter eas, quas sibi Papa cognoscendas reseruat in §. 1. quòd priuilegium exemptionis sit ex causa onerosa obtentum in contractu?

RESP. Crederem legitimam, tum quia exprimit vnum casum onerosæ exemptionis, quæ pecuniam obtentæ, tum etiam quia non censetur Papa velle derogare priuilegio obtento ex causa onerosa, & ex contractu, Rota in decis. Mohedan. 6. de Priuileg. num. 1. & in decis. Seraph. 1082. in Nouis num. 3.

I I I.

Edita Anno 1585.

SOlicitudo, paternusq; affectus, & infra, pag. 448. Bullarij.

COMPENDIVM.

Statutis diuersorum locorum Status Ecclesiastici prohiberur rerum, & bonorum stabilium in forenses, & non subditos alienatio, §. 1. Ea obseruari hic Papa præcipit, etiamsi non sint in vsu, §. 2. Prohibet cuiuscumque conditionis personæ dictorum bonorum alienationem, permutationem, pignorationem, & vltra triennium locationem, in personã, seu Collegium, aut Vniuersitatem ratione temporalis iurisdictionis non subditam Sedi Apostolicæ absque eius licentia, §. 3. Castrorum autem, & feudorum venditio, & donatio absolutè interdicitur absq; dicta licentia, §. 4. Dominus eorundem bonorum non reuersurus ad Statum Ecclesiasticũ illa vendat alicui ex subditis dicti status, §. 5. Habitatori dicti status licebit de dictis bonis quocumque non venditionis, vel permutationis, aut donationis titulo, in alios de dicto statu non existentes, si infra triennium habitatum veniant, vel in alios, in eo habitatores, & subditos illa transferre, §. 6. Bonorum prædictorum appellatione census, portiones Montium, dotes mulierum, & Vrbem Romam cum eius decem passuum millia circuitu, non comprehendi declarat, §. 7. Hæredesq; prædictarum mulierum, si extranei fint ad habitandum in statu, vel alienandum, vt supra teneantur d. §. 7. Pœnas contrauenientibus imponit, § 8. Et ita, & non aliter iudicari præcipit, §. 9. Officialibus huius Bullæ obseruantiam demandat, §. 10. Contrarijsq; derogat, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Appellatione personæ continebatur ne Collegium, si non exprimebatur in §. 3.?

RESP. Dubium esse poterat, quia si hæc dispositio est odiosa non veniebat, secus si fauorabilis, Roman. cons. 400. in fin. Rota in decis. Seraph. 1050. nu. 3. in Nouis, Alexand. cons. 216. no. 11. & 34.

Schol. secundum.

Quæro. Census, & loca Montium, de quibus in §. 7. veniebant propriè bonorum stabilium appellatione?

RESP. Affirmatiuam opinionem tenet Olasc. dec. Pedem. 99. nu. 49. & sensit Rota in dec. Seraph. 224. in Nouis in fine, & bene Gabr. cons. 141. lib. 2. per tot. ac Alex. consil. 179. lib. 6. nu. 3. Intellige tamen de locis Montium non vacabilium, & ideò emanauit fortasse declaratio à Clem. VIII. quæ est infra in sua const. 78. vbi decreuit loca Montium, hac Six. constitutione non comprehendi.

I I I I.

Edita Anno 1585.

AEquum reputauimus, & infra, pagina 489. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. Congregationi Clericorum Regularium S. Maiolis aliàs de Somascha exemptionem dedit à iurisdictione, & superioritate Ordinariorum, aliorumque Iudicum, & sub Sedis Apostolicæ obedientia immediatè subiecit, §. 1. Et licentiam administrandi Sacramenta omnibus etiam alienæ parochiæ subditis, præterquam tempore Paschatis, §. 2. Exemit à seruitijs Prælatorum ministrantiũ, & à funeralibus eorum, qui in ipsorum Ecclesijs non sepeliuntur ibid. Transitum eis prohibuit ad alios Ordines præter Capuccinorum, & Carthusianorum absque Superioris dictæ Congregationis licentia, §. 3. Contrarijsq; derogauit, §. 5. Sed quia desuper literæ Apostolicæ ob mortem ipsius Gregorij XIII. expeditæ non fuerunt iste Pont. eas seruari mandat, § 6.

Schol. primum.

Quæro. Quid operarur illa clausula, *& sub Sedis Apostolicæ obedientia* exemptioni adiecta in §. 1.

RESP. Si ea non fuisset apposita isti Clerici potuissent prorogare iurisdictionem Ordinariorum, vt censuit Rota in decis. Seraph. 595. n. 7. & dec. 1025. n. 5. in Nouis.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si Clerici vnius Monasterij consensissent?

RESP. Nihil fuisset, Rota in decis. 951. Seraph. num. 2. in Nouis.

V.

Edita Anno 1585.

RAtioni congruit, & infra, pagina 490. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. Congregationi Clericorum Regularium S. Pauli ne ad processiones, aliosq; actus publicos ire cogerentur indulsit, § 1. Obstantibusq; omnibus derogauit, §. 2. Hic Pont. literas Apostolicas ob mortem prædicti Gregorij non expeditas seruari præcipit. §. 3. Executoresq; deputat, §. 4. Sanctionem pœnalem addit, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Circumscripto hoc indulto ad processiones accedere tenebantur?

RESP. Teneri decreuit Concilium Tridentinum, sess. 25. cap. 13. de Regular.

Schol. secundum.

Quæro. Si de præcedentia in processionibus orta fuisset controuersia ante hanc Bullam quid agendum erat pro ea sedenda?

RESP. Episcopi omni appellatione postposita huiusmodi præcedentias sedare debuissent vigore Concilij Trident. vbi supra. Et quo pacto in hoc se gerere debuissent scribit Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 3. quæst. 37. artic. 3.

V I.

Edita Anno 1585.

HOc nostri Pontificatus initio, & infra, pagina 491. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad tollendum omne diffugium, & receptaculum Exulibus, bannitis, cæterisq; facinorosis hominibus, omnium Pontificum prædecessorum constitutiones desuper editas confirmat, §. 1. iuncto procem. Ducibus, Communitatibus, & alijs, vt eorum loca homicidis, sicarijs, exitiosis, incendiarijs armatam facientibus Statum Ecclesiasticum hostiliter peragrantibus, pro quocumque capitali crimine, etiam in cootumaciam bannitis, alijsq; ootorijs delinqueotibus, & facinorosis hominibus, etiam nondum coodemoatis, eorumq; fautoribus expurgata teneant committit, §. 2. Et capere si potuerint, sio minus, persequaotur, §. 3. Cauillosas excusationes reiecit, §. 4. Particularibus autem personis, vt cootra eos vocati arma capiant, & occurrant, §. 5. Executoribusq; Iustitiæ subueniant, § 6. Boronibus, & Communitatibus locorum, vbi furta, & crimina admissa fuerint, vltra alias pœnas, etiam pœnam refectionis damnorum, & tantumdem Cameræ persoluen. imponit, §. 7. Ducibus, & alijs eorum fautoribus, tàm in Statu Ecclesiastico, quàm extra, aut Iustitiæ ministros io libera sui officij executione impedientibus, &c. grauissimas indicit pœnas, & signanter confiscationis quorumcumque booorum, oon obstan. quibuscumque inuestituris, & fideicommissis. §. 8. Sed hæc bona confiscata non comprehendi sub Bulla Pij V. de non infeudandis, &c. declatar ibidem. Communitatibus autem eos tolerantibus easdem pœnas imponit, §. 9. Particulares personas ad propalationem eorum teneri decernit, §. 10. Scientesq; in præmissis culpabiles, reuelare debere, §. 11. Indices in prædictis procedant etiam per inquisitionem, §. 12. Priuilegia de non consignan. bannitis reuocat, §. 13. Receptatores, & fautores eorum nullo prætextu etiam agnationis, & consanguinitatis in primo capite excusantur, §. 14. Contraria non obstant, §. 15. Executores huius Bullæ deputantur, §. 15. Fideicommissa non attendaotur, §. 17. Barones extra Statum Ecclesiasticum iurisdictionem temporalem habentes illos non assecurent, §. 18. Communitates hanc Bullam publicent, & custodiant in publicis archiuijs, & quotannis in publico consilio recitent, §. 20.

Schol. primum.

Quæro. Banniti huiusmodi si in fortiam Curiæ deuenient post cursum annorum triginta à die latæ sententiæ, nunquid præscriptione huius temporis se tuentur?

R E S P. Non, quia taliter banniti habentur pro mortuis, & sic nullo tempore præscribere valent, & sententiæ contra eos latæ, dicuntur latæ conditionaliter, si, & quando ad manus Curiæ peruenerint, vt ex doctr. Bal. & aliorum, tradit post alios Chartar. de Execut. sent. contumac. cap. vlt. num. 13. & Caball. casu 239. num. 3. & seqq. qui de magis communi, & in praxi obseruata opinione testatur, & concordantes cumulant.

Schol. secundum.

Quæro. Num post hanc Sixti pœnalem sanctionem aliqua alia Pootificia lex edita fuerit aduersus eiusmodi bannitos?

R E S P. Noo contra eos directè, sed ad refrenandam eorum audaciam super fideiussoribus præstandis, quòd Statum Ecclesiasticum ipsi banniti non ingrediantur, tempore Pontificatus fœl. recor. Pauli V. per sacram Consultam edita, & à Sanctitate Sua approbata fuerunt nonnulla statuta, quorum authenticum in Bibliotheca Genitoris mei reperij, & ea hic imprimi non inutile esse putaui, eo quòd à plerisq. etiam Curialibus ignorantur.

Primo Anno Pontificatus S. D. N. Papæ, Sacra Consulta inhærendo prouisionibus iam factis, tempore fœlicis recordationis Clementis VIII. fecit infrascriptum decretum, videlicet.

AD reprimendam audaciam, & insolentiam Bannitorum, & ne in futurum saltem metu pœnæ suorum, ità de facili grassari possent per Statum Ecclesiasticum, Sacra Consulta pro bono publico statuit, & ordinauit, quòd per consanguineos, seu affines proximiores, & magis idoneos Bannitorum, & aliàs arbitrio Sacræ Consultæ præstarentur fideiussiones, quòd dicti Banniti non essent ingressuri præfatum Statum, & quòd huiusmodi fideiussiones fierent semper ad fauorem Reuerendæ Cameræ Apostolicæ, & non Communitatum, seu Baronum, Dominorum locorum, in quibus opus esset præstare prædictas fideiussiones pro bannitis, & quòd si aliter factæ, aut stipulatæ fuissent, intelligerentur nihilominus factæ ad fauorem prædictæ Reuerendæ Cameræ Apostolicæ, adeo quòd semper in casu contrauentionis, præfatas fideiussiones ipsa Camera Apostolica sola exigere posset, & quòd tam Illustrissimi Legati, quam Gubernatores, & vniuersi alij Officiales pro tempore tenerentur transmittere copiam authenticam huiusmodi fideiussionum ad Sacram Consultam, prout facere debebant de instrumentis pacum.

Cogantur proximiores Bannitorum idonei. & alias arbitrio Sacræ Consultæ, quod Statum Ecclesiastică non ingrediantur.

Et hoc decretum per Sanctissimum mediante persona Admodum Illustris, & Reuerendiss. D. Fuccioli tunc Sacræ Consultæ Secretarij, fuit confirmatum, & approbatum.

Anno quinto eiusdem Pontificatus S. D. N. fuit factum per eamdem Sacram Consultam infrascriptum secundum Decretum, quòd similiter per Sanctissimum mediante eodem Secretario fuit confirmatum.

QVòd in futurum in fideiussionibus de non ingrediendo, quando contra Bannitum, qui prætenditur ingressus, extent inditia sufficientia ad transmittendum inquisitionem eidem Bannito contumaci, post declarationem dicti ingressus, possit absque citatione fideiussoris procedi contra eumdem fideiussorem, ad executionem pœnæ promissæ in casu contrauentionis, eo modo, & forma quo, & qua fit contra fideiussorem de non offendendo.

Et in casu contrauentionis contra hos fideiussores, procedatur, prout proceditur contra fideiussores de non offenden. Hoc latius hic infra explicatur.

All'Illustre, & molto Reuerendo Signor, come fratello, Il Gouernatore di Perugia.

PErche s'intende, che molti Offitiali dello Stato Ecclesiastico restano di far dare le securtà de non ingredien. alli parenti delli Banditi, sotto pretesto di non hauerne ordine dalla Sacra Consulta. Et conuenendo per il buon gouerno, che simile prouisione si facci in ogni modo, si dice à V. S. con questa, che senza aspettare altro ordine in auuenire voglia prouedere, che sempre, che ci saranno Banditi di cotesta giurisdittione, per li quali non siano date le sudette securtà, si diano dalli parenti più prossimi loro, se saranno idonei, & caso che nò, da quelli, che sono remoti, pur che siano idonei, con farli il rileuare poi dalli più congiunti. Tanto dunque non mancarà di fare essequire, facendo registrare la presente in Cancellaria, & Dio N. S. la conserui.

Di Roma li 27. Ottobre 1607.

Di V. S come fratello

IL CARD. BORGHESE.

Officiales absque alia Sacræ Consultæ iussione cogant ad ita cauendum proximiores idoneos, vel illis idoneis non existentibus remotos, cum releuatione proximiorum.

All'Il-

All'Illustre, & molto Reu. Sig. come fratello,
Il Gouernatore di Perugia.

Con questa si manda a V. S. vn ordine, che si è fatto vltimamente dalla Sacra Consulta, in materia delle securtà de non ingredien. che si danno per li Banditi, accioche, visto che l'hauerà, voglia farlo osseruare conforme al contenuto di esso, come ella non mancarà di esseguire, & Dio N.S. la salui. Di Roma li 22. Maggio 1610.

Di V.S. come fratello
IL CARD. BORGHESE.

Contra supradictos fideiussores procedatur sicuti proceditur contra fideiussores de non offendēdo vel cogēdo patrē pro soluenda legitima filij delinquentis.

Essendosi visto per il passato quanto vtile apporti alla quiete, & pace publica, il tenere li Banditi, & condannati fuora dello Stato Ecclesiastico, con il mezzo delle securtà, che si fanno dare, dalli parenti loro, che detti Banditi, & condannati non entrino in detto Stato: Perciò la Sacra Consulta per conseruatione della medesima quiete, & pace publica & per rimouere ancora quello, che potria in qualsiuoglia modo perturbarla, mentre che le dette securtà de non ingredien. si potessero dalli detti parenti de Banditi ponere in controuersia, ò perche nel processo fatto contra il Bandito in contumacia, non fossero stati citati, & vditi detti parenti, ò perche si pretendesse, che le proue fatte sopra l'ingresso non fossero sufficienti, nelqual caso, come se hauesse da publicare il processo contumaciale alle parti, ne potria succedere vn altro maggiore inconueniente, ò che si facessero le difese per il contumace, ò si desse occasione di distruggere con testimonij subornati tutte le proue del Fisco. Per ouuiare adunque à tutti questi inconuenienti, ha statuito, & ordinato la medesima Sacra Consulta, con participatione, & approbatione della Santità di N. S. che si come nelle securtà de non offenden. & quando si tratta di far pagare al Padre la legitima del figliolo delinquente, non è bisogno di fare contra di quelli, che sono tenuti per instromento, ò dispositione di legge, ò Statuto, nuouo processo, ma basta per astringerli al pagamento il processo contumaciale fatto contra li delinquenti, così ancora in queste securtà de non ingredien. che si fanno dare dalli Banditi, cioè dalli parenti delli Banditi, vuole, che si possano, & debbano per l'auuenire astringere li obligati, & fideiussori al pagamento di dette securtà, con il solo processo fatto contra detti Banditi, ancora in contumacia loro sopra l'ingresso d'essi nello Stato Ecclesiastico, non ostante qual si voglia legge, ò constitutione, ò altra cosa contraria.

De hoc habes const. 52. Pij 4. supra pag. 15.

Hæc quidem Decreta licèt noua, & aspera videantur, nihilominus rationabilia, & Reipub. admodum vtilia esse, minusq; noua, liquidò apparent ex his, quæ fusè scripsit Farinac. quæst. 24. num. 150. & seqq. & benè Caball. casu 149. per totum.

VII.

Edita Anno 1585.

INnumeratæ Matris DEI MARIAE, & infra pag. 404. Bullar.

COMPENDIVM.

Enarrat B. MARIAE Virginis merita in princ. Eiofque Præsentationis Festum ab antiquissimis vsque temporibus vbique gentium summa cum veneratione obseruatum die 21. Nouembris, duplici officio quotannis agi iubet, §. 1. Prælatis eius obseruantiæ curam, ac huius Bullæ publicationem delegat, §. 2. Illiusque transumptis credi mandat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quem ætatis agebat annum B. Virgo, quando fuit in Templo præsentata?

RESP. *Annum tertium agebat, eratq. perfecta diuina gratia, vt quæ esset prædestinata, & præcognita, & præelecta à DEO, & dispensatore vniuersorum ante Mundi constitutionem,* ita habetur in Encomio S. Germani Archiepiscopi Constantinopolitani de Beata Virgine per Sur. de Histor. Sanctor. tom. 6. hac die 21. Nouembris relato.

Schol. secundum.

Quæro. Quis eam, & cui præsentauit?

RESP. *Anna Mater antea sterilis, Zachariæ Prophetæ præsentauit, et dicens, Accipe ò Propheta meam à DEO datam filiam, & introductam plausu in loco Sanctuarij nihil curiosè inquirens, donec DEO, qui eam hinc euocauit, visum fuerit, quæ ad eam attinent ad finem perducere.* Hæc in d. Encomio habentur.

VIII.

IN Cœli Throno, qui sedet Rex, & infra, pagina 495. Bullarij. Edita Anno 1585.

COMPENDIVM.

Recenset, B. Franciscum de Paula, multis virtutibus, miraculisq; claruisse in princ. Ordinemq; Fratrum Minimorum instituisse, §. 1. Leonem X. illum canonizasse, §. 2. Eius modò Festum hic Pontif. die 2. Aprilis quotannis duplici officio celebrari mandat, §. 3. Prælatis huius Festi obseruātiam curare præcipit, §. 4. Et huius Bullæ exemplis credi decernit, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quid est, quòd Romæ Monasterium Sanctissimæ Trinitatis huius Ordinis regitur solum, (quod singulare videtur) à Fratribus Gallicæ Nationis?

RESP. Luculenter recenset Nauar. in cons. 2. de Iurepatronat. lib. 3. pag. mihi 327. & in consil. 1. lib. 2. edito post lib. 5. Vt lit. pend. pag. 648. secundum impressionem Brixien. Eum consule, vt prolixitatem euitemus.

Schol. secundum.

Quæro. Quo anno Sanctus hic vir ab humanis excessit?

RESP. Anno salutis 1507. vt habetur in 38. Leon. X. Bulla suæ canonizationis, de qua supra pag. 103. tom. 1. in §. 33. & idē scribit Baron. in Martyrolog. die 2. Aprilis vbi impressorū vitio annus huius Bullę Sixti enunciatur 1586.

IX.

MVneris nostri debito incumbit, & infra, pag. 495. Bullarij. Edita Anno 1585.

COMPENDIVM.

Narrat Bonifacium VIII. in Ciuitate Firmi Status Ecclesiastici instituisse Studium Generale, ad instar Ciuitatis Bononiæ, vt supra in eius constit. 8. pag. 36. tom. 1. §. 1. Et Callist. III. confirmasse §. 2. Ciuitatemq; Firmi sibi supplicasse pro eius renouatione, §. 3. Ipse ergo approbat constit. Bonif. & Callist. §. 4. Studiumq; prædictum innouat, §. 5. Et illi, eiusq; personis ibi promotis, priuilegia aliorū Studiorum generalium concedit, §. 6. Doctorandi formā præscribit, §. 7. Promotis in eo facultatem vbique legendi elargitur, §. 8. Rectori ius condendi statuta pro eius regimine tribuit, §. 9. Clausulas Bullæ præseruatiuas apponit, §. 10. Clausulam, Sublata, &c. addit, §. 11. Contrarijs derogat, §. 12. Transumptis credi iubet, §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Scholaris forensis, poterit in hac Ciuitate conueniri pro contractibus in eius patria initis, stante priuilegio aliorum Studiorum generalium, de quo in §. 6.?

RESP. Negatiuam sentētiam probat Salyc. in Auth. Habita. Cod. Ne fil. pro patr. sub num. 27. Quod limitan-

dum venit, si Scholaris ibi domicilium contraxisset, vt Additioo. ibidem adiunxit.

Scholium secundum.

Quæro. Si Doctorandus habet aliquem Doctorem de Collegio suspectum, quid agendum stante dispositione, §. 7.?

RESP. Adest Rectorem, qui præuia probatione legitimæ causæ suspitionis, prouidebit ne ille interueniat eius examini Panorm. in capit. Causam de Offic. Delegat. nu. 2. & Additionat. ad Bart. in l. Vnica, Cod. de Professor. qui in Vrbe Constantinopol. lib. 12.

X.

Edita Anno 1585.

NVper pro parte dilectorum filiorum, & infra, pagina 497. Bullarij.

COMPENDIVM.

Supprimit constit. 54. Gregorij XIII. editam super electione Prælatorum Congregationis S. Benedicti in Italia Ordinis Cistercien. de qua supra pagina 96. §. 1. & seqq. Statuit Prælatos eligi ex vniuerso numero Sacerdotum, qui minora officia Cellerariatus, & Prioratus per bienniū exercuerint, §. 4. Has literas à vitio subreptionis eximit, §. 5. Et ita iudicari mandat, §. 6. Contrariaque remouet, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Crimina, quæ obstant promouendis ad Prælaturas, poterunt electores detegere?

RESP. Quòd possint, & quā circumspectione post D. Thomam, & D. Antonin. explicat Roderic. de Quæstionibus Regular. tom. 2. quæst. 53. artic. 3. pagina mihi 157.

Schol. secundum.

Quæro. Si electio esset publicata post scrutinium, & electores nollent perficere, possent ne ad id cogi ad instantiam electi absque nota ambitionis?

RESP. Poterunt cap. Publicato. de Elect. & capit. Cupientes. §. 1. eod. tit. in 6. Gemin. consl. 85. num. 13.

X I.

Edita Anno 1585.

COpiosus in misericordia Dominus, & infra, pagina 497. Bullarij.

COMPENDIVM.

Alexander VI. generale Stodium Valentiæ instituit, sed ob redditum tenuitatem profectum non habuit, §. 2. Vniuersitas Valentiæ supplicat pro vnione vnius Præpositurae vacantis, §. 3. Hic Pont. concedit, §. 4. Eligendi Rectorem Studij formam præscribit, §. 5. Et admissionis Lectorum, §. 7. Eorundem prouentus, & munus declarat, §. 8. & seqq. Archiepiscopo, & quibusdam alijs Officialibus dat facultatem desuper condendi statuta, §. 10. Clausulas huic concessioni præseruatiuas apponit, §. 11. Clausulamque sublata, &c. §. 12. Executores deputat, §. 13. Obstan. derogat, §. 14.

Schol. primum.

Quæro. Filius accedens ad huiusmodi Studium posset patrem cogere adsumptus sibi subministrandos?

RESP. Distinctione opus est, vt Bart. & altorum opiniones concilientur, quam accipe ab Horat. Lut. de Priuileg. Scholar. priuileg. 16. per tot.

Schol. secundum.

Quæro. Hæc studia generalia, seu Collegia Studiorum generalium speciali ne aliquo indulto à Concilio Tridentino donata fuerunt?

RESPON. Primum per lege in sess. 7. cap. 13. in fine. Aliud sess. 14. cap. 5. Alterum in sess. 23. cap. 6. & Aliud cap. 9. sess. 25.

X I I.

Edita Anno 1585. & 1586

ROmanus Pontifex, & infra, pagina 502. *Item.* Laudabilis Sedis, & infra, pag. 503. Bullar.

COMPENDIVM.

Collegium Notariorum Sedis Apostolicæ de numero participantium à Clemen. I. Anthero I. & Iulio I. ad res Martyrum, & quæcumque ad Ecclesiam pertinent describenda institutum, quod est in numero septem, extendit ad alios quinque, §. 1. & 2. Omnesq; ijsdem gratijs, & præeminentijs pariformiter exornat, §. 3. Annuumq; redditum assignat, §. 4. Et in subseq. Bulla pro dictis septem Notarijs eorum priuilegia certo modo comprobat, §. 2. Eisdem facultatem doctorandi concedit, §. 3. Tabelliones creandi, §. 4. Spurios legitimandi, §. 5. Statuta pro regimine Collegij condendi, §. 6. Eosdem familiares, Prælatosq; domesticos declarat, §. 7. Panem, vestes, & locum in caualcatis assignat, §. 8. Literas Apostolicas gratis pro eis expediri iubet, §. 9. Emolumenta eisdem præseruat, §. 10. Licentiam testandi, etiam de acquisitis ex bonis Ecclesiasticis pro ducatis bis mille, concedit, §. 12. Eximit à iurisdictione Ordinariorum, §. 13. Creandiq; vnum Notarium, absque ipsis competentibus, facultatem tribuit, §. 14. Locum in Signaturis, in Consistorijs publicis, Canonizationibus, & Capellis assignat, §. 15. & seqq. Monetas Coronationis eis dari præcipit, §. 19. Papæ quandoque seruiant, §. 20. Pontificalibus, & altare portatili quando vtantur, §. 21. & seq. Notarij etiam dimisso officio, vt remaneant, §. 23. Executores huius priuilegij dantur, §. 24. Contraria tolluntur, §. 25. Exemplis huius constit. fides detur, §. 26.

Schol. primum.

Quæro. Facultas doctorandi, de qua in §. 3. præiudicat simili priuilegio per Iulium III. in sua constit. 6. de qua supra pag. 133. to. 1. elargito Aduocatorum Consistorialium Collegio?

RESP. Non, sed illud attenditur, & Collegium Aduocatorum tantùm in Vrbe doctorare valet vigore dictæ Bullæ Iulij III. vt in puncto sic diffiniuit Rota in decis. Seraphin. 1271. per totam, vbi subdit, quòd omnis disputationis scrupulus cessat ex noua huius Pont. concessione eisdem Aduocatis ab istomet Pont. postea facta infra io constitut. 62.

Schol. secundum.

Quæro. Si Protonotarius aliunde aliam exemptionem haberet, posset hac etiam exemptione vti?

RESP. Posset, quia sic expressè decidit hic Pont. in diplomate per Genitorem meum in rubr. huius Bullæ indicato, vbi subdit, quòd possit etiam alteri in totum, vel in partem donare, vendere, vel alienare.

X I I I.

Edita Anno 1585. & 1586

EX supernæ, & infra, pagina 506. *Item.* Diuinæ caritati, & infra, pagina eadem Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert B. Franciscum Ordinis Fratrum Minorum institutorem, miraculis clarum, & à Gregorio IX. in eius const. 2. de qua sup. pag. 13. to. 1. SS. Cathalogo adiunctum fuisse, §. 1. Ad decoran. Ecclesiā Assisien. in qua illius Corpus requiescit, hic Pōt. dicti Ordinis professor, Chordigerorū Archiconfraternitatem erigit, §. 2. Indulgentiā pro die ingressus Cōfratrib. Chordā à Superioribus dicti Ordinis benedictā deferentibus elargitur, §. 3. Necnō alias Fratrum Conuentualiū, & Archicōfraternitatis Confalonis B. MARIAE Virginis, §. 4. Generali Magistro Conuentualium dat facultatem in Ecclesijs Conuentualiū Capuccinorū, & de Obseruantia alias aggregandi Confraternitates, §. 5. Eā caput aliarum instituit in §. 1. subseq. constitut. Indulgentias

tias Fratrum Minorum Confratribus elargitur, §. 2. & 3. Et non Confratribus alias concedit, §.4. Et facultatem aggregandi iteratò tribuit, §.5. Quibuscumque non obstantibus, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Vnde est, quòd etiam Fratres de Obseruantia, de quibus hæc Bulla non loquitur, huiusmodi Confraternitates erigunt?

RESP. Hic idem Pont. deinde hanc facultatem Confraternitates instituendi dedit Magistro Generali de Obseruantia in toto Ordine de Obseruantia, & Commissario Generali in illa familia, cuius fuerit, vbi non sunt Conuentualium Confraternitates erectę, vel eorundem Monasteria; Et de hac concessione meminit Rodetic. de Quæstio. Regular. tom. 1. quæst. 58. art. 1. vbi Bullam descripsit.

Schol. secundum.

Quæro. Ad consequendas Archiconfraternitatis, aut aliarũ Confraternitatũ indulgentias quæ peragere debeo?

RESP. Chordam à Superioribus Ordinis benedictam deferre, & in Confraternitates ingredi, in librisq; ipsorum describi, cum nil aliud Confratribus iniunctum videatur, præter ea, quę requiruntur in ipso opere, propter quod indulgentia conceditur, vt notissimum est, & inquit Rodet. in loco præcit.

X I V.

Edita Anno 1585.

CVm aliàs considerantes Artem Lanæ, & infra, pagina 507. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ex Arte Lanæ omnis generis personæ viuere possunt, quam iden hic Pont. in Vrbe introducere, aut renouare cupiens, Cardinalem Sanctacrucium desuper deputauit in protem. Quid cum dicta Arte conuenit, quòd Camera Apostolica mutuet Arti scuta decem millia, §. 1. & 2. Aliaque bis mille donet, §.3. Et statuta Artis confirmet, §. 4. Præferanturque Mercatores huius Artis in bonis debitorum, sicut mercatores Ripæ, §.5. Et Consules huius temporis ad triennium confirmentur, §.6. Pecuniaq; prędicta apud eos existat, §.7. Et Consules Artis in pœnis affictiuis vtantur Consilio Assessoris, §.8. Et è conuerso Consules dent Lanam omnibus huic exercitio vacantibus, §. 9; Certamq; pannorum quantitatem quotannis conficiant, §. 10. Hic modo Pont. prædicta omnia comprobat, §. 11. Concedit Consulibus dictæ Artis cognitionem causarum eius etiam contra Hebræos. §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Si Mercator Lanæ decedat, & hæredes Mercatorum non continuent, spectabit ne causa hæredum volẽtiũ agere pro creditis hæreditarijs ad istos Cõsules Artis?

RESP. Negatiuè hanc quæstionem resoluit Fulgos. in cons. 105. num. 1. & sequitur Tuscus conclus. 219. in verb. Mercator num. 7. loquens de simili priuilegio Mercatorũm Brixiæ.

Schol. secundum.

Quæro. Si quis Mercator agat, & reus petat eius libros exhiberi tenebitur idem reus declarare, an velit eis stare in totum, vel in parte?

RESP. Teneri decisum est in Senatu Delphin. vt in decis. 60. Franc. Marc. lib. 1. sub num. 6. vbi subdit, quòd reus simpliciter huic interrogationi respõdere debet, alioquin ita Consules pronunciare possunt Rota Genuæ decis. 49. num. 2.

X V.

Edita Anno 1585.

ROmanus Pontifex, & infra, pag. 508. Bullarij.

COMPENDIVM.

Romani Pontifices antiquissimis temporibus institue-

runt, quòd Episcopi, & Primates, præscriptis temporibus, Limina Apostolorum Petri, & Pauli de Vrbe se visitaturos iureiurando promitterent, §. 1. Sed hæc constitutio varijs de causis valde refriguit, §. 2. Hic itaque Pontifex decernit, vt Episcopi, & Primates ordinandi, etiamsi Cardinales sint, antequam consecrationis munus, aut pallium de corpore B. Petri sumptum suscipiant, vel si ad aliam Ecclesiam transferantur, antequam illius administrationi se immisceant, Beatorum Petri, & Pauli limina se visitaturos, & de eorum pastorali officio, & statu Ecclesiæ, & Cleri, & Populi sui rationem Romano Pontifici se reddituros, ac mandata Apostolica diligentissimè se executuros iurent, §. 3. Et legitimè impediti per Nuntium hæc adimpleant, §.4. Hortatur Principes, vt opera ipsorum Episcoporum, aut aliorum à Sede Apostolica pro eorum ditionibus, & cum sanctæ Religionis causa coniungendis suffragia petant, §. 5. Italos, & alios ex Insulis adiacentibus quolibet tertio anno, cæteros autem alijs præscriptis temporibus dicta Limina visitare præcipit, §.6. Hanc legem ad Antistites etiam iam ordinatos extendit, §.7. Inobedientibus pœnas imponit, §.8. Contrarijsque derogat, §.9.

Schol. primum.

Quæro. Quorum Pontificum sunt institutiones visitandi Limina Apostolorum, de quibus in §. 1.?

RESP. Anacleti, & Zachariæ cap. 4. distinct. 93. & ibi Turrecrem. in princ. Baron. in Martyrolog. die 29. Iunij.

Scholium secundum.

Quæro. Papa ab Vrbe absente dicentur ne Limina Apostolorum esse, vbi ipse commoratur?

RESP. Ita sanè, vt probat tex. in cap. 4. de Iureiur. in fin. vbi hoc idem tenet Innoc. & Panormit. nu. 6. & sequitur Franc. in cap. 2. de Priuileg. in 6. num. 3. Et probatur hic in §. 4. dum venientes ad Limina de officio pastorali, Papæ rationem reddere tenentur.

X V I.

Edita Anno 1585.

SAncta Romana vniuersalis Ecclesia, & infra, pag. 510. Bullarij.

COMPENDIVM.

S. Nicolai de Tolentino, Ordinis Eremitarum S. Augustini professoris Sanctitas, vsque ad Indos Occidentales diffusa est, §. 1. Eius ergo Canonizatio ab Innoc. VI. & Ioan. XXII. tentata, & ab Eugen. IV. perfecta fuit, vt in eius constit. 27. de qua supra pagina 61. to. 1. §. 2. Post eius Canonizationem dirum Ecclesia schisma, eius meritis, & intercessione sublatum fuit, §. 3. Hic Pont. eius Festum duplici officio Confessorum non Pontificum celebrari iubet, §.4. Prælatis, vt hoc faciant, obseruari pręcipit, §. 5. Fidem transumptis huius Bullæ dari mandat, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Sanctus Nicolaus oriundus est de Castro S. Angeli Firmanæ Diœcesis, cur nihilominus de Tolentino nuncupatur?

RESP. Quia Diuinæ vocis oraculo sibi prædictum fuit *Tolentini, Tolentini, Tolentini erit finis tuus. In ea vocatione, qua vocatus es, permaneas, in ea, namque erit salus tua*: Vnde intelligens se Tolentini moriturum, & reuersus triginta annis illic degens asperam vitam duxit, & in Domino obdormiuit, vt refert Sur. in vita ipsius Sancti.

Schol. secundum.

Quæro. Vltimum Ecclesię schisma, de quo in §. 3. quo tempore post Canonizationem S. Nicolai extinctum fuit?

RESP. Sanctus Nicolaus anno Incarnationis Dominicæ 1446. aliàs 1447. canonizatus fuit: Schisma verò sublatum anno 1449. Friderici Imperatoris precibus Felix V. Antipapa, Pontificatu se abdicauit, & pax Ecclesiæ reddita fuit. Quamobrem à Nicolao V. Episcopus Cardinalis Sabinus Collegij Cardinalium Decanus, perpetuusque Germaniæ Legatus, creatus fuit, vt post alios refert Ciaccon. de Vit. & gest. Pontif. in vita Eugenij IIII. ad finem, & legitur in vita Nicolai in Concilijs generalibus relata.

XVII.

Edita Anno 1586.

CAeli, & Terræ creator Deus, & infra, pagina 510. Bullar.

COMPENDIVM.

Enarrat nefanda mala Artis Magicæ, Negromantiæ, Astrologiæ iudiciariæ, & similium, §.1. Quibus extirpandis Ordinarij non plenè satisfecerunt, §.2. Eam ergo prohibet, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam, & aduersus contrauenientes etiam id certò non affirmare afferentes ab Ordinarijs, & Inquisitoribus seuerius canonicis pœnis, & alijs, eorum arbitrio animaduerti iubet, §.3. Librosq. de his tractantes retineri vetat, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Num prohibitio Astrologiæ iudiciariæ liget etiam in foro conscientiæ interiori eos, qui asserunt, aut protestantur id certò non affirmare, vt in §.3.

RESP. Controuersia videtur ista quæstio, cum pro negatiua Soar. Valent. & Martin. del Rio; Pro affirmatiua verò Sanc. necnon Sola, & Graff. allegentur à Farinac. de Hæretic. quæst. 181. §.1. sub num. 59. cum quibus ipse trāsire videtur, & ego etiam, quia perlegi Soar. in loco per Farinac. citato, qui probat in hac prædictione reperiri culpā, saltem ratione scandali, & prohibitionis Ecclesiæ.

Schol. secundum.

Quæro. Cur illam protestationem, & declarationem non obstare voluit hic Pontifex?

RESP. Ratio esse potest, (vltra iam proximè dictam, vel quia etiam ille modus prænunciandi futurus est perniciosus Reipublicæ, cum eadem incommoda, & vanæ instigationes ex illa sequantur: vel quia semper præsumitur ea verba proferri ad occultan. malitiam, & diuinationem: vel certe quia est etiam vera diuinatio, prout inquit Soar. vbi supra tom. 1. de Relig. lib. 2. de Superstit. c. 11. nu. 30.

XVIII.

Edita Anno 1586.

IMmensa Diuinæ Sapientiæ Altitudo, & infra pagina 512. Bullarij.

COMPENDIVM.

S. Antonij de Padua laudes, & merita recenset, §.1. Eiusque canonizationem refert, §.2. Et eiusdem Festum die 13. Iunij duplici minori, & proprio officio quotannis celebrari, & in Calendario inscribi iubet, §.3. Et vbi maior est eius Festi celebritas eam retineri decernit, ibid.

Schol. primum.

Quæro. Est ne verum, io prædicando DEI verbo, Sanctum Antonium fui admirationem commouisse?

RESP. Tantam fuisse, vt eum Summus Pontifex aliquando concionantem audiens, Arcam Testamenti appellauerit, vt habetur in lectione 5. sui proprij Officij.

Schol. secundum.

Quæro. Est ne hæc Festiuitatis institutio nouiter ab isto Pontifice inducta?

RESP. Non; illam siquidem instituerat Gregor. jx. in eius Bulla 4. de ipsius Canonizatione edita in §. 5. vt supra pag. 14. quòd aduertit etiam Roder. de Quæstion. Regular. tom. 2. quæst. 68. art. 5.

XIX.

Edita Anno 1586.

SI cunctas per Orbem terrarum, & infra, pagina 513. Bullarij.

COMPENDIVM.

Bonifacius viij. statuit in quibuscumque locis ad Ecclesiam Lateranen. de Vrbe spectantibus, loca pia engi posse, illaq. sub mero, & mixto imperio, & dispositione Capituli, & Archipresbyteri dictæ Ecclesiæ extare, §.1. Pius iiij. in const. sua 57. de qua supra pag 17. reuocauit, §.2. Hic Pont. illud renouat, si accedat licentia Ordinariorum; & quòd loca erigenda cum personis eorum iurisdictioni subiaceant, §.3. Quibuscumque non obstan. §.4.

Schol. primum.

Quæro. Hoc indultum Bonifacij viij. intelligitur ne etiā de ædificādis in fundis post indulti concessionē acquisitis?

RESP. Non secundum opinionē Calder. qui consulendo in terminis huius priuilegij sic illud, tamquam exorbitans à iure communi, restringit in cons. 12. de Priuileg.

Schol. secundum.

Quæro. Tota ergo cōstitutio ista strictè est intelligēda?

RESP. Non in §.4. quia consonat iuri communi, quo de Episcopi licentia Ecclesias ædificare permittitur capit. Nemo 9. de Consect. dist. 1. vbi glos. & Archid. adducunt concord.

XX.

Edita Anno 1586.

PRo ea, quam præcipuam gerimus, & infra, pagina 514. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paolus iij. & Iulius iij. Fratribus Minoribus de Obseruantia ad Fratres Capuccinos transire vetuit absque suorū Generalium, vel Prouincialium licentia in scriptis, §.1. Hic Pont. Capuccinis, ne illos recipiant, & illis ne ad eos transeant sub quouis habitu, vel causa, absque Pontificis licentia, interdicit, §.2. Capuccinis contrauenientibus pœnā excommunicationis, & priuationis dignitatum, & officiorū imponit, §.3. Receptionesq. irritat, §.4. & seq. Contrarijsque omnibus derogat, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore Paulus iij. prohibitionem, de qua in §.1. edixit?

RESP. Roderic. de Quæst. Regular. to. 3 quæst. 52. artic. 22. scribit hunc Paulum primò id vetuisse anno 1537. & deinde anno 1541. Sed ego primam nusquam perlegi; Secundam verò, in qua illius continentia recensetur: in Bibliotheca Genitoris mei asseruatam vidi.

Schol. secundum.

Quæro. Iulius iij. enunciatus in §.1. quam desuper constitutionem edixit?

RESP. Roderic. in loco cit. scribit Iulium iij. ann. 1550. Pauli iij. constitutionem innouasse, declarando talem receptionē seu professionem sine licētia Superiorum esse nullam, & Capuccinos si illos recipiant, ecclesiasticas censuras incurrere, ibique de hac Sixti V. constitutione meminit.

XXI.

Edita Anno 1586.

DVm ineffabilia meritorum insignia, & infra pag. 515. Bullar.

COMPENDIVM.

B. MARIAE Virginis merita, & laudes refert in princ. Psalterium, siue Rosarium eiusdē B. MARIAE Virginis antiquum orandi modum à B. Dominico institutum fuisse, §.1. Sodalitatibusq. dicti Rosarij quamplures Pontifices gratias multas concessisse, §.3. Quas ipse Pontifex confirmat, §.4. Facultatem instituendi has Sodalitates Magistro, & Vicario generali, & deputandis per eos tribuit, §.4. Quibus sic erectis omnes aliarum Rosarij Confraternitatum gratias communicat, §.5. Indulgentiasq. multas elargitur, §.6. Contraria omnia remouet, §.8.

Schol. primum.

Quæro. Cur hoc Psalterium, Rosarium quoque nuncupatur?

RESP. Quia sicut Rosarium continet multitudinem Rosarum, & eas tractantes suauiter lætificant, ita ista oratio continet Orationem Dominicalem, & salutationem

nem Angelicam, quæ repetitę miram, suauemque lætitiam pariunt illis, qui sic orando, Virginem Matrem, quasi præsentem attenta, & deuota mente, alloquuntur, salutant, & orant, vt scribit Nauarr. de Orat. Miscell. 24. sub num. 17. vbi aliam quoque rationem subnectit.

Schol. secundum.

Quæro. Ordinationes à Fratribus Rosarij obseruandas quis me edocebit?

R E S P. Nauarr. eruditè omnia explicat in loco proximè cit. Miscell. 25. num. 21. & seqq.

X X I I.

Edita Anno 1586.

PIa Sanctorum Patrum prouidentia, & infra pag. 516. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Recenset S. Ianuarij, & Sociorum merita, & laudes §. 1. Eorum Festum simplici officio de Communi Plurimorum Martyrum die 19. Septembris quotannis agi iubet, §. 2. Prælatis omnibus huius Bullæ publicationem, & obseruantiæ curam delegat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Horum Sanctorum Martyrum acta, vbi perlegere potero?

R E S P. In Lectionibus de eis Diuini Officij currentis, & in lib. 5. Surij de Vitis Sanctorum, sub hac die 19. Septembris, ac in Martyrologio Baronij sub eadem die.

Schol. secundum.

Quæro. Quid est quod ferunt Neapolitanos, (in quorum Ciuitate S. Ianuarij Corpus his temporibus asseruatur, magnaque veneratione colitur) à Gilulphi Principis Beneuentani obsidione eiusdem S. Ianuarij ope liberatos fuisse?

R E S P. Accipe à Baronio in Annalib. Ecclesiast. t. 7. pag. mihi 453. sub litera D, secundum impressionem Romanam, quia eius verba hic referre, nimis esset onerosum.

X X I I I.

Edita Anno 1586.

EGregia Populi Romani pietas, & infra, pagina 517. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat Stationum Romæ consuetudinem antiquissimis temporibus introductam in princ. Subdit eam adhuc retineri, §. 1. Præsertim in septem Ecclesijs celeberrimis, §. 2. Apud quas Pontificiæ Capellæ iam celebrari consueuerant, §. 3. Quas hic Pont. modò innouat, §. 4. Viasque publicas ad eas aperuit, §. 5. Et loco Ecclesiæ S. Sebastiani ad hoc incommodæ, Ecclesiam B. MARIAE de Populo subrogat, §. 6. Quo autem tempore in qualibet earum Capella Pontificia habenda sit declarat, §. 7. Alias quoque Capellas certis alijs Festiuitatibus Sanctorum in earum Ecclesijs instituit, §. 8. Aliamque huiusmodi Capellam in Ecclesia S. Sabinæ prima die Quadragesimæ teneri, & Cineres à Pontifice benedici, ac spargi statuit, §. 9. Christi fideles, vt tempore Quadragesimæ conuertantur in lachrymis, & ieiunio ad Dominum hortatur, §. 10. Stationalesq; Ecclesias verè pœnitentes, castèq; & piè visitent, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Capellam cur sic dictam putas?

R E S P. Nonnulli credunt à capiendo Populos, vel laudem, alij à cappa, quæ tegumentum significat, vt scribit Præpositus in cap. Presbyter. 9. distinct. 23. num. 6. ac Baron. in Martyrolog. Rom. sub die 11. Iunij. Et vterque eorum meminit Francorum Reges Cappam Sancti Martini deuotionis causa ad prælia procedentes, secum portare consueuisse, alij à pellibus caprinis, quibus olim Altaria tegebantur, secundum Præposit. vbi sup. & refert etiam Petrus Greg. in Syntagm. Iur. cap. 29. lib. 15. num. 1.

Schol. secundum.

Quæro. De septem Vrbis sanctioribus Ecclesijs, de quibus in §. 2. vis quæso aliquid enarrare?

R E S P. Tractatu, & quidem copioso opus esset. Consulas igitur Onuphrium Panuinum Fratrum Eremitarum S. Augustini professorem in suo, quem edidit, libello de septem Vrbis Ecclesijs, vbi præclarè scitu digna omnia explicat.

X X I V.

Edita Anno 1586.

PRo excellenti præeminentia, & infra, pag. 518. Bullar.

C O M P E N D I V M.

Oppidum Lauretanum in Prouincia Marchiæ, toto orbe Terrarum celeberrimum appellat, & pariter Collegiatam Ecclesiam B. MARIAE, in qua extat cubiculum ministerio Angelorum illuc translatum, in quo ipsa nata est, & ab Angelo salutata Saluatorem Mundi de Spiritu Sancto concepit, §. 1. Illud in Ciuitatem, & dictam Ecclesiam in Cathedralem, & Episcopalem erigit, §. 2. Diœcesim designat, §. 3. Dotem constituit scutorum duorum millium, §. 4. Dignitates dictæ Ecclesiæ distinguit, §. 5. & 6. Contrarijsque derogat, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Historiam translationis cubiculi B. MARIAE Lauretanæ, de qua in §. 1. quis mihi ad longum enarrabit?

R E S P. Diligenter de ea scribit Horatius Tursellinus Romanus Presbyter à Societate I E S V, in eo, quem edidit, libello de Histor. Lauret. Romæ cuso anno, 1597.

Schol. secundum.

Quæro. Quis primus fuit Episcopus huius Oppidi Lauretani, Ciuitatis iure ab isto Pontifice donati, & Episcopali sede decorati?

R E S P. Franciscus Cantuccius Ciuis Perusinus vnus ex Auditoribus Rotæ Romanæ, vt omnes sciunt, & scribit idem Tursellin. vbi sup. lib. 5. cap. 11.

X X V.

Edita Anno 1586.

EX omnibus Christianæ, & infra, pagina, 519. *Item*. Cum nos nuper, & infra pag. 520. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Camillus de Lelijs, & alij infirmos, & in Hospitalibus degentes multifariam iuuare studentes, & etiam tempore pestilentiæ idem præstare intendentes, vnam Congregationem inierunt sub dominatione Ministrantium Infirmis, cuius speciale institutum sit speciali charitatis feruore infirmis inseruire, §. 1. Quam hic Pont ab vno maiore regendam comprobat, §. 2. Licentiam petendi eleemosynas in huiusmodi pium opus exponere concedit, §. 2. Habitumq; cum Cruce ex crassiori panno fului coloris à latere dextro, §. 1. subsequen. Bullæ. Contraria quæcunque remouet, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Cur in latere dextero hi Religiosi Crucis signum deferunt?

R E S P. Quia latus dexterum est alio nobilius, & sicut dextera manu milites validius in prælio vtuntur ense, ita hi Religiosi in dextero latere Crucis signo adiuti, validius dæmones ab Agonizantibus infirmis fugant, vt Prælati huius Congregationis pluries mihi significarunt.

Schol. secundum.

Quæro. Cur autem fului coloris?

RESP. Accepi ab eisdem quòd color iste magis, quàm alij omnes, colori ligni Crucis Saluatoris Nostri assimilatur, & de isto colore aliqua scribit Chassan. in Catalog. Gloriæ Mundi consider. 93. vers. Fuluus color.

XXVI.

Edita Anno 1586.

QVanta Apostolicæ, & infra, pagina. 520. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Pium V. in sua const. 35. de qua supra pagina 44. Ciuitates, & loca S.R.E. alienari, & infeudari interdixisse, eamq; Gregorium XIII. approbasse, §. 1. Et ipse etiam approbat, innouat, & perpetuò obseruari præcipit, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Loca, quæ existunt in aliqua Prouincia Status Ecclesiastici dicuntur ne feudalia?

RESP. Feudalia præsumuntur, quousque contrarium non probetur Scribb in clemen. 1. de Probat. Aymer. consil. 135. num. 42. Rota in decis. Putei 314. lib. 2. in Nouis, n. 4.

Schol. secundum.

Quæro. Bona, quæ sunt in ipsis locis infeudatis præsumentur etiam feudalia?

RESP. Non, sed libera, nisi ex coniecturis aliud suadeatur Gabr. in tit. de Feud. conclus. 3. per totam, Rota in decis. Seraphin. 894. in Nouis, num. 1. & seqq.

XXVII.

Edita Anno 1586. & 1588.

CVm benigna Mater Ecclesia, & infra, pag. 521. *Item*. Cum adeo, & infra pagina, 524. Bullarij.

COMPENDIVM.

Institutionem Redemptionis Christianorum Captiuorum ditioni S. R. E. subiectorum apud Infideles, Gregorius XIII. Archiconfraternitati B. MARIAE Confalonis de Vrbe delegauit, §. 1. & 20. Illa huic pio operi studere cœpit, §. 2. & 21. Hic Pontifex eam institutionem approbat, §. 3. & seq. Facultatem ad hoc eleemosynas in Statu Ecclesiastico perquirendi tribuit, §. 5. Cæteris alijs eam prohibet, §. 6. Redditus quarumdam expeditionum eidem assignat, §. 7. Bona emphyteotica ei relinqui indulget, §. 8. Legata ad redimendum captiuos, non tamen pro certa persona, vel regulari loco in Statu Ecclesiastico facta, illi applicat, §. 9. Ecclesiasticas personas tertiam partem suorum bonorum eidem relinqui posse concedit, §. 10. Ordinarios, & alios hortatur, vt huic pio operi faueant, pœnasque delinquentium in aliqua parte applicent, §. 1. & seq. & §. 23. Archiconfraternitati quæstum eleemosynarum etiam extra Statum Ecclesiasticum concedit, § 22. Contrarijs derogat, §. 18. &. 25. Transumptis credi iubet, §. 19. & 26.

Schol. primum.

Quæro. Hæc redemptio fi ne etiam tempore belli?

RESP. Negatiue dicen. esse, quia Infideles pecuniam, vel quid simile subsidium inde reportant. Sed contrarium decidtur in cap. Significauit 11. de Iud. vbi post glos. sie firmat Panormitan, num. 1. Felyn. in princip. & Redoan. de rebus Ecclesi non alien, rubr. 6. de Rer. faciat. mob. alien. num. 9. Et cessat ratio illius subsidij pecuniarij, cum pro eo persona redempti commutetur.

Schol. secundum.

Quæro. Eleemosynæ pro hoc pio redemptionis opere possunt ne iuste recipi à minoribus propterea bona immobilia alienantibus?

RESP. Possunt, quia in his alienationibus minores pro maioribus habentur ad text. in auth. Si captiui vbi Doctores communiter. Cod. de Episc. & Cleric cum similibus, & Bald. Nouell. in tract. de Dote par. 6. priuileg. 63. cum alijs congestis à Simanc. de Decreto tit. 8. Inspect. 11. num. 75.

XXVIII.

Edita Anno 1586.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra, pag. 525. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius V. in sua constit. 63. de qua supra pag. 52. edidit reformationem Fratrum Tertij Ordinis de Pœnitentia Sancti Francisci, §. 1. Eumque supposuit Ordini de Obseruantia, §. 2. Hic Pont. eum reintegrat, quoad electionem Visitatoris Generalis ad triennium eligendi decernens Fratres Italiæ eius regimini subiacere, §. 3. & seq. Ipsumque Visitatorem infra duos menses confirmationem à Ministro Generali de Obseruantia petere debere iubet, §. 5. Ministrum prædictum quolibet quadriennio hunc Tertium Ordinem visitare posse, & tam in capite, quàm in membris corrigere indulget, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quid seruandum in huiusmodi visitatione Regularium?

RESP. Perlege apud Feder. de Sen. cons. 55. num. 2. & Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 2. quæst. 4. artic. 5. pag. mihi 14. qui ad Visitationem hanc principaliter spectantia describit.

Schol. secundum.

Quæro. Si in Visitatione aliquis vellet impedire Visitatorem poterit ab eo puniri, quamuis aliàs suæ iurisdictioni suppositus non esset?

RESP. Ratione impedimenti efficiuntur suppositi, & ab eo coercerentur cap. 1. cum ibi not. de Offic. Iud. Deleg. tradit Feder. de Sen. cons. 145. num. 2. vers. Ad hoc.

XXIX.

Edita Anno 1586.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra, pag. 526. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Innoc. VIII. erexisse Collegium Secretariorum Apostolicorum in sua const. 12. de qua hic sup. fol. 78. t. 1. §. 1. Et Pium V. confirmasse, §. 2. Subdit temporum successu numerum Secretariorum domesticorum multiplicatum pro Romanorum Pontificum arbitrio, §. 3. Et de præsenti apud eum Cœnobium Secretarij domestici munus exercere, sed eius curam Collegio restituit, §. 4. Vt deputet vnum ex Collegio à Pont. approbandum, §. 5. Qui in Palatio mansionem habeat d. §. 5. Vnam ex duabus portionibus ab Innoc. VIII. reseruatis pro Secretario domestico, prædicto Collegio concedit, §. 6. Medietatem emolumentorum, quæ seorsum à Collegio percipere consueuit, eidem Collegio tribuit, §. 7. Ille verò alijs Secretarijs rationem, & computa reddat, §. 9. Munus eius circa quæ versetur, §. 10. Collegio dat facultatem deputandi tres Scriptores ad scribendum Breuia, & registrandum Bullas secretas, §. 11. Emolumenta Collegio assignat, §. 12. & 13. Secretarios Doctores post annum 25. in habitu Prælatorum incedentes, vtriusque Signaturæ Referendarios pronunciat, §. 14. Antiquiorem singulis Papæ Signaturis interuenire concedit, §. 15. Habitum eorum designat, & in Capella locum assignat, §. 16. Pij V. concessionem approbat, §. 17. Clausulas præseruatiuas huic sanctioni apponit, §. 18. Decretumq; irritans, §. 19. Contrarijsq; derogat, §. 20.

Schol. primum.

Quæro. Qui erat status Secretariæ Apostolicæ ante dictum Innoc. VIII.?

RESP. Erant solummodo nonnulli Secretarij domestici, quorum opera Summi Pontifices de rebus fidem, & Rempublicam concernentibus tantùm, ad Reges, Principes, Respublicas, Ciuitates, Cardinales, Episcopos Prælatosque absentes, & alios vtraque via rescribebant, nempe bullatica sub Apostolorum Petri, & Pauli Imaginibus, & alia sub Piscatoris sigillo breuiori tamen, & quasi

quasi epistolari in cera, & quandoque etiam in plumbo, quas literas, vti breuiores, breuia in discrimen Bullarum vsus vocauit. Sed his temporibus cera, & non plumbo Breuia signantur, scribit Vestr. in Pract. Rom. Cur. lib. 1. cap. 7. nu. 1. & seqq. vbi culpa impressoris loquitur de Innoc. VI.

Schol. secundum.

Quæro. Secretarij habent ne priuilegium, quòd non teneantur ad publicationem suarum gratiarum?

RESP. Negatiuè cum Rota, vt habetur in decis. 355. Acchill. de Graff. vbi habetur etiam ratio huius resolutionis sub num. 5.

XXX.

Edita Anno 1586.

INuictorum CHRISTI Militum numerus, & infra, pagina 528. Bullar.

COMPENDIVM.

S. Petrus Martyr Ordinis Fratrum Prædicatorum professor fuit, §. 1. Inquisitoris hæreticæ prauitatis, & hæreticorum promotor fuit, §. 2. Martyrij coronam suscepit pro CHRISTI Fide defendenda, §. 3. Iubet hic Pont. eius Festum duplici officio celebrari, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Historiam huius Martyrij quis describit?

RESP. Bernardinus Cinus in Histor. Mediolan. par. 2. anno 1273. luculenter enarrat multa ab isto Martyre pro S. Inqoisitione statuta, & anno 1252. prosequitur factionem hæreticorum, qui ad eum occidendum coniurarunt, cum patientia eiusdem, & miraculis, & cæteris, quæ Martyris obitum antecesserunt, & subsecuta sunt. De quo Bernardini tractatu, & laudibus loquitur Pegna in 2. par. Director. Inquis. comment. 38. vers. Illud memoria dignum.

Schol. secundum.

Quæro. Post hanc forsan duplicis officij institutionem consueuit Romæ in Ecclesia B. MARIAE supra Mineruam Fratrum Prædicatorum solemnis quotannis celebrari Capella à Reuerendissimis DD. Cardd. Inquisitoribus generalibus, & alijs S. Inquisitionis Officialibus?

RESP. Non, sed antea anno 1560. ex instituto Pij V. Summi Pontificis, qui vnus ex Cardinalibus Inquisitoribus generalibus fuerat, teste Pegna, vbi supra.

XXXI.

Edita Anno 1586.

ADclauum Apostolicæ seruitutis, & infra, pagina 529. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciat primo sui Pontificatus anno absque alicuius oneris impositione decies centena millia nummorum aureorum collegisse, §. 1. Et nunc ea reponit in Arce Sancti Angeli pro Sedis Apostolicæ præsidio, DEOQ. & Beatæ MARIAE, ac Apostolis Petro, & Paulo dicat, Indeque promi vetat, §. 2. Vouet id seruaturum, & hoc iuramentum Successores etiam ligare decernit, §. 3. Exemplum subdit de amouente pecuniam ab ærario Templi DEI, §. 4. Casus quosdam excipit, & ad alios extendi prohibet, §. 2. & 5. Pecuniam ijs casibus acceptam, quam primùm reponi iubet, §. 6. Claues sex pro eius asseruatione haberi præcipit, §. 7. Præfectum dictæ Arcis iurare mandat non permissurum pecuniæ amotionem, non obseruata forma huius Bullæ, §. 8. Contrarium attentantibus pœnas imponit, §. 9. Cardinales omnes huius Bullæ obseruantiam iurare mandat, §. 10. In Conclaui Cardinales hoc idem, & Pontificem post coronationem iuramento promittere decernit, §. 11. In Conclaui hanc sanctionem legi iubet, §. 12. Eius transumptis credi decernit, §. 13. Contra Successorum in Pontificatu, & Cardinalium consentientium posteros, ad quos eorum bona deuenerint, agi mandat, §. 14. Sanctionem pœnalem sppoqit, §. 15.

Schol. primum.

Quæro. Thesaurus, de quo in §. 4. fuit ne perpetuò in Templo DEI?

RESP. Frequens de Gazophilacio fit mentio in Sacra Scriptura, ex qua perpetuò in Ecclesia DEI thesaurum ex pretiosis muneribus, oblationibus, vestibus, vasis, & pecunijs conflatum, & conseruatum fuisse constat; ita post alios scribit Petrus Greg. in 2. par. Syntagm. iur. lib. 15. cap. 39. num. 6.

Schol. secundum.

Quæro. Antiquis forsan temporibus dicabatur DEO nostro thesaurus, vt hic in §. 2.?

RESP. Accipe ex Iosue cap. 6. eiusdem Iosue, qui populum Israeliticum probè rexit in expugnatione Hierico decretum. *Quicquid auri, & argenti erit, & vasorum aereorum, ac ferre, Domino consecretur, repositum in thesauris suis*. Et alia eiusmodi exempla describit idem Petr. Greg. vbi supra.

XXXII.

Edita Anno 1586. & 1587.

REligiosos Viros, qui, & infra, pag. 532. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia in Monasterio Monachorum S. MARIAE Fullien. Ordinis Cistercien. strictior Regulæ obseruantia Monachorum S. Benedicti Ordinis Cistercien. introducta est, §. 1. Hic Pont. eam approbat, §. 2. Eà nemine impediri decernit, §. 3. Cognitionem dubij circa eiusmodi viuendi formam oriundi sibi reseruat, §. 5. Contrarijsq; derogat §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Quis huius strictioris obseruantiæ promotor fuit?

RESP. R. P. Ioannes della Barriera Abbas in dicto Monasterio S. MARIAE Fullien. Riuen. Diœc. in Gallia, vir quidem multarum virtutum, & pietatis, atque charitatis cultor fuit, obijtq; Romæ anno 1600. & eius sepulchrum in Ecclesia Sancti Bernardi Monachorum huius Congregationis cernitur.

Schol. secundum.

Quæro. Illa verba §. 1. *in vestro Monasterio*, & paulò infra *Vosque Religionis, & pietatis* obscura sunt cum in exordio Bullæ, omiserit Genitor tuus cui illa dirigitur, de quibus ergo intelliguntur?

RESP. Intelliguntur de dicto Ioanne della Barriera Abbate commendatario Monasterij B. MARIAE Fullien. Ordinis Cistercien. viro quidem nobili ex Prouincia Vasconiæ in Gallia, qui post promotam ibi per eum reformationem huius Congregationis Ioannes de S. Benedicto vocitatus fuit, vt de his omnibus nonnulli eius alumni mihi testati sunt. Sed culpa Impressorum fuerunt prætermissa illa verba *Dilecto filio Ioanni, &c.*

XXXIII.

Edita Anno 1586.

CAmeræ nostræ Apostolicæ, & Collegij, & infra, pagina 533. Bullar.

COMPENDIVM.

Approbat Constitutiones à Paulo II. III. & IIII. & Pio V. editas super solutione Annatarum communium quindenniorum de beneficijs Ecclesiasticis debitorum Reuer. Cameræ Apostolicæ, §. 1. Eas extendit ad quæcunque beneficia etiam per Ordinarium quomodolibet vnita, quamuis sint Monasteria Monialium, & Hospitalia, quæ tamen tempore ipsarum vnionum cura, & Conuentu, vel hospitalitate caruerit, §. 2. Contrarijs quibuscunq; derogat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Apud quem veram scientiam, & practicam videre possem, de materia Annatarum communium, & quindenniorum?

RESP.

RESP. Cæteris scriptoribus magis propriè, & eruditè terminos, & practicam huius materiæ docet Gallef. in suo tractat. de Annat. vir quidem doctrina, & Romanæ Curiæ negociorum, & causarum experientia insignis communi Curialium sententia enunciatur.

Schol. secundum.

Quæro. Quod hic dicitur de Monasterijs, & Hospitalibus, vt regulariter non soluant quindennia, vel annatas, habet ne locum etiam quoad illos, quibus super eis aliqua pensio reseruatur?

RESP. Soluen. esse tradit Gallef. vbi supra sub n. 30. vers. Ex huius regulæ, vbi hoc ampliat procedere, etiamsi pensio reseruaretur alicui moniali, & deinde declarat, quæ taxa ab his de pensionibus prouisis soluenda sit.

XXXIV.

Edita Anno 1586.

PONtifex Romanus primarias, & infra pagina 534. Bullarij.

COMPENDIVM.

Plures Romani Pontifices Ordini Monachorum Sancti Benedicti pleraque priuilegia elargiti sunt, §. 1. Gregorius IX. specialiter iussit in electione Abbatis nullum Episcopum, aut aliam personam se intromittere, §. 2. Innoc. IV. Ordinem exemit à iurisdictione Episcoporum, §. 3. Sixtus IV. Commendatarijs quædam vetuit, §. 4. Innoc. VIII. differentiam habitus interdixit, §. 5. Pius IV. Pius V. Gregorius XIII. alia Commendatarijs prohibuerunt, §. 6. Alij Pontifices alias gratias Ordini dederunt, §. 7. Hæc omnia hic Sixt. V. comprobat, dummodo sint in vsu, & Concilio Tridentino non contraria, §. 8. Clausulas huius const. præseruatiuas apponit, §. 9. Decretum irritans addit, §. 10. Executores deputat, §. 11. Contraria non obstare voluit, §. 12. Exemplis huius constitutionis credi iubet, §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Ampla forsan est exemptio, de qua in §. 3.?

RESP. Baldus in conf. 337. lib. 4. incipien. Super puncto, inquit, esse adeo amplam, vt concessa per Papam iurisdictione in exemptos etiam Legato natiuo, non comprehenduntur Cistercienses, si non fuot specificè nominati, & cum Baldo stat Tusc. in verb. Regulares conclus. 462. num. 5.

Schol. secundum.

Quæro. Hæc ampla exemptio ab Innoc. IV. concessa, vt dicitur in §. 3. comprehendit etiam illos tres casus exceptuatos in cap. 1. de Priuileg. in 6.?

RESP. Non comprehendit, etiam quòd dicto cap. 1. specificè derogaret, vt perbellè probat in puncto istius priuilegij Geminian. viden. in conf. 72. num. 1. vers. Contrarium, & num. seq. cui consilio omnes DD. Bononiæ se subscripserunt teste eodem Gemin. in d. cap. 1. §. In eos num. 9. Idemque tenet Franc. in eod. cap. 1. num. 1. & seq.

XXXV.

Edita Anno 1586.

EA est Congregationis Eremitarum, & infra, pag. 535. Bullar.

COMPENDIVM.

Strictior est obseruantia Congregationis Monachorum S. Romualdi Montis Coronæ Ordinis Camaldulen. cæteris alijs in Italia in princ. Vnde aliqui minus fortes ad alios Ordines transeunt, §. 1. Papa igitur huius Congregationis indultum recipiêdi alios ex alijs Ordinibus ad eum transeuntes, approbat, §. 2. Ipsis verò ad Eremum Camaldulen. transire vetat ibid. Contrauenientibus pœnas imponit, §. 3. Maiorem eorum contra eos procedere posse decernit, §. 4. Quibuscunque non obstantibus, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Transiens quis ad hanc Congregationem poterit secum deferre habitum Prioris Ordinis vnde discedit?

RESP. Poterit secum deferre habitum, quo commodè transire possit, quia concesso vno id omne censetur concessum, sine quo fieri nequit, vt in nostris terminis scribit Roderic. de Quæst. Regular. tom. 1. quæst. 79. artic.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si vellet secum deferre etiam scripta, quæ fecit in priori Religione?

RESP. In facti contingentia anno 1615. in Curia Illustrissimi D. Vicarij Vrbis ab eius Vicesgerente permissum fuisse scio cuidam (à Fratribus Reformatis S. Francisci in Ciuitate Tusculana ad Capuccinos translato, habito prius verbo cum Sanctissimo) delationem scriptorum, quæ priori Religioni verisimiliter futura erant inutilia, & tunc fuit allegatus Roderic. quem perlegi vbi supra.

XXXVI.

Edita Anno 1586.

COElestis Pater ad hoc nos, & infra, pagina. 536. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vniuersitas Artis Pistorum Vrbis, cui nonnullas gratias Leo X. & Iulius III. concesserunt, supplicarunt Papæ pro vberiori prouisione, §. 1. & seqq. Qui eas primùm confirmat, §. 5. Iurisdictionem Consulibus dictæ Artis in causis vsq; ad ducatos triginta auri de Camera, rationem rerum ad Artem spectantium contra quascunque personas sæculares concedit, §. 6. Et in alijs ab inde supra Præfecto Annonæ tribuit, ibid. Pistores ratione panis creditores nô venire in discussione, sed cæteris creditoribus etiam habentibus obligationem Cameralem anteriores esse decernit, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Cœpta discussione, & consignata pecunia vni ex creditoribus sub cautione de restituendo potioribus creditoribus sub obligatione Camerali, si superuenerit Pistor, & obtineat sibi illa restitui vti potiori, condênatus autem appellat, poterit non obstan. obligatione Camerali appellare.

RESP. Videtur posse, quia an Pistor sit potior non legitur in obligatione, sed potioritas est posita in conditione, quæ propterea venit verifican. per rem iudicatam nisi in obligatione addatur clausula, (& ad omne mandatum Domini) Marchesan. de Commission. part. 1. cap. 16. num. 96. secundum impressionem Romæ de anno 1604. fol. mihi 176. & ita practicatur.

Schol. secundum.

Quæro. Quid ageret Pistor, si Iudex discussionis pecuniam absque cautione alicui ex creditoribus posterioribus consignasset?

RESP. Non poterit ab eo auocare iuxta decis. Afflict. 190. quam secuta est Rota in decis. Seraphin. 1074. nu. 3. in Nouis, vbi tamen ponit duas limitationes, quæ ad tuum quæsitum minimè aptantur.

XXXVII.

Edita Anno 1586.

CVm sicut accepimus, & infra, pagina 537. Bullarij.

COMPENDIVM.

Volens Sixtus Archiconfraternitatem Confalonis de Vrbe, ab expensis litium releuare, dat facultatem Cardinali illius Protectori specialem earum Iudicem deputandi. §. 1. Citi facultatem tribuit summariè eas cognoscendi ibidem. Et in Curia, & extra citandi, & inhibendi, §. 2. Contradictores coercendi, §. 3. Ab eius sententijs semel tantùm, & deuolutiuè ad alium Iudicem per Protectorem deputandum, appellatio datur, §. 4. In causa discussionis Archiconfraternitas suum creditum consequatur data cautione, &c. §. 5. Iudex procedit singulis diebus, & horis in honorem DEI non feriatis, §. 6. Notarium deputat, §. 7. Eius citationes etiam à Mandatarijs exequantur, §. 8. Eiusdem mandata omnis Curia exequitur, §. 9. Redemptio

ti à captiuitate, & puellæ ab Archiconfraternitate dotatæ sub eius iurisdictione, §. 10. Præfectus Signaturæ Regensque, & Referendarius non signent commissiones, contra formam huius Bullæ, §. 14. Iudex Archiconfraternitatis, cogat omnes Notarios ad exhiben. instrumenta concernentia interesse Archiconfraternitatis, vel dictæ redemptionis, §. 15. Clausulas præseruatiuas apponit, §. 11. Contrarijs derogat, §. 16. Transumptis credi iubet, §. 18.

Schol. primum.

Quæro. Facultas coercendi contradictores, de qua in §. 3. quomodo intelligenda.

RESP. Vt Iudex coerceat eos, qui de facto, & indebitè sibi contradicunt, non autem de iure Put. decis. 270. lib. 3. in vltimò impressis num. 6. vbi ponit exemplum possessoris nolentis rem dimittere absque causæ cognitione, Achil. decis. 4. de Sent. excom. num. 11. Pegna in vna Panormitana Archidiaconatus 15. Iunij 1590. Pamphil. in vna Mediolanen. Parochialis 16. Martij 1588.

Schol. secundum.

Quæro. Puellæ, de quibus in §. 13. erunt ne huius Iudicis iurisdictioni subiectæ, antequam nubant?

RESP. Non siquidem, quia antea dotem petere non possunt, & Bulla non simpliciter eas huic iurisdictioni supponit, sed dum agunt pro consecutione dotium, & ita seruatum fuisse percepi à Genitore meo, dum Custodis huius Archiconfraternitatis munere fungeretur.

XXXVIII.

Edita Anno 1586.

IN suprema militantis Ecclesiæ, & infra, pagina. 540. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reducit numerum Cantorum Capellanorum suæ Capellæ ad viginti vnum, §. 1. Collegium eorum constituit, §. 1. Qualitates eorumdem designat, §. 2. Redditus assignat, & gratias elargitur, §. 3. Dat Collegio facultatem ex eius gremio eligendi Magistrum Capellæ, §. 4 Statutaque edendi pro suo bono regimine, §. 5. Eximit ab omni superioritate Ordinariorum, & Iudicum in Vrbe, & extra, §. 6. Confirmat gratias hactenus elargitas, §. 7. Decernit non amoueri, nisi æquiualenti data recompensa, si legitimè impediti fuerint, vel spatio annorum vigintiquinque inseruiuerint, §. 8. Priuilegia amotorũ perpetua constituit, §. 9. Protectorem, & Rectorem dicti Collegij vnum Cardinalem deputat, §. 10. Cui iurisdictionẽ quascunq; causas dicti Collegij, & personarũ eius cognoscendi tribuit, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Probaret ne quis Petrum suum fratrem fuisse Capellanũ Papæ ex solis literis Apostolicis, in quibus Pius V. conferens ei quoddam Ecclesiasticum beneficium, eum appellat suum Capellanũ, & grata ab eo obsequia recipere?

RESP. Probaret plenè assertin Papæ, quia est de facto suo, idest de seruitijs sibi præstitis Gemin. cons. 79. post princ. & Aeneas de Falcon. in tract. de Referu. benefic. in 4. prælud. quæst. 3. num. 16.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si pars aduersa narrasset illum fuisse Capellanum Papæ?

RESP. Proculdubio sufficienter contra eam probat, Simonet. de Reseruat. benefic. quæst. 33. in fine, vbi Paulus Granut. in Append. addit. decis. Put. 325. lib. 2. quæ in nouissimè impressis est 316.

XXXIX.

Edita Anno 1586.

AFflictæ, & crudeliter vexatæ, & infra, pag. 541. Bullarij.

COMPENDIVM.

Anglorum hæreticorum immanitatem execratur in princ. Catholicorum verò constantiam, patientiamque cõmendat, §. 1. Collegium, vel Seminarium Rhemense à Sede Apostolica institutum pro Anglorum refugio, maximam patitur difficultatem his temporibus, §. 2. Papa orat Deum pro Anglis, §. 3. Hortatur Christi fideles ad illi subueniendum, §. 4. Prælati publicent hanc Bullam, & eleemosynas pro Collegio colligant, §. 5. Hortatur Principes Christianos, vt Catholicos Anglos recipiant, eisq; faueant, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Quid est quòd his temporibus Catholicorum Anglorum calamitates magis exacerbari dicuntur ex quodam, quod Rex Angliæ ab eis exigit, iuramento?

RESP. Accipe omnia de hoc iuramento adamussim descripta ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Cardinali Bellarmino in sua, quam edidit, Apologia pro responsione ad librum Iacobi Angliæ Regis.

Schol. secundum.

Quæro. Nonne, & Summi Pontifices vsque modo de eorumdem Anglorum in Fide constantia soliciti fuerunt?

RESP. Clemens VIII. suis literis ad Magistrum Georgium Archipresbyterum Regni Angliæ die 5. mensis Octobris 1603. & fel. record. Paulus V. alijs ad Catholicos Anglos die 22. mensis Septembris 1606. & eadem die sub sequentis anni datis literis hac re diligenter egerũt, vt ex eiusdem Sanctissimi duplicato diplomate in dicta Apologia pag. 186. & 192. cuiq dignosci valet.

X L.

Edita Anno 1586.

CVm sicut nobis nuper exposuisti, & infra, pag. 542. Bullarij.

COMPENDIVM.

Generalis Minister Fratrum Minorum de Obseruantia Sancti Francisci exponit Papę, multa loca eos tenere, de quorum concessione, vel titulo docere nequeunt in princ. Papa retentionem concedit accedente consensu Ordinariorum, quoad loca, quæ possident à decem annis citra, §. 1. Gratiasq; his locis elargitur, quæ locis dudum iure receptis elargitæ fuerunt, §. 2. Hanc Bullam pro legitima concessione sufficere decernit, §. 3. Et ita, & non aliàs iudicari præcipit, §. 4. Contrarijsque derogat, §. 5. Transumptis insuper credi iubet, § 6.

Schol. primum.

Quæro. Quis erat Minister Generalis his temporibus?

RESP. Erat P. Franciscus Gonzaga in Capitulo Generali Parisien. secũdo, electus anno 1579. vt liquet ex actis eiusdem capituli, cuius nominis expressio in exordio Bullæ, non à Genitore meo, sed Impressorum incuria prætermissum, scio ex authentico, quod in eius Bibliotheca asseruatur. Qui quidem Minister Generalis fuit postea ab isto met Pontif. creatus Episcopus Cefalodiensis, & deinde à Clemente VIII. Episcopus Mantuanus.

Schol. secundum.

Quæro. Nonne satius fuisset allegare titulum infectum, quàm non titulum, vt hic in principio?

RESP. Generalis Minister non allegauit non titulum, sed defectum probationis. Et nihilominus melius est regulariter non allegare titulum, quàm allegare titulum infectũ Rota in decis. 3. Caffad. de Cauf. possess. & propriet. num. 7. & in decis. Seraphin. 1498. num. 14.

XLI.

Edita Anno 1586.

QVemadmodum prouidus, & infra, pagina, 543. Bullar.

COMPENDIVM.

Ne Referẽdariorum dignitas ob eorum multitudinem vilescat, & in rebus agendis perturbationem pariat eos vtriusque Signaturæ ad numerum centum reducit, §. 1. Admittẽdorum ad Signaturam Iustitiæ qualitates, & habitum

bitum describit, §.3. Et admissionis formam præscribit, §.3. Et in ea versatos per triennium ad Signaturam Gratiæ admitti posse decernit, §. 4. Quos referendarios Signaturæ Gratiæ assistentes declarat, §. 5. Rationem proponendi in Signatura Iustitiæ obseruatam probat, §.6. Literas Apostolicas infra tres menses expediri præcipit ab admissis, §.7. Familiaritatis, & veræ nobilitatis priuilegium, ac suorum insignium vsum eis concedit, ac ab Ordinariorum iurisdictione eximit, §.8. In Monasterijs eisdem commendatis, & quorum Abbates mitta &c. vt sunt eosdem illis vti posse indulget, §.9. Confessorem semel in vita eligendi licentiam tribuit, qui in articulo mortis plenariam indulgentiam cōcedat, §.9. Celebrandi, & celebrari faciendi circa auroram, & in locis interdictis facultatem concedit, §.11. Stationes Vrbis eisdem Ecclesias ab eis eligendas visitantibus communicat, §.12. Carnibus secretò in diebus vetitis de consilio vtriusque Medici vesci posse permittit, §.13. Dispositionē cap. Statut. 11. de Rescript. in 6. ad Referendarios extendit, §.14. Clausulas huius indulti præseruatiuas subiungit, §.15. Executores deputat, §. 16. Contrarijs omnibus derogat, §.17. Transumptis istius Bullæ credi iubet, §.18.

Schol. primum.

Quæro. Referendarij absentes à Curia gaudebunt his priuilegijs ob labores concessis?

RESP. Non possunt abesse absque Papæ licentia qua stante habentur pro præsentibus, vel saltem ob præteritos labores illis perfrui merentur, vt censuit Rota in decis. 103. lib. 3. num. 3. in Nouis.

Scholium secundum.

Quæro. Rationem proponendi in Signatura Iustitiæ, de qua in §.6. quis enarrat?

RESP. Recenset Marchesan. de Commiss. p. 1. cap. 1. nu. 105. in nouiter ab eo impressis pag. mihi 121. vbi etiam nu. præced. rationem proponendi in Signatura Gratiæ describit, & alia multa de Referendar. congessit post Petr. Andr. Gambar. de Author. legat. de Later. c. 3. nu. 33. & seqq.

XLII.

Edita Anno 1586.

INter varias, & multiplices, & infra, pag. 545. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia plerumq; Communitates Status Ecclesiastici pro alijs perperam se obligant, præcipit hic Pont. infra annum à iam factis obligationibus per illos liberari, §.1. & 2. Et si obligationes non sint, facta aliqua oblatione, vel solutione extinguibiles, expromissores indemnitatis dari iubet, §. 3. Quisque etiam priuatus nedum Communitas ad hoc agere possit, & Iudex vnica citatione præcedente mandatum executiuum relaxet, §.4. Communitates de cætero absque licentia Papæ, vel eius Reuerendæ Cameræ Apostolicæ earum bona alienare, & alia ratione, quàm locationis, & non vltra decennium obligare nequeant, §.5. Neque pro alijs fideiubeant, §.6. Obligationes, & alienationes de cætero fiendæ nullæ sint, §.7. Communitates non mittant Oratores sumptibus publicis absque licentia Papæ, vel eius Reuerēdæ Cameræ, §.8. Contrauenientibus pœnas imponit, §.9. Pij IIII. constit. 8. de qua supra fol. 3. & Statutum Vrbis Lib. 3. cap. 31. innouat, §.10. Contrarijsq; derogat, §.11. Transumptis credi iubet, §.12. Hanc Bullam in vulgarem sermonem versam in Consilijs à Communitatibus publicari, & obseruari mandat, §.13.

Schol. primum.

Quæro. Fideiussor indemnitatis, de quo in §.3. dicitur simplex fideiussor?

RESP. Non, sed sub conditione, idest in casu damni passi, vel molestiarum, de quibus antea constare debeat, antequam intret obligatio fideiussoris Bart. in l. 1. Cod. de conuenien. Fisci debitor. no. 1. & seq. Osasc. decis. Pedemont. 2. nu. 14. Rota in dec. Seraph. 1024. in Nouis. nu. 2.

Schol. secundum.

Quæro. Quid cauetur in Statuto Vrbis citato in §.10.?

RESP. Traditur forma in venditionibus redituum Populi Romani seruanda, vt videri potest, & est in viridi obseruantia.

XLIII.

Edita Anno 1585. & 1586.

AEquum arbitramur, & infra, pagina 547. *Item*. Cum sicut accepimus, & infra, pagina 549. Bullar.

COMPENDIVM.

Statutis Militiæ S. Ioannis Hierosolymitani cauetur, quoscumque etiam à Sede Apostolica prouisos certa iura communi Religionis ærario soluere, certaq; onera subire debere; §. 1. Quidam ab eadem Sede promisi derogationē dicti Statuti à Papa extorquebant, §.2. Pius V. id vergere in damnum dicti Ordinis cognoscens, statuit omnes etiam S.R.E. Cardinales, beneficia, & pensiones eiusdem Ordinis obtinentes, ad illa iura, & onera teneri decernit, §.2. & seqq. Sed ipsius Pij V. Bulla expedita non fuit, ideoq; hic Pontifex à die eius datæ eam validat, §.19. Iubet omnibus Officialibus, & alijs, vt Receptoribus dictæ Militiæ, dum beneficiorum possessionem accipiunt, faueant, & assistant, §.1. & 2. subseq. Bullæ.

Schol. primum.

Quæro. Ærarium, de quo hic, posset ne iure dici Fiscus?

RESP. Non, quia licet Fiscus, & Ærarium crebro conuertantur: proprius tamen hæc pecunia, quæ Reipublicæ huius militiæ, & Religionis est, Aerarium dicta fuit, ita post alios scriptum reliquit Ioann. Pirr. de Magistrat. Roman. p. 2. de Quæstor. Magistrat. nu. 4. & Alciat. in tract. de Magistrat. nu. 16.

Schol. secundum.

Quæro. Receptorum nomen, nonne idem est, quod olim erat Quæstorum Thesauro deputatorum?

RESP. Sic, scribit Petrus Greg. lib. 3. Syntagm. iur. cap. 2. num. 14. per tex. iuncta glos. in l. 1. & 2. Cod. de Offic. Quæstor.

XLIV.

Edita Anno 1586.

AD excelsum vniuersalis, & infra, pagina 550. Bullarij.

COMPENDIVM.

Erigit in officium vacabile Officium Commissariatus Reu. Cameræ Apostolicæ, §.1. & 2. Authoritatem solitam ei concedit, §.3. Administrationem Archiuij Scripturarum Reu. Cameræ annectit, §.4. Iurisdictionem coercendi occupantes huiusmodi scripturas tribuit, §.5. Prælatosq; & Clericos ingerentes se in beneficijs Ecclesiasticis, Bullis non expeditis puniendi, §.6. Emolumenta, & redditus ei concedit, §.7. Clericorum, & Cameralium priuilegijs eum donat, §.8. Circa pensiones indultum tribuit, §.9. Habitum, & locum in Capella, Consistorijs, & alijs actibus publicis, necnon in Camera, & Visitatione Carcerum assignauit, §.10. Facultatem officium resignandi impartitur, §.11. Expeditionesq; gratis pro eis fieri decernit, §.12.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore hoc officium Commissariatus institutum fuit?

RESP. Longe ante tempora Pij IIII. qui hoc nomine Commissariatus vsus fuit in const. 84. de qua sup. pag. 25. §.47. aderat quidam Reu. Cameræ Apostolicæ, vel potius Papæ minister quibusdam negotijs eisdem Cameræ ad nutum ipsius Papæ assistens, in antiquis scripturis, & contractibus Cameræ, prudentis viri nomine nuncupatus.

Schol. secundum.

Quæro. In quo hodie differt Officium Commissarij ab officio Fisci, quo ad causas criminales?

RESP. Annis proximè decursis ista controuersia excitata fuit in Camera, & inter alia pro Fisco allegabatur Bulla 20. Clemen. VII. §.1. & Bulla 9. Pauli III. §.1. & Bulla 58. Pij IIII. §.18. Et pro Commissario præter alia alle-

allegabatur Bulla 36. Pij IIII. §. 2. & hæc Bulla in §. 3. sed consulto à fœl. record. Paulo V. determinatũ fuit, quod in causis criminalibus, vbi non agitur de pęna vltimi supplicij, eorum Camerario, & Clericis Commissarius interueniat, suaque sint emolumenta; in cæteris verò omnibus interueniat Fiscus, & ita hodie seruatur.

XLV.

Edita Anno 1586. DEtestabilis auaritiæ, & infra, pagina. 533. Bullarij.

COMPENDIVM.

Damnat contractus Societatis, quibus cauetur animalia, & alias res Societatis nomine tradentibus, sors, seu capitale saluum sit, & integrum à socio recipiente restituatur, etiamsi fortuito casu quamlibet iacturam sequi contingat, §. 1. Vel quibus cauetur, vt de certa quantitate, vel summa in singulos annos, vel menses durante Societate recipiant d. §. 1. & 2. Contrauenientibus pęnas infligit, §. 3. Decretum irritans ponit, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quid si fiat pactum, quod capita animalium demortuorũ in societatem datorum, ex fętibus renouentur?

RESP. Non intrat Bulla, quæ est restricta ad casum renouationis damno socij recipientis l. 4. §. Docere, ff. de vi. bonor. raptor. cum similib. & in terminis sic censuit Rota in decis. R. P. D. Manzanedi in vna Anagnina Vsurarum 14. Martij 1607. vbi alios consimiles casus adducit. Et facit alia Rotæ decis. coram Coccin. in vna Romana Societatis in fin. die 3. Iunij 1602. vbi concludit hanc Bullam comprehendere solùm casus vsurarios de iure communi additis maioribus pęnis.

Schol. secundum.

Quæro. Mulier excusaretur ne à contrauentione Bullæ, cum sit eius subtilitatum ignara?

RESP. Non, quia dum voluit contrahere, debuit in materia vsurarum, iurisconsultorum quærere consilium, pręsertim in loco, vbi eorum copia haberi potest, vt in simili casu dixit Rota in decis. Seraphin. 1006. num. 4. & seq. in Nouis. Nisi forsan apponeret eam clausulam, quòd noliit pro apposito haberi, quicquid esset contra formam Bullæ, vt perpendit Rota in dicta Anagnina Vsurarum in fine.

XLVI.

Edita Anno 1586. AD compescendum, & infra, pagina. 554. Bullar.

COMPENDIVM.

Adulteria Execratur, §. 1. Coniuges temerè se in Vrbe à communi thoro separantes iudicis arbitrio puniri iubet, §. 2. Monitum Iudicis authoritate separationem obtinẽtem, vt luxuriosè viueret, & postea luxuriosam vitam ducẽtem pęna vltimi supplicij plecti decernit, §. 3. Et similiter vxorem, §. 4. Coniuges, quæ ex loco eis assignato aufugerint, & impudicè vixerint eamdem pęnam incurrere declarat; §. 5. Eum, qui vt virginẽ, vel coniugatam carnaliter cognoscerit, illius parentes, vel Custodes, aut curatores carcerari fecerit, postea; stuprauerit, vel adulterauerit, eidem pęnę obnoxium decernit, §. 6. Parentes, aut maritos ad quæstum inducentes eorum coniuges, vel filias eadem pęna mortis puniri mandat, §. 7. Contra alios adulteros, & lænones, &c. antiqua iura in suo robore permanere subdit, §. 8. Coniugatis non resipiscentibus incursum penarum prędictarum indicat, §. 9. Et ita, & non aliter iudicari decernit, §. 10. Iudicibus in prędictis, proceden. amplam facultatem tribuit, §. 11. Contrarijs derogat, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Causa adulterij nonne est mixti fori?

RESP. Ita sanè, & est locus præuentioni inter Iudicẽ Ecclesiasticum, & sæcularem, quando agitur de eo puniendo, sed si etiam de separatione thori spectat ad Iudicem Ecclesiasticum sufficit videre Lancell. in suo Templo omn. Iud. in tit. de Officio Prætor. in rubric. de Adulter. num. 6. & latiùs Zanc. de Matrimon. lib. 10. de Diuort. disput. 8. num. 15. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Illa verba (*in suo robore permansuræ*) importabunt antiquarum legum præcisam obseruantiam, quæ pęna mortis adultera puniebant?

RESP. Non; quia hic Papa frustra eam pęnam certis casibus innouasset, sed remanent in suo robore, quod est mitigatum à generali cõsuetudine ad pęnam mitiorem Clar. in §. Adulterium num. 7. necnon à Concil. Trident. cap. 8. sess. 24. & etiam à Statuto Vrbis (ad quem hæc Bulla restricta est) lib. 2. cap. 50. & ita hæc verba interpretatur Angel. in l. 4. Cod. de prescript. 30. annor. num. 2. & ita obtinuit Genitor meus in facti contingentia his diebus in Curia Illustrissimi D. Vicarij Papæ, non obstante quod in contrarium allegaretur Baiard. in §. Adulterium num. 46. aliter fortasse, & malè sentiens.

XLVII.

Edita Anno 1586. DIuina Dei prouidentia, & infra, pag. 556. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. circa beneficiales confidentias const. 85. de qua sup. pag. 25. & alteram Pij V. constit. 85. de qua sup. pag 59. ediderunt, §. 1. Hic Pont. vt diligentius causæ huiusmodi confidentiæ dijudicentur, erigit officium Auditoratus causarum beneficialis confidentiæ, §. 2. Redditus ei assignat, §. 3. Et etiam priuilegia, quibus veri Papæ familiares continui commensales, & Prelati domestici perfruuntur, §. 4. Dat iurisdictionem amplissimam causas confidentiæ, & simoniæ, & ei annexas cognoscẽdi, §. 4. Notariatum huic officio applicat, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. In Bullis Pij IV. & Pij V. de quibus in §. 1. dicitur forsan prohibita confidentia etiam mentalis, nulla interueniente conuentione, vel pacto?

RESP. Non, quia nec ante eos erat prohibita, & ipsi Pontifices voluerunt solummodo tollere confidentiam antea illicitam, & simoniacam, vt ostẽdit Nauarr. in Manual. Confess. cap. 23. num. 109. & seq. & in cons. 27. de Simon. lib. 5. num. 1. pag. mihi 446. Paris. de Confident. quæst. 1. num. 44. Rota coram Pamphilio in vna Imolen. Confidentiæ die 24. Februarij 1592.

Schol. secundum.

Quæro. Nùm iste Auditor causarum beneficialis confidentiæ possit etiam cognoscere causas simoniæ?

RESP. Non, quia latiùs patet simonia, quàm confidentia, & ideò quamuis omnis confidentia beneficialis sit simoniaca, non tamen reciprocatur, vt omnis simonia sit confidentia, & ideo sententiam à dicto Auditore latam super simonia, nullam pronunciauit Rota in decis. 166. par. 2. num. 1. in Recentioribus, & antea in vna Calaguritana prętensæ confidentiæ die 5. Iunij 1592, coram Penia impressa per Marchesan. de Commission. par. 1. fol. mihi 130. iuxta secundam impressionem Romæ.

XLVIII.

Edita Anno 1586. SVper vniuersas, & infra, pagina. 558. Bullarij.

COMPENDIVM.

Oppidum Montis Alti in multis commendat, §. 1. Illud à Diœcesi Asculana, Firmana, & Ripana separat d. §. 1. Erigit in Ciuitatem, & Collegiatam Ecclesiam B. MARIAE in Episcopatum, §. 2. Dotem assignat, §. 3. De-

Decretum irritans apponit, §. 4. Clausulasque derogatorias, §. 5.

Schol. primum.

Quaero. Quae olim fuit causa erigendi, & diuidendi Episcopatus, seu Dioeceses?

RESP. Augumentum diuini cultus, & spiritualis animae profectus, vix etenim difficile est in lata, & diffusa Dioecesi partes boni Pastoris, quoad singulos, implere, ad text. in extrauag. 5. de Praebend. & Dignitat. vbi Ioannes XXII. Episcopatū Tholosanum in Metropolim erexit, & quattuor Episcopatus inde creatos ei subiecit.

Schol. secundum.

Quaero. Quis omnium primus in singulis Ciuitatibus Episcopos, & in sublimioribus Ciuitatibus Archiepiscopos institui iussit?

RESP. Petrus Apostolorum Princeps, vt habetur in cap. 2. dist. 80. & cap. 1. dist. 90. vbi glos. inquit, quòd Dionysius Papa postea Dioeceses diuisit, vt in cap. 13. quaest. 1.

XLIX.

Edita Anno 1586. SVperna dispositione, & infra, pagina 559. Bullarij.

COMPENDIVM.

Oppidum S. Seuerini in multis commendat, §. 1. Illud à Dioecesi Camerinen. separat, §. 2. In Ciuitatem erigit, & Episcopatum instituit, §. 3. Dioecesim designat, §. 4. Dotemque scutorum mille, §. 5 Priuilegia communicat, §. 6. Contrariaque remouet § 7.

Schol. primum.

Quaero. Haec separatio à Dioecesi Camerinen. praeiudicabit in aliquo iuribus illius, qui in locis obuentis Dioecesi S Seuerini habebat?

RESP. Non, nisi in quantùm Papa expressè statuerat, prout hanc quaestionem diffiniuit Ioann. XXII. in sua extrauag. 2. de Concess. Praebend. & dixit Rota in decis. Seraphin. 1337. num. 6.

Schol. secundum.

Quaero. Ciuitatis nomine gaudere ne potuisset hoc Oppidum absque Episcopatus institutione?

RESP. Poterat, sed in Terris Christianorum, praesertim in Italia illa solùm dicitur propriè Ciuitas, quae Episcopum habet, secundùm Batt. in l. 2. ff. de verbor. significat. in fine, & in l. Sodales 4. ff. de Colleg. illic. Ias. in l. Si haeres 76. §. Vicis. ff. de Legat. 1. num. 4. Bald. in l. 5. ff. de iust. & iure. num. 34.

L.

Edita Anno 1586. POstquam verus ille, atque aeternus, Pastor, & infra, pagina 560. *Item*. Sanctissimus Dominus, & infra, pag. 564. Bullar.

COMPENDIVM.

Praemittit, Cardinales repraesentare personas Apostolorum, dum CHRISTO salutis mysterium in Terris operanti ministrarent; sunt etenim coadiutores Papae in executione, & in dirigenda Catholica Ecclesia, suntque eius Cardines in princip. Subdit propterea optimos, lectissimosque Cardinales à Papa creandos esse, §. 1. Praesertim, quòd ex Collegio Cardinalium creandus est Romanus Pontifex, §. 2. Eorum ergo numerum praefinit ad septuaginta ad exemplum mandati Domini ad Moysem de assumendis secum septuaginta viris, quos nosset senes Populi esse, & Magistros, & secum onus Populi substentarent, §. 4. Et ex eis sint Episcopi sex, Presbyteri quinquaginta, & Diaconi quatuordecim, §. 5. Qui Diaconi non sint minores annis vigintiduo, & infra annum ad Ordinem Diaconatus, quousque suppleatur numerus quatuordecim, quàtus ex feruore deuotionis ad Presbyteratum promoueantur, §. 7. Diaconorum prior, aut sequens quando ad vnam Ecclesiam ex praedictis sex Episcopalibus promouendus, §. 8. In dicto numero Cardinalium sint quatuor saltem Magistri in Theologia, §. 9. Creentur Cardinales in diebus ieiuniorum mensis Decembris tantùm, §. 10. Et ex omnibus Nationibus Christianitatis, §. 11. Illegitimi autem nequaquam, etiam legitimati, aut super defectu natalium dispensati, §. 12. Et neque ij, qui ad sacros Ordines promoueri non possint, §. 13. Promouendi ad Cardinalatum, doctrina, probitate, alijsque bonis qualitatibus ornati esse debēt, §. 14. Et etiam per annum ante promotionem, in quattuor minoribus Ordinibus constituti, habitumque, & tonsuram gestantes, §. 15. Filium, aut ex eo nepotem habentes ad Cardinalatum non promoueantur, §. 16. Nec frater alterius Cardinalis germanus viuentis, vel patruelis, consobrinus, aut amitinus, §. 17. Neque patruus, aut auunculus nepotis ex fratre Cardinalis viuentis, & è conuerso, §. 18. Absentes Cardinales creandi sunt adiecta conditione, vt infra annum Limina Apostolorum visitent, §. 19. Declarat tempus quo Cardinalis Diaconus debeat perseuerare in Diaconatu, antequam possit promoueri ad dictos Episcopatus, §. 25.

Schol. primum.

Quaero. Cur ex omni Natione Cardinales sint creandi, vt in §. 11.? Nonne conuenientius videtur assumi de Terris peculiaribus S.R.E.?

RESP. Licèt conuenientius videretur, quod asseris, eo quia Cardinales sic liberiores essent in ferendis consilijs Papae, vt post Archid. Florentin. sic scribit Iacobat. de Concil. lib. 1. artic. 1. sub num. 212. Verumtamen ex omni natione eligendi sunt, vt vnusquisque genti suae, cuius mores, & aditus notiores habet, facilius, & certius iustitiam ministrare possit secundùm D. Bernard. & Antonin. quos refert, & sequitur Gomes. super Reg. Cancel. quaest. 1. de Idiomate.

Schol. secundum.

Quaero. Antequam Cardinales hoc nomine appellarentur, quomodo vocabantur?

RESP. Consiliarios à Gregorio I. vocitatos probat text. in cap. 67. caus. 12. quaest. 2. ac à Pelagio I. in cap. 31. causa. 16. q. 1. & à Concilio Meldensi in c. 4. caus. 1. quaest. 7. vt scribit Roman. in suo sermone post eius consilia impresso sub num. 13. & sequitur Card. Tusch. in verbo Cardinales conclus. 95.

LI.

Edita Anno 1586. SVper vniuersas, & infra pagina, 564. Bullarij.

COMPENDIVM.

Oppidum Tolentinum in multis commendat, §. 1. Illud separatā Dioecesi ciuitatis Camerinen. §. 2. Erigit in ciuitatem, & Collegiatam Ecclesiam Sanctae MARIAE in Sedem Episcopalem, §. 3. Almutiarum vsum Canonicis concedit, §. 4. Episcopatum hunc Episcopatui Maceraten. vnit, & Episcopus Maceraten. & Tolentin. se subscribere debeat, §. 5. Vicarium constituat in ciuitate Tolentini, qui solum Episcopum in Superiorem cognoscat, §. 6. Episcopatui dotem assignat, §. 7. Dioecesimque, & Clerum, §. 8. Decretum irritans apponit, §. 9. Contrarijsque derogat, §. 10.

Schol. primum.

Quaero. Aliae ne sunt ciuitates, quae vnitae sint quoad Episcopatum?

RESP. Nonnulla exempla refert Illustrissimus Card. Tuscus in verb. Episcopatus conclus. 298. Aliud autem habes in extrauag. 5. de Praebend.

Schol. secundum.

Quaero. Vicario, de quo in §. 6. si Papa committeret aliquam causam posset iste Episcopus cognoscere?

RESP. Non; si absolutè ei committatur, quia in illa Vicarius delegatus dicitur maior Ordinario cap. Studuisti de Offic. deleg. Rota in decis. Seraphin. 506. num. 3.

Cum

Edita Anno 1586.

LII.

CVm in vnaquaque bene, & infra, pag. 565. Bullarij.

COMPENDIVM.

Senatus, Populusq; Romanus iussu istius Pontificis reformationem constituerunt circa immoderatos sumptus vestium, dotium, ornamentorum, & conuiuiorum, §. 1. Cardinales à Papa deputati eam absoluerunt, §. 2. Papa comprobat, §. 3. Executoresq. deputat, §. 4. Clausulas præseruatiuas apponit, §. 5. Transumptorum fidem, §. 6. Forma, & effectus publicationis constit. subiungitur, §. 7. Decretumq; irritans, §. 8. Clausulæ derogatoriæ, §. 9. Subnectit reformationem circa vestes hominum: Item Mulierum, sponsarum, coniugatarum, & viduarum: Item Dotium: Item donationum in nuptijs; Item circa conuiuia, & lectos nuptiales: Subsequitur prohibitio munerum inter Compatres, & Commatres, Item circa rhedas; Item circa funeralia: Contrauenientium pœnas apponit.

Schol. primum.

Quæro. Fuit ne etiam antiquioribus temporibus Magistratus aliquis, qui vestium reformationi præerat?

RESP. Aelianus in sua Var. Histor. lib. 14. scribit Lacedęmoniorum Ephoros idest, summos Magistratus quotidie obire solitos ad inspectionem vestium, ne quid à decēti ornatu vsurparetur. Quod recenset Ioan. Busæus in Summa Remedior. contra animi morbos, in §. Vestium luxus pag. mihi 267. in fine, vbi latè agit de hac materia.

Schol. secundum.

Quæro. Si isti reformatores aliquid statuissent, quod Papa non cōfirmasset potuissent ne illud postea reuocare?

RESP. Non, quia consumpta est illa potestas eis delegata per primum actum: Secus si reformatores habuissent eam potestatem perpetuam ex iurisdictione ordinaria ex doctr. Bart. in l. 4 ff. de Decret. ab Ordin. facien. num. 33. & bene Alex. cons. 119. lib. 6. num. 30.

LIII.

Edita Anno 1587.

SVperna dispositione, & infra, pagina 569. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. in sua constit. 97. de qua supra pagina 110. Congregationem Annunciationis B. MARIAE instituit pro externis Scholaribus Annunciationis B. MARIAE quædam pia opera exercentibus in Ecclesia Annunciationis B. MARIAE Virginis Collegij Societatis IESV de Vrbe, §. 1. Sed plures in eodem Collegio, ac Domibus dictæ Societatis non solùm pro Scholaribus, verum etiam pro non Scholaribus erigi opus erat, §. 2. Præpositus ergo Generalis dictæ Societatis IESV supplicat Papæ pro facultate eas instituendi, §. 3. Quam ei concedit, §. 4. Et etiam facultatem alias Congregationes huic primariæ Congregationi aggregandi cum eius gratiarum, & indulgentiarum communicatione, §. 5. Clausulas præseruatiuas apponit, § 6. Et etiam derogatorias, §. 7. Transumptorum fides subiungitur, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba (*pia opera exercentibus*) quid nobis innuunt?

RESP. Quod indulgentiæ ob rationabilem causam sunt concedendæ, vt ad plenum hac de re scribit Nauar. in suo comment. de Iubil. & Indulg. notab. 15. per totum pag. mihi 53.

Schol. secundum.

Quæro. Si quis faceret maiorem partem eius, quod Indulgentia requirit, sed non totum, consequeretur indulgentiam, aut eius partem?

RESP. Nihil de rigore iuris consequitur, vt scribit Nauar. cons. 9. de priuileg. lib. 5. num. 1. pag. 560. & in præcitato Comment. de Iubil. notab. 19. num. 2.

LIIII.

Edita Anno 1587.

VOlentes quantùm in nobis est, & infra, pagina 570. Bullarij.

COMPENDIVM.

Incęstus crimen admodum detestatur in princ. Virum scienter matrem, & filiam, aut duas germanas inter se sorores carnaliter cognoscentem, aut cum earum altera in locis ditionis S. R. E. se matrimonio coniungentem vltimo supplicio puniri decernit, §. 1. Mulierem peccantem cum eo, cum quo scit matrem, aut filiam, aut sororem suam tem habuisse, eadem pęna ligat, §. 2. Mulieri cum patre, & filio, vel duobus fratribus scienter peccanti eamdem pęnam imponit, §. 3. Virum scientem eius patrem, aut filium, aut fratrem cum muliere, peccasse, & cum eam peccantem dicta pęna vltimi supplicij afficit §. 4. Decretum irritans apponit, §. 5. Iudicibus plenam tribuit facultatem proceden. contra prædictos, ac eorum complices, & fautores, §. 6. Contrariaque remouet, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Quod disponitur in §. 1. de matrem, & filiam cognoscente, erat ne pariter dispositum iure communi?

RESP. Dubius erat articulus, sed negatiua sententia crebriori DD. calculo, & fori obseruantia probata fuit Clat. in §. Incæstus num. 2. Petr. Greg. lib. 36 Syntagm Iur. cap. 7. num. 7. Caball. casu 200. lib. 1. nu. 52. ac Menoch. de Arbitrar. Iud. casu, 502. num. 34.

Schol. secundum.

Quæro. Quid dicen. de iure communi de carnaliter cognoscente duas sorores inter se germanas scienter, qui hac lege pęna mortis punitur?

RESP. Opinionem affirmatiuam tenet Ghirland. de Pęn. omnifar. coit. quæst. 4. num. 4. Sed contrarium probauit Vinc. de Frāch. in decis. 378 in fine. cui adhæret Cabal. vbi supra, quatenus incæstus non sit cum adulterio nu. 34.

LV.

Edita Anno 1587.

REligiosa Sanctorum Pontificum, & infra, pagina 571. Bullar.

COMPENDIVM.

Quia ex antiquissima institutione, solent à Summo Pontifice, Cardinalibus presbyteris quædam Ecclesiæ Cathedrales, Vbi finitimæ, & aliæ in ipsa Vrbe, & aliæ etiam Diaconis, regendæ, & administrandæ assignari in princip. Hic Pont. qui in sua const. 50. sup. pagina 124. numerum Cardinalium ad septuaginta pręscripsit Ecclesias, titulos, & Diaconias pro eis nunc determinat, §. 1. Et quinquaginta Ecclesias, siue earum titulos quinquaginta Cardd. presbyteris assignat, §. 2. Et quatuordecim Diaconias quatuordecim Diaconis delegat, §. 3. Sex autem Episcopales Ecclesias pro antiquioribus Cardd. presbyteris assignat, §. 4. Aliumque statuit titulum pro Vicecancellario iuxta determinationem Clem. VII. in sua const. 7. de qua sup. pag. 108. t. 1. §. 5. Istasque, & non alias à Cardd. obtineri posse decernit, §. 6. & 7. Licentiasque retinendi Ecclesiam prioris tit. vel Diaconiæ Cardinalibus dati prohibet, §. 8. Cardinales subscribentes se literis Apostolicis nomen sui Episcopatus, tituli, vel Diaconiæ exprimere iubet, §. 9. Decretum irritans apponit, §. 10. Quibuscunque contrarijs derogat, §. 11. Cardinales in administratione dictarum Ecclesiarum, gerant se iuxta const. 7. §. 10. Leon. X. de qua supra pag. 92. to. 1. §. 12. Sanctio pœnalis apponitur, §. 14. Et hanc Bullam in quinternis Cancellariæ describi mandat, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. De antiquo statu harum Ecclesiarum titulorum, & Diaconiarum quis me ex Iurisconsultis edocebit?

RESP. Vide apud Alber. in rubr. ff. de Statu homin. & Cardin. & alios in clem. 2. §. 1. de Election. necnon Chassā. in Catal. Glor. Mundi par. 4. consid. 12. ac Lācellott. Cōrad. in Templo omn. Iud. lib. 2. cap. 2. de Institut. Cardinal.

Schol. secundum.

Quaero. Optiones lex, quae in vsu est apud Cardinales in optandis praedictis Ecclesijs, titulis, & Diaconijs, quo tempore initium habuit?

RESP. Tempore Alex. VI. inquit Onuphr. de Praecip. Vrb. Romae sanction. Sed Marsilius de Eccles. reddit. par. 1. cap. 17. tempore Martini V. introductam affirmat, cui adhaeren. puto, quia verisimilem ibi refert causam, ob quam tunc optio huiusmodi fuit introducta.

LVI.

Edita Anno 1587. NOn fine maxima, & infra, pagina, 573. Bullarij.

COMPENDIVM.

Occupantibus, & detinentibus scripturas Reuer. Camerae Apostolicae, & infra tres dies non restituentibus Commissario dictae Camerae, aut scientibus, & non reuelantibus, excommunicationis maioris latae sententiae poenas, priuationisque omnium officiorum, & beneficiorum, & inhabilitatis ad illa imponit, §. 1. Et elapso termino contra eosdem, tamquam contra fures, Commissarium procedere, & ad poenarum executionem deuenire iubet, §. 2.

Schol. primum.

Quaero. Qui Commissario oretenus reuelaret satisfaceret huic legi?

RESP. Non, sed tenetur in actis deponere, vt Reo. Camera eius testificatione vti possit pro recuperatione scripturarum; sic censuit Nauarr. in conf. 8. lib. 5. de Furt. in fine pag. mihi 524. & sequitur Genuens. in Praxi Neapol. cap. 1. in fine.

Schol. secundum.

Quaero. Quid si is, quem sciebam detinere eiusmodi scripturas, iam Commissario reuelauit?

RESP. Non te ligat ista lex, cum iam Reu. Camera ex confessione detinentis, certa fit de occupatione, & occupante; Nauar. in Manual. Confessor. cap. 25. sub num. 4. quem, & alios refert, & sequitur Guttier. lib. 1. Canonicar. Quaestion. cap. 11. num. 72.

LVII.

Edita Anno 1587. QVamuis infirma, & varia, & infra, pagina, 574. Bullarij.

COMPENDIVM.

Commendat Pauperum subuentionem, pietatemque, & misericordiam, in exord. Pluribusq; permotus causis Hospitale Mendicorum in Vrbe erigit, & Ministros quatuor ad eius regimen, duos scilicet à Populo Romano, & alios duos ab Archiconfraternitate Trinitatis eligi mandat, §. 1. & 2. Redditusque, & prouentus annuos assignat, §. 3. Hospitale, eiusque personas à Superioritate Iudicum, & Officialium Vrbis eximit, §. 4. Et à solutione Gabellae Hospitale, & cum eo contrahentes liberat, §. 5. Mendicos circa ieiunia, esumque carnium, habito vtriusque Medici consilio, dispensat, §. 6. Presbyteris Hospitalis dat facultatem eius personis Sacramenta administrandi, §. 7. Peregrinos etiam in dicto Hospitali recipi mandat, §. 8. Rationes computorum singulis mensibus reuideri iubet, §. 9. Thesaurarium, & Commissarium Camerae Apostolicae Gubernatores eius deputat, §. 10. Contrarijsque derogat, §. 11.

Schol. primum.

Quaero, Mendici nonne extra Ecclesias quaerere debeant eleemosynas?

RESP; Id probatur Matth. cap. 20. *Et ecce duo caeci sedentes secus viam*, Et Marci cap. 10. prope fin. *Caecus sedebat secus viam mendicans*, Et Lucae cap. 18. ac Act. Apostolorum cap. 3. in princip. *Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suae baiulabatur, quem ponebant quotidie ad portam Templi, quae dicitur Speciosa, vt peteret eleemosynam ab introeuntibus in Templum.*

Schol. secundum.

Quaero. Mendicantibus validis se fingentibus infirmos, quae poena est indicta?

RESP. Eam habes in l. 1. Cod. de Mendicant. valid. sed non est in vsu; Vnde puniendi sunt arbitrio Iudicis, vt notat ibi Bart. in fine, necnon Ioan. de Plat. & Angel. quos sequitur Ripa in tractat. de Remed. praeseruat. contra pestem num. 173. vbi agit de multis fraudibus, quas adinuenerunt hi Mendicantes.

LVIII.

Edita Anno 1587. GLoriosae, & semper Virginis, & infra, pagina 577. Bullar.

COMPENDIVM.

Hic Pont. ab infantia Beatam Virginem in Aduocatam delegit in princip. Eius ideo Ecclesias, & praesertim Basilicam ad Praesepe Domini S. MARIAE Maioris de Vrbe admodum coluit, §. 1. Insignem Capellam Praesepis Domini in ea Basilica minus decenter ornatam, dum Cardinalis erat construere coepit, §. 2. Ad Papatum euectus perfecit, & exornauit, §. 3. & seqq. Compertum est deinde esse similem Capellae ad Praesepe Domini in Ecclesia Bethlehem, §. 8. Sepulchrum à dextris Pio V. à sinistris alterum sibi, ac aliud in vestibulo suis consanguineis posuit, §. 9. In eadem Capella, vnam Praeposituram, vnam Sacristiam, quatuor Capellanias, & quatuor Clericatus instituit, §. 10. Redditus assignat, §. 11. Eorum onera, & munera describit, §. 12. & seqq. Ab aliorum iurisdictione eximit, §. 19. Priuilegia alijs similibus data elargitur, §. 20. Officialibus omnibus ne eos molestent, praecipit, §. 21. Protectorem eisdem deputat, §. 22. Cui iurisdictionem eorum causas cognoscen. tribuit, §. 23. Ius praesentandi Michaeli Peretto eius pronepoti, illiusq; descenden. concedit, §. 24. & seqq.

Schol. primum.

Quaero. Nonne Liberiana haec Basilica appellata fuit?

RESP. Liberius Papa anno Sal. 353. eam aedificauit in honorem B. MARIAE Virginis ex collatis impensis Ioannis Patritij, ea de re per visum admoniti, & miraculo confirmati descendentibus è Coelo Niuibus, Nonis Augusti, formam Templi monstrantibus. Et ab eo haec Basilica Liberiana diu vocitata fuit. Sic scribit Onophr. Panuin. in suo, quod edidit, opusculo de Praecip. Vrbis Romae Basilic. pag. mihi 288. & Ciacon. in vita Liberij, & latius de hac Basilica agit Pompeius Vgonius in sua Histor. Station. Vrbis in statione ad hanc Basilicam.

Schol. secundum.

Quaero. Cur ergo iste Pont. eam appellat Basilicam ad Praesepe Domini, & S. MARIAE Maioris?

RESP. Sixtus III. anno sal. 432. eam restituit, & ampliauit, & ob translata ibi ex Bethlehem sacra incunabula CHRISTI, Basilica ad Praesepe Domini nuncupata fuit. Et postremò vocata est Basilica S. MARIAE Maioris, vt eius eminentia supra omnes B. Virginis dicatas Ecclesias significetur, prout Authores omnes mox allegati testantur.

LIX.

Edita Anno 1587. CVm frequenter in istis Regionibus, & infra, pagina 582. Bullarij.

COMPENDIVM.

Nuncius Papae in Regnis Hispaniarum dubitans de validitate coniugiorum, quae contrahunt Eunuchi, & Spadones vtroque teste carentes in illis partibus, quid desuper statuendum esset, ab eo perquisiuit in princip. Cui Papa rescribit, & eos ad contrahenda coniugia inhabiles declarat, & de caetero fieri prohibeat, eosque qui de facto contraxerunt, separari curet, & matrimonia sic de facto contracta inualida decernat, §. 1. Et eos, qui iam contraxerunt

runt, si appareat eos non, vt castè simul viuant, contraxisse, sed in eodem lecto cum mulieribus dormire omnino separari curet, §. 3. Et ita, & non aliter ab omnibus iudicari præcipit, §. 3. contrarijsq. derogat, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Nuncius ille Apostolicus quid egit in prædictis? RESP. Cæsar Specianus in illis Regnis cum potestate Legati de Latere Nuncius vniuersis, & singulis Christi fidelibus, quos prædicta concernunt, vel concernere poterant in futurum has Apostolicas literas notificauit, decreuitque, & declarauit, ac prohibuit respectiuè omnia in eis contenta die 17. Nouembris 1587. Matriti, vt Gutier. lib. 1. Canonic. quæst. cap. 15. affirmat pag. mihi 93. in secunda editione.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ erat DD. sententia in hoc articulo ante hanc Sixti declarationem?

RESP. Communis erat Theologorum, & Iurisperitorum opinio negatiua, & Sixtus V. nihil nouum statuit, sed ius antiquum, & naturale declarauit, vt patet ex scriptis à Rebel. de Obligat. Instit. lib. 3. q. 16. nu. 17. & latiùs à Sanchez. de Impedim. Matrim. lib. 7. disput. 92. sub nu. 17. quorum vterque de huius Bullæ impedimentis agit.

L X.

Edita Anno 1587.

SAcrosanctæ militantis Ecclesiæ, & infra, pagina 583. Bullarij.

COMPENDIVM.

Erigit in Vrbe Collegium honestarum Virginum, & Viduarum apud Monasterium Monialium Sancti Bernardi de Vrbe, §. 1. & 2. Christi fidelium elargitiones recipere posse indulget, §. 3. Regimen Constitutionibus Congregationis S. Bernardi concedit §. 4. Eximit à iurisdictione Vicarij Papæ, & aliorum, §. 5. Indulgentias elargitur, §. 6. Deputat Cardinalem in Protectorem, & Iudicem eius causarum, §. 7. Monasterium, & Collegium quo pacto à dicta Congregatione visitetur, decernit, §. 8. Quòd pauperes admittantur ad subsidia dotium, quæ à pijs locis, & Confraternitatibus Vrbis distribuuntur, §. 9. Quascumque personas quouis modo liberè ad Monasterij, & Collegij fauorem de bonis suis disponere posse indulget, §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Cur æquè honestarum Viduarum, ac Virginum pudori hac lege prouidetur?

RESP. Quia viduitas non procul est à virginitate, & admiratione, & laude digna est, ita loquit Imperat. Iustinian. in auth. de Non elig. secun. nubent. §. Optimum. Qui textus intelligitur de viduitate longo tempore continuata secundum Chassan. in Catalog. Glor. Mundi. par. 2. consid. 20. vers. Et vrait, pag. mihi 57. vbi nonnulla de laudibus viduitatis recenset. & Petr. Greg. lib. 9. Syntagm. iur. c. 26. num. 41. & Valer. Max. lib. 2. cap. 1. scribit eas, quæ vno contentæ matrimonio fuerant, coronæ pudicitiæ honoratas apud Romanos, quod existimarent eum præcipuè matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui post depositæ virginitatis cubile, in publicum egredi nesciret, multorū matrimoniorum experientiam, quasi legitimæ cuiusdā intemperantiæ signum esse credentes. Quod refert etiam, & alia plura scitu digna commemorat Marquard. de fus. de cęlib. Sacerd. non abrog. cap. 10. & seqq. pag. mihi 112. to. 14. tract. Diuersor.

Schol. secundum.

Quæro. Et in lege Diuina, & humana nonne legitur viduas plurimi habitas fuisse?

RESP. Ita quidem, sed longum esset hic omnia persensere: vide igitur apud Marquard. vbi supra, & alios ab eo indicatos.

L X I.

PAstoralis officij solicitudo, & infra, pagina 587. Bullarij.

Edita Anno 1587.

COMPENDIVM.

Pius IIII. super confidentijs beneficialibus constit. 85. & Pius V. alteram 85. de quibus supra pag. 25. & pagina 59. ediderunt, §. 1. & 2. Eas in Regno Franciæ ab Ordinarijs executioni demandari iubet, §. 3. Appellationem non suspensiuam concedit, §. 4. Beneficia ex hoc crimine vacantia per Ordinarios conferri indulget, §. 5. Eorumque fructus vsui Ecclesiarum applicari iubet, § 6. Hortatur Regē ad harum literarum executionem, §. 7. Absolutionem à censuris Nuncio Apostolico apud Regem reseruat, §. 8. Contrarijsque derogat, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Vnde est quòd Papa in tribus moderatur illas constitutiones Pij IV. & Pij V.?

RESP. Vt in hoc Regno, vbi hucusque receptæ non erant, eo facilius reciperentur, quo ex his moderationibus certo certius ostendebatur, nihil agi de interesse bursali Papæ, quod Galli cauere solent, teste Paris. in suo tractat. de Confident. quæst. 11. num. 31. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Fuerunt ne cum effectu receptæ?

RESP. Paris. vbi supra num. 32. in d. eius Tractatu, quem edidit anno 1595. vsque ad eam diem ob temporum iniuriam, & magna (de quibus meminit) bella ciuilia, inquit, audiuisse executioni non fuisse demandatas. Ego autem postea executas arbitror, quia super huiusmodi causis habemus Rotæ Romanę decisiones de anno 1597. coram Orano in vna Tullen. Simoniæ pro Abbate de Arreio die 21. Aprilis, & de anno 1603. in vna Tullen. Confidentiæ coram Seraphino die 9. Iunij. Hoc idem accepi à Iudice, & Notario Curiæ causarum confidentiæ in Vrbe, & vidi apud eius acta ad Regnum Franciæ plures datas fuisse expeditiones, & executas, multasq. sententias promulgatas.

L X I I.

SAcri Apostolatus, & infra, pagina 588. Bullarij.

Edita Anno 1587.

COMPENDIVM.

Regimen Studij generalis Almæ Vrbis Collegio Aduocatorum Consistorialium concedit, §. 1. & 2. Præcedentiā quoad alios Doctores, & Aduocatos antiquiores tribuit, §. 3. Priuilegia Doctores creandi, & alia omnia cōprobat, §. 4. Clausulas huius concessionis præseruatiuas subdit, §. 5. Decretum irritans subnectit, §. 6. Executores deputat, §. 7. contrarijs derogat, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Aduocati Consistoriales cur ita nuncupantur?

RESP. Quoniam in electionibus, quæ in Consistorio Papæ olim fiebant, plerumque apparebant oppositores, cōstituerunt Pontifices ordinem hunc Aduocatorū, qui egregij essent iurisperiti, & non nisi solemni eorum periculo intra hunc Ordinem admissi, huiusmodi munus in Consistorio obirent, teste Vestrio in Pract. Rom. Cur. lib. 2. c. 18. & Petro Gregor. lib 49. Syntagm. iur. c. 6. num. 10. Hodie autem in hac specie otiosi sunt, & in publicis tantum Consistorijs orant, Studijq; Vrbis regimen habent, iuxta Bullam huius Papæ?

Schol. secundum.

Quæro. Verum ne est quod hi Aduocati, hoc officium ad filios, & nepotes iurisperitos, & idoneos transmittant?

RESP. Ex Pontificis benignitate sic obseruatum vidi, & Vestrius, & Petrus Greg. vbi supra de eiusmodi priuilegio specificè testantur.

LXIII.

Edita Anno 1587.

CIrcumspecta Rom.Pont. & infra, pag. 589. Bullarij.

COMPENDIVM.

Canonicis, seu Fratribus Congregationis S.Georgij in Alga Venetiarum proprietatem strictè interdixisse, solumque victum, & vestitum eis subministrari decreuisse referr. §.1. Pœnasq; contrauenientibus imposuisse, §.2. Nūc eam prohibitionem ad terminos Concilij Tridentini, & constitutionum ipsius Congregationis reducit, §.3. Superioribusq. Congregationis pęnas hactenus incursas remittendi facultatem concedit, §.4. contrariaq. remouet, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Vbi Concilium Tridentinum prohibitionem proprietatis edixit?

RESP. In sessione 25.c.2.de Regularibus, & nihil noui iuris videtur inducere, sed solum continere declarationē cap. Cum ad Monasterium de Stat. Regulat. vt aduertit Roderic.de Quæst.Regular. tom. 3. quæst. 29.art. 10. vers. Vnde dictum decretum.

Schol. secundum.

Quæro. Si quid Canonico istius Congregationis detur sub conditione, quòd illud habeat independenter à Pręlato, licitè ne recipitur?

RESP. Non, quia directè contradicit Concilio, sed peccat mortaliter qui recipit, & tenetur statim danti restituere, vt post Syluest.quem allegat, firmat Roderic. vbi sup.

LXIV.

Edita Anno 1587.

IN sacrosancto B.Petri, & infra, pagina 590. Bullarij.

COMPENDIVM.

Alexander VI. vniuersale Studium in Regno Valentiæ vnde oriundos erat institutt, & hic Pont. in sua constit. 21. de qua supra pagina 82. tom. 2. priuilegijs exornauit, §.1. Nunc beneficia dicti Regni indigenis, & non alienigenis locorum Hispaniarum, in quibus Valentini ad beneficia non admittuntur, conferri decernit, §.2. Collatoribus contrauenientibus pęnas infligit, §.3. Et etiam Notarijs de adeptione possessionis eorum, §.4. Declarat alienigenas ad beneficia iurispatronatus admitti, si id in fundationibus cautū sit, §.5. Et etiam illi, qui sunt alicuius Regni Hispaniarum, in quibus Valentini ad beneficia admittuntur, §.6. Collationes, & prouisiones aliter factas irritat, §.7. contrarijs plenissimè derogat, §.8. & seqq.

Schol. primum.

Quæro. Verbum (*alienigena*) in hac Bulla in quo sensu accipiendum?

RESP. Non pro eo, qui alterius est iurisdictionis, vt in l.1. Cod.de Emancip.liberor. sed magis propriè pro eo, qui in alio Regno, quàm Valentiæ natus, prout in contrario sensu accipitur hic indigena pro eo, qui in ipso Regno genitus est, vt ex tex.clarè patet, & propria verborum significatiu indicat secundum Isidor. lib. 10. de Ethymolog.

Schol. secundum.

Quæro. Collatio huiusmodi beneficiorum, de quib. hic, si non haberet effectum, posset ne iterum collator de eo prouidere?

RESP. Poterit, quia collator in nihilo peccanit, vt suo iure conferendi priuetur text. est clar. in cap. Si electio 26. de Electio. in 6. & tradit Simon. de Reseruation. benefic. quæst. 31. num. 2. cum alijs cumulatis à Gonzal. super 8. Regul.Cancellar.glos. 15. §. 2. num. 7.

XLV.

Edita Anno 1587.

PRæclara deuotionis sinceritas, & infra, pagina 593. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat laudes Magni Ducis Hetruriæ in princ. Et petitionem eius pro licentia erigendi in commendas Militiæ S.Stephani Hospitalia à laicis regi solita, §.6. Quam licentiam Papa eidem concedit, quatenus non sint illa pro recipiendis infirmis instituta, & de eis Sedes Apostolica disponere non consueuit, §.2. Concessionis clausulas præseruatiuas apponit, §.3. Et contrariorum derogatorias, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Hospitale in dubio præsumendū est laicale, vel Ecclesiasticum, vt in titulum beneficij conferri possit?

RESP. Laicale, glos.in clem. 2. in verb. Ecclesia de Præbend. Ancharan. ibid. num. 10. Imola nu. 16. & Panormit. num. 5. Rota in decis. Cantucij 206. par. 2. Diuers. num 6, vbi adducit etiam quædam specialia signa, quod sit laicale, & alia subnectit in decis. 122. num. 1. & seq.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si Hospitale habet Ecclesiam, campanam, & ibi celebratur Missa?

RESP. Adhuc laicale diceretur, cum ex prędictis non concludatur per necesse, quòd sit beneficium, Rota in decis. Mohe. lan. 18. de Caus. possess. & propriet. cum alijs cumulatis à Gonzal. de Mensibus, & alternat. glos. 5. §. 4. in fine.

LXVI.

Edita Anno 1587.

DEcet Romanum Pontificem, & infra, pagina 594. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat se pro commodiori aditu ad venerandas Vrbis, Basilicas, plures vias aperuisse, & straniisse, & antiquum ritum Capellas Pontificias in illis Basilicis celebrandi renouasse in princip. Fontemque aquæ Felicis ad superiores colles Vrbis perduxisse, §.1. Concedit modo ædificantibus in via Felici, & via Pia indultum, quod ędificia ibi constructa, ob quodcumque delictum, præterquam criminis læsę maiestatis diuinæ, & humanæ confiscari non possint, §.2. Inhabitantibusq; per biennium priuilegia Romanorum Ciuium elargitur, §. 3. Habitatores pro debitis extra Statum Ecclesiasticum contractis non molestari præcipit, §.4. Priuilegio tori Capitolini gaudere decernit, §.5. Artificesque illa ædificia incolentes ab onere excubiarum, & à collectis consulatus eximit, § 6.

Schol. primum.

Quæro. Apud quos primum crimen læsæ maiestatis, de quo in §. 2. seruatum fuit?

RESP. Apud Athenienses, vt inquit Marcianus Iurisconsultus in l. 3. ff. Ad leg. Iul. Maiest. & sequitur Gyg. in suo tract. de Crim. læs. Maiest. tit. 1. num. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Confiscationis bonorum præseruatio, de qua in §. 2. nonne est ociosa, si committitur crimen læsæ maiestatis in secundo capite ad text. in l. fin. ff. ad leg. Iul. Maiestatis?

RESP. Non, quia aliter videntur sentire DD. vt in decis. Capic. 130. sub num. 20. & 33. Menoch. consil. 99. num. 86. & Odd. consi. 27. num. 18. vbi de communi.

LXVII.

Edita Anno 1587.

CVm sicut accepimus nonnulli, & infra, pagina 596. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet amotionem librorum à Bibliothecis Fratrum Minorum de Obseruantia, §.1. Formam eos conseruandi,

di,& inuentaria à Guardianis, antequam officium subeat, faciendi, & à Commissario quotannis reuidendi præscribit, §.2. Contrauenientibusq; pęnam excommunicationis, & alias grauissimas pęnas imponit, §.3. Et ita, & non aliàs iudicari mandat, §.4. Contrarijs derogat, §.5.

Schol. primum.

Quaero. Est ne aliqua moderatio postea obtenta super ista constitutione?

RESP. Clemeotem Papam VIII. duas dedisse moderationes per lege ex testimonio, quod huius teooris edidit Reuerendissimos Pater Generalis istius Ordinis, Franciscus à Sosa, de quo apud Roder. tom. 2. Quæstion. Regul. quæst. 129. artic. vnic.

Frater Franciscus à Sosa totius Ordinis Minorum Generalis Minister, & seruus.

Fidem facimus, & in verbo veritatis attestamur omnibus Patribus, Ministris, Custodibus, & Guardianis, caterisque Patribus, & Fratribus nostra cura commissis, qualiter S. D. N. Dominus Clemens Papa Octauus post priorem illam moderationem constitutionis à Sixto Quinto super Bibliothecis edita, ad instantiam Illustrissimi, & Reuerendissimi Domino Cardinalis Matthei nostri Ordinis Protectoris viua vocis oraculo factam, in qua pœnam excommunicationis lata sententia appositam Fratribus Obseruantibus contrauenientibus pradicta constitutioni Apostolica in totum sustulit, nostris etiam supplicationibus inclinatus sue vocis oraculo secundo moderatus est præfatam constitutionem, remouens ab ea omnes pœnas ibidem expressas, quas ligare, & comprehendere Sua Sanctitas vult illas solummodo personas, qua pradictas Bibliothecas defraudare contigerit, contra quas etiam extat Constitutio fęlic. recordat. Pij Quinti qua non est reuocata. In cuius rei testimonium has nostras tradimus literas manu nostra subscriptas, maiorique officij nostri sigillo munitas, quarum transumptis etiam impressis manu, & sigilla Patrum Prouincialium à Ministris in suis Prouincijs eadem fides adhibeatur, qua ijs nostris adhiberetur, si essent exhibita, vel ostensa. Dat. in nostro Mediolanensi Beata Maria Pacis Conuentu die 2. Octobris 1600.

F. Franciscus à Sosa Minister Generalis.

Scholium secundum.

Quaero. Diploma Pij V. enunciatum in præfato Reuerendissimi Patris Generalis testimonio vbi perquiram?

RESP. Cum illud Genitor meus prætermiserit, & alibi non sine difficultate reperires hic tui, & aliorum commodo excusum volui.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus nonnulli conscientia sua prodigi, & auaritia morbo laborantes libros ex Bibliothecis nonnullorum Monasteriorum, & domorum Ordinis Sancti Francisci furto extrahere, & penes se pro eorum vsu retinere non vereantur in animarum suarum periculum, & ipsarum Bibliothecarum, ac Fratrum eiusdem Ordinis non modicum praiuditium. Nos super his, prout nostro incumbit officio, de oportuno rimedio prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra Vniuersis, & singulis personis Ecclesiasticis sacularibus, & Regularibus vniuscuiusque status gradus, ordinis, vel conditionis existant, etiamsi pontificali dignitate prafulgeant, tenore præsentium mandamus, ne ex Bibliothecis pradictis, aut earum aliqua librum aliquem, aut quaternum furto subtrahere quoquomodo præsumant, Nos enim quoscumque subtrahentes excommunicationis sententia subiacere volumus, & decernimus ipso facto, à qua nullus ab alio, quàm à Roman. Pont. possit (nisi dumtaxat in mortis articulo) absolutionis beneficium obtinere. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum, & Ordinum præfatorum etiam iuramento, confirmatione. Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Roma apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die iiij. Nouembris MDLXVIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

LXVIII.

Apostolici muneris solicitudo, & infra, pag. 597. Bullar. *Edita* Anno 1587.

COMPENDIVM.

Nonnulli ex Fratribus Conuentualibus Sancti Francisci strictiorem vitam agere cęperunt, & se reformare, & aliquos Conuentus acquisiuerunt sub obedientia Protectoris, & Superiorum Ordinis Conuentualium viuentes, §.1. Supplicat Papæ consentientibus Protectore, & Magistro Generali Ordiois pro confirmatione d. §. 1. Qui illam approbat, §. 2. Eorum Congregationem Superioribus Conuentualium subesse decernit, §. 3. Custodem Prouinciæ habere indulget, §. 4. Ei ex Reformatis eligere, §. 5. Eius officium, & munus præscribit, §. 6. Congregationi priuilegia Conuentualium communicat, §. 7. Syndicum pro sæcularibus negotijs agendis permittit, habitumque eorum designat. §. 8. Super præmissis molestari prohibet, §. 9. Alios Fratres cuiuscumque Ordinis Sancti Francisci de licentia Generalis, alios verò recipere nequaquam posse decernit, §. 10. Cum Conuentualibus ad processiones incedere, ab illisque nequaquam se separare, & noo alium Protectorem, vel Prouinciales, quàm Conuentualium habere posse iubet, §. 11. & seqq.

Schol. primum.

Quaero. Paulatim ergo Reformationem inducere, vt hic dicitur in §. 1. opportunum fuit?

RESP. Fuit, & erit, suauiter Religionum reformationes inducere, & noo ex impetu, & ex abrupto, vt ex sententia Caietani, quam refert, loquit Nauar. in Commentar. de Regularib. num. 34. & latè prosequitur Roderic. de Quæst. Regular. tom. 1. quæst. 73. art. 4.

Schol. secundum.

Quaero. Cur adhibitus fuit consensus Generalis Ordinis Conuentualium, de quo in §. 2.?

RESP. Sixtus vti Papa non indigebat, neque requisiuit coosensum Generalis, sed Fratres eius fortassè consensum adhibuerunt, vt faciliùs Papam inducerent ad approbationem Reformationis ad ea, quæ scribit Roder. vbi supra artic. 2. post med. pag. mihi 227.

LXIX.

Anno superiore decies, & infra, pagina 599. Bullar. *Edita* Anno 1587.

COMPENDIVM.

Refert se anno superiore decies centena millia in Arce S. Angeli pro Sedis Apostolicæ præsidio in eius const. 31. de qua supra pagina 119. reposuisse in procem. Et deinde alias decies centena millia collegisse, quæ ibidem nunc reponit ijsdem legibus, & conditionibus in dicta 1. constitut. appositis, §. 1. Declarat hanc pecuniam ob causam recuperationis Regnorum à quibuscunque Catholicæ Romanæ Ecclesiæ hostibus occupatorum, & in expeditione contra eosdem promi posse, §. 2. Formamque eam deponendi præscribit, §. 3. Et quamprimum reponi iubet, §. 4. Præ-

dicta se seruaturum vouet, & à Cardinalibus præsentibus idem promissum fuisse asserit, & ab alijs promitti debere decernit, § 5. Cætera in 1. const. contenta præcipit, §.6. Successoribus in aliquo contrauenientibus indicat contra eorum posteros, & Cardinalium consentientium hæredes agendum esse, §.7. Sanctionem pœnalem apponit, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Contra hostes ergo pecuniæ præsidium est tutissima defensio?

R E S P. Pecunia est neruus belli, timorem incutit, potentiam, & existimationē parit, & alia multa, de quibus vide scripta per Barthol. Cępol. de Imperator. Milit. deligen. in § Diuitijs, Lancellot. in Templo Iudic. lib. 1. cap. 2. de Rege num. 8. & Chassan. in Cathalog. Glor. Mundi, par. 12. quæst. 54.

Schol. secundum.

Quæro. Pro recuperatione Ciuitatis Ferrariæ potuit extrahi hæc pecunia depromi permissa pro recuperatione Regni, & contra S.R.E. hostes in §.2.?

R E S P. Bellum iustè fuit indictum à Clemente VIII. contra illius ciuitatis occupatorem, & ob id Sanctæ Romanæ Ecclesiæ hostem, vt habetur in decis. Seraphin. 1384. num. 24. & seqq. in Nouis. Vnde casus resolutio affirmatiua legitur in ipso §. 2. & sic eo tempore obseruatum fuisse omnibus notissimum est.

LXX.

Edita Anno 1587.

SVper specula militantis, & infra, pagina. 600. Bullar.

COMPENDIVM.

Hic Pont. in sua constitut. 32. de qua supra pag. 119. approbauit Congregationem B. MARIAE Fullien. Monachorum Cistercienfis Ordinis, strictioris obseruātiæ in dicto Monasterio B. MARIAE, §.1. Cuius propagatio ad alia loca apud Papam expetitur, §. 2. Et concedit, §. 3. Nouitiosque recipiendi licentia datur, §. 4. Et huic Congregationi gratiæ totius Ordinis Cistercien. non ad instar, sed æquè principaliter communicantur. §. 5. Irrita decernuntur, quæ in contrarium attentantur, §. 6. Contrariaque omnia remouentur, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Priuilegiorum communicatio, de qua in §. 5. ligat ne, & effectum habet, antequam publicetur contra regulam, de qua in auth. Vt nouæ factæ constitut.?

R E S P. Illa regula non procedit in lege, priuilegium concedente l. 3. vbi Bald. & Castren. Cod. de Legib. & Rota in decis. Pur. 141. lib. 2. num. 1. in Nouis.

Schol. secundum.

Quæro. Nonne idem operatur decretum irritans appositum in §. 6.

R E S P. Idem ad effectum, vt sit nullus actus gestus aduersus priuilegium non publicatum, latè Gabr. de Clausul. conclus. 3. num. 45. & Rota in decis. præcit. num. 4.

LXXI.

Edita Anno 1587 & 1588.

CVm de omnibus Ecclesiasticis ordinibus, & infra, pagina 601. *Item*. Ad Romanum spectat, & infra, pag. 603.

COMPENDIVM.

Prohibet illegitimos ex incęsto, vel sacrilegio ad professionem regularem admitti, §. 1. & 2. Aliosque illegitimos certo modo admitti, sed non ad Ordinis dignitates, §. 3. Iubet recipiendorum reformationem in Capitulo, vel in Monasterijs à Capitulo deputandis haberi, & criminosos suspensos, & ære alieno supra vires suarum facultatum grauatos, vel reddendis rationibus ita obnoxios, vt vel mota sit aliqua molestia, vel ne inferatur timendum sit, recipi vetat in §. 4. necnon, §. 7. subsequen. const. Receptiones aliter factas damnat, §. 5. Recipientibus pœnas infligit, §. 6. Transitum absque licentia de vna ad aliam Prouinciam vetat, §. 7. Nonnulla dubia desuper exorta declarat in subseq. constitut. Facultates omnes recipiendi Nouitios extra Capitula reuocat, §. 23. Et ita iudicari præcipit, §. 24. Contrarijsque derogat. §. 25.

Schol. primum.

R E S P. Si professi post hanc Bullam, nullo impedimento de contentis in ea detinentur, sed peccatum est in inquisitione, eorum professio erit nulla?

R E S P. Nullam esse puto ex clara dispositione §. 1. primæ constitut. & §. 12. secundæ constitut. quarum verba mihi clara videntur, & ita communiter teneri fatetur Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 3. quæst. 54. art. 5. vers. Sed contra, vbi tamen ipse ab ea subtilibus argumentis discedere voluit, sed non respondet verbis d. §. 5.

Schol. secundum.

Quæro. Qua ratione factum est, vt illegitimi sic à religionis ingressu repellantur, cum multi ex eis extiterint omni virtutum genere ornatissimi, quippe præcipuam ingenij, ac morum sanctitatis laudem ita promeruerint, vt hoc nominis vitio, naturæ præstantia, famque diminui non potuerit, vt de Gratiano dicitur Decretorum compilatore, Iephte inter Sanctos relato cap. 6. dist. 56. Albanoque inter Martyres ascripto, & alijs indicatis à Paleotto de Noth. & Spur. cap. 55. num. 10. & seq.?

R E S P. Ratio ea est, quod frequentiùs malis moribus imbuuntur, & varijs criminibus attincti, & ideo lex adaptatur, & promulgatur super his, quæ frequentiùs esse solent l. Nam ad ea. verb. ff. de Legib. cum similib. & firmat Graff. par. 1. suarum decis. lib. 4. cap. 27. num. 55. vbi de expositione huius Bullæ luculenter agit.

LXXII.

INsublimi B. Petri Sede, & infra, pagina. 606. Bullarij. *Edita* Anno 1587.

COMPENDIVM.

Gubernator Vrbis suæ Curiæ reformationem edidit, §. 1. Cardinalis Matthæius à Papa Delegatus eam examinauit & absoluit, §. 2. Quæ reformatio primo loco de facultatibus Locumtenentis ciuilis loquitur, §. 3. & seqq. Secundo loco de Notarijs eiusdem, §. 13. & seqq. Tertio loco de Mandatarijs dictæ Curiæ, §. 29. & seqq. Quarto loco de Procuratoribus, §. 33. Quinto loco de Executoribus eiusdem Curiæ, §. 34. & seqq. Papa hanc reformationem approbat, §. 38. Clausulam, Sublata, &c. apponit, §. 39. Contrarijsque derogat, §. 40.

Schol. primum.

Quæro. Quis huius reformationis promotor fuit apud Papam, Cardinalemq; Matthæium, & Gubernatorem?

R E S P. Laertius Cherubinus Genitor meus tunc Reuerendissimi Mariani Perbenedicti Episcopi Maturan. Gubernatoris in caosis ciuilibus Locumtenentes, vt patet ex actis Notariorum Ciuilium illius Curiæ sub die 4. Decembris 1587. & legitur in fine huius Bullæ primùm à Genitore meo collectæ in prima parte Bullarij constitut. Sixti V. fol. 270.

Schol. secundum.

Quæro. Vnde est quòd sportulæ soluuntur Locumtenenti in causis etiam ordinarijs contra decretum in §. 11.?

R E S P. Pontifices successores id permiserunt Gubernatoribus, idem pro tempore postulantibus, tùm quia habitationem in Palatio, de qua in d. §. 11. dare, ipsis erat onerosum, tùm etiam, vt Locumtenens hoc sibi maiori stipendio constituto, procul ab omni sorde diligentiùs suo muneri satisfaceret. Et ita etiam hodie post nouissimam fœlic. record. Pauli V. reformationem (in qua hæc eadem de habitatione, & salario cauentur) obseruatur.

Lau-

LXXIII.

Edita Anno 1587.

LAudemus Viros Gloriosos, & infra, pagina 608. Bullarij.

COMPENDIVM.

Imperatores Christianos laudibus effert in exord. Narrat in parietibus Sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ recondita quædam numismata ex auro purissimo obrizo confecta inuenta fuisse, in quibus signum Crucis ex vna cum aliqua imagine cernitur, & ex altera effigies Augustorũ Imperatorum, nempè Theodosij Senioris, Arcadij, & Honorij filiorum eius, Theodosij Iunioris, Valentiniani Tertij, Marciani, Leonis, Iustini, Iustiniani, Tiberij, Mauritij, Phocæ, & Heraclij, §. 1. Theodosium Seniorem, & alios prædictos, & eorum quemlibet singulariter collaudat, §. 2. & seq. Numismata eorumdem ad Imperatorem, & alios Reges, & Principes, transmittit, vt ad Religionis laudem excitentur, §. 13. Imitatum se inquit Gregorium Papam, qui Regibus, & Principibus aureas Cruces, & claues paruulas mittere consueuerat d. §. 13. Alia antè de numismatibus prædictis assent Cardinalibus, & præstantibus viris distribuisse d. §. 13. Multis Indulgentijs ea numismata insigniuit, §. 14. & seqq.

Schol. primum.

Quæro. Numisma quis omnium primus percussit?

RESP. Phędon, seu Argeus Græcus numisma primus excusit, Atheniensibus, & Lycijs Erictonius, Lydis verò Xenophanes, sic post alios scribit Pett. Gregor. lib. 35. Syntagm. Iur. par. 3. cap. 2. num. 19. vbi alia de numismatibus scitu digna recenset.

Schol. secundum.

Quæro. Numisma cur sic dictum?

RESP. Quia nomine Principis, & effigie signatur, & licèt deberet scribi per O, vsu tamen in V, conuersum fuit, vt tradit Lucas de Pen. in rubr. Cod. de Veter. numism. potest. lib. 11. num. 1. Scot. super repetit. l. 1. ff. Si cert. petat. numero 204.

LXXIV.

Edita Anno 1588.

IMmensa æterni DEI, & infra, pagina 611. Bullarij.

COMPENDIVM.

Instituit quindecim Congregationes S.R.E. Cardinalium, singulisq. certa negotia assignauit, §. 1. & 2.

Congregationem primam Sanctæ Inquisitionis hæreticæ prauitatis iam in Vrbe institutam comprobat, omnemq. eius authoritatem super omnes Prælatos, & inquisitores circa hæresim cum manifestam, tum etiam præsumptam corroborat, Ministrorum priuilegia confirmat, ac Principes ad ei auxilium præstan. hortatur, ita tamen, vt ipso Papa inconsulto in officio S. Inquisitionis in Regnis Hispaniarum nihil innouetur.

Congregationem secundam pro Signatura Gratiæ firmat, vt eius Cardinales in ea votum Papæ proferant.

Congregationem tertiam pro erectione Ecclesiarum instituit, vt eius Cardinales cognoscant de legitimis causis erectionum nouarum Ecclesiarum Patriarchalium &c. examinentq. controuersias incidenter inter iam erectas, Necnon Ecclesiarum, & Monasteriorum vniones, translationes, coadiutorias, &c. Ac etiam circa ætatem, & qualitatem promouendorum.

Congregationem quartam pro vbertate Annonæ Status Ecclesiastici constituit, vt eius Cardinales omni studio curent de copia frumenti, atque aliarum huius generis frugum, quibus ad vitam humanam sustentandam egemus; necnon preseruatione scutorum 2000. huic operi assignatorum.

ongregati onem quintam pro Sacris Ritibus, & cæremonijs instituit, vt Cardinales studeant, quod veteres Sacri Ritus obseruētur, cęremoniasq; si deprauatę fuerint restituantur, vel si obsoleuerint restituātur. Pontificale, Rituale, & Cæremoniale reformēt: Diuina officia de Sanctis examinent. Et ad Sanctorum canonizationem, & dierum festorum celebrationem curam adhibeant.

Congregationem sextam pro Classe paranda, & seruanda ad Status Ecclesiastici defensionem instituit, vt eius Cardinales decem triremibus parandis præsint, Nautarum, & Militum Christianam, piamque vitam, ægrotorumq; refectionem piè curent. Subsidium quoque pecuniarium huic operi destinatum præseruent.

Congregationem septimam pro Indice Librorum prohibitorum instituit, vt eius Cardinales illorum expurgationem curent, Indices, eorumq; regulas recognoscant, reijciēdosq. reijciant, deprauatos emendent, libros approbandi, & imprimendi rationem præscribant, &c.

Congregationem octauam pro executione, & interpretatione Concilij Tridentini comprobat, vt eius Cardinales in his, quæ de morum reformatione disciplina, & moderatione, & ecclesiasticis iudicijs, alijsq. statuta sunt, in dubiū venerint, interpretentur Papa consulto, cui tamen reseruata sit interpretatio in his, quæ ad Fidei dogmata pertinent. Curent de Synodis celebrandis, Patriarcharum, & aliorum Prælatorum ad Limina Apostolorum venientium postulata audiant, vt ab eis, vel Papa prouideatur. Et cum eisdem de statu Ecclesiarum diligenter agant, Reformationique Cleri, & Populi in vniuerso orbe studeant.

Congregationem nonam pro Statu Ecclesiastici grauaminibus subleuandis instituit, vt eius Cardinales grauamina vectigalium, & tributorum, & eorum exigendi rationem, Quæstorum, & Commissariorum extorsiones cognoscant, vt ab eis, vel à Papa prouideatur.

Congregationem decimam pro Vniuersitate Studij Romani firmat, vt eius Cardinales Lectorum, & Magistrorū electionem, stipendij constitutionem curent. Collegiorum Vrbis alumnos ad studia excitent. Vniuersitatum Studiorum negotia apud Sedem Apostolicam peragant.

Congregationem vndecimam pro Consultationibus Regularium instituit, vt eius Cardinales consultationibus super controuersijs, & dubitationibus à Regularibus, Claustralibus, Mendicantibus, & non Mendicantibus, Hospitalarijs, Militaribus, & alijs cuiuscunque Ordinis præpositis respondeant, licentiam transeundi ad arctiorem religionē dare possint. Extra Monasteria vagantes coerceant. Iussa Visitatoris Apostolici, & Pontificias constitutiones circa ipsos Regulares exequantur.

Congregationem duodecimam pro Consultationibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum erigit, vt eius Cardinales eorum petitiones audiant, consultationibus respondeant, causas Ecclesiarum, eorumq. iurium, & consuetudinum, dignitatis, iurisdictionis, & exemptionis cognoscant. Visitatores ad Ecclesias visitandas vbique locorum Papæ præsentent, visitationis formam illis præscribant Vicarios Apostolicos ad Ecclesiarum regimen delegent, Prælatos, eorumq; & Ecclesiarum bona tueantur.

Congregationem decimamtertiam pro Vijs, Pontibus, & Aquis curandis in Vrbe, & Statu Ecclesiastico erigit, vt eius Cardinales de illis pro Vrbis, & status ornamento, aeris salubritate, incolarum vtilitate, & peregrinorum iterque agentium commoditate, diligenter curent.

Congregationem decimamquartam pro Typographia Vaticana instituit, vt eius Cardinales emendatissimam librorum, quibus Fidei Catholicæ doctrina, traditionesque ecclesiasticæ continentur, & explicantur, impressionem curent, Typographos, ac librorum recognitioni præfectos similii impressioni studere moneant.

Congregationem decimamquintam pro Cōsultationibus negotiorum Status Ecclesiastici cōprobat, vt eius Cardinales, dubitationes oriundas super litibus ad forum seculare spectantes etiam inter Fiscum, & priuatum, & alios quoscunque etiam coram quibuscunque iudicibus indecisas pendentes audiant, & decidant. Confiscationes, & mulctas, pęnas, etiam corporis afflictiuas, & vltimi supplicij consulto Papa commutent, & moderentur. Carceratos de loco ad locum transferri mandent. Cætera pro iustitię conseruatione, & subditorum quiete deliberent.

Subdit tres declarationes. Primam, quòd pro validitate expeditionum Cardinales in qualibet Congregatione non sint pauciores tribus, §.1. Secundam, quòd quælibet Congregatio suum habeat Secretarium ab eius Cardinalibus deputandum, §.2. Tertiam, quòd in consultationibus adhibeant viros Theologiæ, & Iurisperitos ab eisdem eligendos, grauioraq; Papæ referant, §.3. Decretum irritans huic Bullæ apponit, §.4. Contrarijs derogat, §.5. Principes Christianos ad Fidei Catholicæ propugnationem, & erga Sedem Apostolicam obseruantiã hortatur, §.6. Alios ecclesiasticos præmissis obedire monet, §.7. Hanc legem inter alias Apostolicas constitutiones adnumerari mandat §.8. Sanctionemq; pœnalem adijcit, §.9.

Subdit alias quinque declarationes, Primam, quòd ante inchoatum iudicium, pars si renuerit, consentire in Congregationem, ad Iudicem competentem remittatur, §.2. Secundam, quòd post inchoatum iudicium partibus volentibus, Congregatio causas ad se auocet, & decidat, §.3. Tertiam, quòd Congregatio etiam de emergentibus causarum iudicet, §.4. Quartam, quòd in Breui expediendo super causa per Congregationem decisa fiat mentio de determinatione Congregationis, §.5. Quintam, quòd Iudices exequantur mandata Congregationum, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Declarationes Congregationis octauæ dicentur ne doctrinales, vel diffinitiuæ, & vti tales imponent necessitatem?

RESP. Diffinitiuæ, & obligatoriæ, vt explosa cuiusdam viri contraria opinione, ostendit Roderic. de Quæst. Regular. tom. 1. quæst. 11. artic. 2. & est certissimum, quia consulto Papa prodeũt, vt explicatio in textu hic habetur.

Schol. secundum.

Quæro. Nunquid etiam extra Congregationem peritorum consilia haberi possint?

RESP. Id non credo vetitum, & video Cardinales Congregationis consulto Papa Rotæ Romanę decisionem habere circa dubia, quæ ardua reputantur pro interpretatione Concilij Tridentini, vt patet ex decis. 985. & 1442. Seraphin. in Nouis,

LXXV.

Edita Anno 1588.

CVm pro communi totius gregis Dominici, & infra, pag. 617. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciat in Statu Ecclesiastico inter alios abusus eius tranquillitatem perturbantes, illũ irrepsisse abusum, quòd occasione adipiscendæ, recuperandæ, vel retinendæ possessionis bonorum immobilium, armatorum hominum coadunationes fiant, & tumultus cõmoueantur, §.1. Ideo omnibus eas facere prohibet, ob prædictas, & alias vrgentiores, & vrgentissimas, consuetudineque permissas causas, §.2. Excipit casum pro tollenda infestatione bannitorum, vel tuitione locorum maritimorum aduersus Turcas, aut piratas, vel sic iubente Rom. Pont. vel eius Officialibus aliqua necessitate vrgente d. §.2. Coadunãtibus eiusmodi hominum copias, infligit grauissimas pęnas, §.3. Contrarijsq; omnibus derogat, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Quid dicendum de personis conuocatis, cum hic solum agatur de punitione conuocantium?

RESP. In Statu Ecclesiastico, vbi locũ habet sanctio ista, cuiusq; sic conuocatorum pęna est trium ictuum funis & scutorum auri in auro ducentum, et sic expresè cauetur in bannimentis Gubernatoris Vrbis editis anno 1621. numero 58. videlicet.

58. *Che ninno ardisca fare sotto alcun quesito colore coadunationi, ò conuenticole di persone, sotto pena à quelli, che saranno capi, ò autori, della vita, e confiscatione de beni, & à gl'altri, che ei interuenissero di tre tratti di corda, & di scudi doicento d'oro, d'applicarsi per vn quarto all'accusatore, etiam secreto, & gli sarà creduto. Dichiarandosi che sarà tenuta conuenticola, e coadunatione ogni volta che saranno più di quattro con armi, & più di sette senz'armi. Riseruando nell'arbitrio di Sua Signoria Reuerendissima, circa maggiore, ò minor numero, & circa la causa della coadunatione sudetta il giudicarla conuenticola, ò con armi, ò senza, & incorrere in maggior pena, ò minore, secondo la qualità de casi.*

Et essendo il caso de contenuti nella Bolla della felice memoria di Sisto V. fatta in simil materia, sotto la data delli 16. di Febraro 1588. si procederà all'essecutione delle pene in essa contenute.

Et eodem tempore in alijs bannimentis generalibus Status Ecclesiastici eodem anno promulgatis num. 37. & seq. videlicet.

37. *Et in oltre Sua Signoria Illustrissima espressamente ordina, & commanda, che nessuna persona come di sopra ardisca, ò presuma sotto alcun quesito colore far coadunationi, ò conuenticole di persone, sotto pena à quelli, che saranno capi, ò autori, della vita, & confiscatione de beni, & gl'altri, che ei interuenissero di tre tratti di corda in publico, & doicento scudi d'oro in oro per ciascuno, & ciascuna volta d'applicarsi per vn quarto all'accusatore, ilquale sarà tenuto secreto, vn quarto all'essecutore, & il resto alla Reuerenda Camera Apostolica.*

38. *Dechiarando, che sarà tenuta conuenticola, & coadunatione ogni volta che saranno insieme più di sei con armi, & più di dieci senz'armi, riseruato però l'arbitrio di Sua Signoria Illustrissima circa alla dechiaratione del maggiore, ò minor numero, & circa alla causa della coadunatione predetta, da giudicarsi conuenticola, ò nò, con armi, & senza, e l'incorrere maggior pena, secondo la qualità de' casi, & delle persone, come di sopra.*

Et tàm in istis, quàm in illis habetur quis hominum sit numerus, vt conuenticola, seu hominum collectio, de qua agitur, reputetur.

Schol. secundum.

Quæro. Num hæc Bulla est restringenda ad hominum conuocationes, quæ fient occasione adipiscendæ, recuperandæ, & retinendæ possessionis bonorum immobilium?

RESP. Nequaquam id dicendum: Si quidem Papa voluit omnem speciem tumultus in suo statu remouere, & non solum ob causas prædictas eiusmodi coadunationes fieri vetat, sed etiam ob vrgentiores, & permissas, & sic etiam ad bonum finem, vt inquit Farin. quæst. 113. numero 174. in fine. Sed vt de istius Bullæ generali casuum omnium comprehensione sis omnino certus perlege, quæ aliàs super hoc dubio consultus Excellentissim. D. Ioan. Baptista Spada hac floridissima tempestate celeberrimus Iurisconsultus Lucensis, Sacræ Aulæ Consistorialis, ac Fisci, & Reuerendæ Cameræ Apostolicæ Aduocatus eruditissimè scripsit, eiusque consilium Pauli Quinti testimonio pluries laudabiliter comprobatum, (vt Genitor meus asseruit) ne tãti viri doctissimè scripta sine luce iacerent in tenebris, in lucem libenter protulissem, nisi in tertio vol. consil. Farinac. cons. 229. pag. 145. impressum vidissem: Præterea ne huiusmodi Sixti constitutio varijs in posterum interpretationibus eluderetur, idem Paulus V. supradictus eam specifica declaratione corroborauit; quàm à Genitore meo in sua Bullarum collectione prætermissam (eo, quod opportunè tunc sine mendo habere non potuit) hic imprimere operæpretium ipse sum arbitratus.

PAV-

PAVLVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita Anno Domini 1615. Sixtus V. edidit Bullam 75 fol. 617. lib. 2. nou. Bull.

§. 1. *ALias à fel. recor. Sixto Papa V. Prædecessore nostro ad prohiben. armatorum tumultus, & seditionum occasiones, in Statu nostro Ecclesiastico emanarunt literæ tenoris subsequentis videlicet.*

Omittitur tenor eum sit ipsa Bulla 75. fol. 617. lib. 2. noui Bullarij.

Cuius sensum quidā interpretātes non iure restringebant.

§. 2. *Licet autem dictæ constitutionis verbis iuxta eiusdem Sixti prædeces. mentem prædictam, satis prouisum sit: tamen quoniam sicut accepimus nonnulli eiusdem constitutiones publicæ tranquillitatis saluberrimum remedium, varijs interpretationibus eludere tentant, vltra quam oportet eam restringentes, & causa incontinenti recuperan. aut retinen. possessionis congregare armatos, minimè prohibere affirmantes, sed aduersus illius verba, ac mentem interpretan.*

Hic ergo Pōtifex eā constitutionē omnes casus comprehendere declarat, præterquā vere ac necessariæ cau sæ defensionis ad vim vi repellen. cū moderatione inculpatæ tutelæ, Excipitq. casus in d. Sixti V. cōstitut. contentos.

§. 3. *Idcirco nos qui tumultuum perturbationum & scandalorum ex Vrbe nostra, & vniuerso Statu Ecclesiastico quascunque causas & occasiones euellere pro nostri Pastoralis officij debito summopere cupimus, vt illis sublatis subditorum nostrorum controuersiæ iustitiæ ministerio in pace, & tranquillitate terminentur: & ius suum vnicuique tribuatur, omnem disputandi occasionem huiusmodi penitus tollere & quantùm cum Domino possumus, desuper prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura constitutione decernimus & declaramus, constitutionem Sixti prædec. huiusmodi, in retinen. possessionis & quibuscumque alijs casibus locum habere, excepta tantummodo causa vera & non ficta, ac necessaria ad vim vi repellen. cum moderamine inculpatæ tutelæ defensionis non tamen violenter, aut de facto adeptæ vel recuperatæ possessionis, cæterisq; omnibus causis in dicta constitutione expressè exceptis & permissis.*

Et ita, ac non aliter iudicari decernit.

§. 4. *Sicq; & non aliàs in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrarijs derogat.

§. 5. *Non obstantibus omnibus illis, quæ idem Sixtus prædecessor in sua prædicta constitutione voluit non obstare, cæterisq; contrarijs quibuscumque.*

Publicationis in Vrbe effectū indicat.

§ 6. *Volumus autem, quòd præsentes nostræ in valuis Basilicæ Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ de Vrbe affixæ & publicatæ, ita omnes arctent & afficiant, perinde ac si vnicuique intimatæ fuissent.*

D. P. An. 11. die 24. Iulij.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Anulo Piscatoris, die xiv. Iulij MDCXV. Pontificatus Nostri Anno II.

Publicatio.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi 1615. Indict. 13. die verò 30. mensis Iulij, Pont. S. D. N. diuina prouidentia Pauli Papæ V. Anno eius XI. retroscriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt iuxta solitum ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, in acie Campi Floræ, & Canc. Apostol. ac in alijs locis solitis & consuetis Vrbis, per Siluerium Pontirolum & Dominicum de Rubeis, S. D. N. Papæ Cursores.

Augustinus Bracchetius Mag. Cursorum.

LXXVI.

TRiumphantis Hierusalem gloria, & infra, pagina 620. Bullarij. — *Edita* Anno 1588.

COMPENDIVM.

S. Bonauentura Balneoregiensis Ordinis S. Francisci professor à Sixto IV. in sua const. 21. de qua supra pag. 75. to. 1. canonizatus fuit, §. 7. Et eius vita summatim refertur, §. 2. Præclara eius gesta enarrantur, §. 3. Generalis Minister in Ordine post S. Franciscum septimus fuit. §. 4. Archiepiscopatusq; Eboracen. à Clemen. IV. ei oblatus, & per eum recusatus fuit, §. 5. Ad generale Concilium Lugdunen. à Gregorio X. vocatus, & humanissimè exceptus extitit, §. 6. Cardinalis, & Episcopus Albanen. ibidem ab ipso Gregorio X. creatus fuit, §. 7. Post multa præclarè gesta ibidem decessit, & miraculis claruit, §. 8. Et ideo Sixtus IV. in d. eius const. 21. illum Catalogo Sanctorum Confessorum adscribit, §. 9. Et hic Pontifex ad eiusdem S. Bonauenturę doctrinam illustrandam intentus fuit, §. 10. Collegiumq; S. Bonauenturæ iuxta Ecclesiam Sanctorum Apostolorum de Vrbe Fratrū Conuentualium instituit, §. 11. Eius opera emendatissima in Typographia Vaticana in lucem emitti curauit, §. 12. S. Thomæ Aquinaten. & S. Bonauenturæ, qui inter eos coniūctissimi fuerunt festa peragen. esse firmat §. 13. Et Sanctum Bonauenturam inter Ecclesiæ egregios Doctores connumerat, §. 14. Eiusq; opera in dicta Typographia imprimenda publicè citari decernit, §. 15. Eius Festum die 14. Iulij duplici officio celebrari iubet, §. 16. Indulgentiasq; pro ea die elargitur, §. 17.

Schol. primum.

Quæro. Quis tanti Doctoris Præceptor fuit?

RESP. Alexander de Ales, qui illius ingenium, & vitę sinceritatem aliquando contemplans dicere solebat, sibi videri in Bonauentura Adamum non peccasse, vt scribit Ciacon. in vita Greg. X. pag. mihi 597.

Schol. secundum.

Quæro. Aliorum Ecclesiæ Doctorum Festa celebrantur, etiam duplici officio prout hic in §. 16. decernitur celebrari Festum huius Sancti?

RESP. Certissimum sic esse liquet ex diffinitione Bonifacij VIII. in cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanctor. in 6.

LXXVIII.

EXigit incumbentis nobis, & infra, pag. 624. Bullarij. — *Edita* Anno 1588.

COMPENDIVM.

Cauebatur in constitutionibus Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli illegitimè natos, etiam per subsequens matrimonium legitimatos, æreq; alieno grauatos, & qui facinorosam vitam duxissent recipi non posse, §. 1. Hic Pont. in sua constit. 71. de qua supra pag. 130. decreuit hæc examinari, antequam quis recipiatur ad Ordinem in Capitulo Generali, vel Prouinciali, §. 2. Sed quia horum Clericorum Congregatio non est adhuc in Prouincias distincta, & sic Prouinciale Capitulum nusquam, generale autem singulo triennio dumtaxat celebrari solet, graue esset tamdiù expectare, §. 3. Papa ideo dat authoritatem Pręposito Congregationis, eiusq; Assistentibus omni tempore venientes ad Ordinem, & in ipsius Papæ constit. non prohibitas recipien. §. 5. Quibuscumque non obstan. §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Reiectio illegitimè natorum etiam per subsequens matrimonium postea legitimatorum, de qua in §. 1. comprehendit ne etiam legitimatos à Papa, in radice matrimonij?

RESP. Non, quia dispensatio in radice matrimonij, est remouere impedimentum iuris communis contrahendi matrimonij, & ex tunc approbare illud pro valido; & sic

sic filius postea natus dicitur legitimè natus, secundùm communem sententiam Canonist. in c. Per venerabilem.13. Qui filij sint legitimi, quam latè prosequitur, adducitq; concord. & benè declarat Rota in decis. Vbaldi 455.p.1.in Recentiorib. per totam.

Schol. secundum.

Quæro. Mortuo Præposito ante tempus, quo pacto recipientur venientes ad Ordinem, vt in §.5.?

RESP. Vicarius in eius locum succedit, vsque ad alterius Præpositi electionem, eiusq; fungitur authoritate, vt cautum vidi in constitutionibus huius Congregationis lib. 4. cap. 12. vers. Si Præpositus.

LXXVIII.

Edita Anno 1588.

Abundantes diuinæ gratiæ diuitias, & infra, pag. 624. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro Annonæ vbertate in Vrbe, ducenta millia scuta applicat, §.1. Pro quibus alia vigenti necessitate expendi vetat, §.2. Successores hortatur, vt maiora in dies ad hoc præsidia pecuniaria præparent §.3. Congregationi Cardinaliú ad hoc per hunc Pontificem super vbertate Annonæ institutæ, iunctis Thesaurario, Annonæ Præfecto, & Cameræ Commissario huius pecuniæ administrationem committit, §.4. Cardinales dictæ Congregationis executores huius Bullæ deputat, §.5. Legem sibi, & successoribus imponit, quod pro resarcienda pecunia hinc malè depromenda, datur actio, aduersus contrauenientium propinquos omnes, ad quos eorum bona deuenerint, §.6. Decretum irritans apponit, §.7. Contraria omnia submouet, §.8.

Schol. primum.

Quæro. Hæc pecunia in aliam vrgentiorem necessitatẽ expendi prohibita, in §.2. potest ne Pistoribus mutuari?

RESP. Potest mutuari Pistoribus, vt ad coquendum panem, emendum frumentum, & alia necessaria se præparent, quia Annonæ vsum, & non alium concernit, vt docet Bart. in l.2. Cod. de frument. Vrb. Constantinopol. lib. 11. num. 2. Ioann. de Plat. ibid. in princ. & Angel. nu. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Hoc subsidium præseruatur adhuc?

RESP. A Ministris Cameræ accepi, illud fuisse ad euitandam Annonæ difficultatem certis temporibus ad paupertatis subleuationem, vrgentem consumptum: Sed aliud deinde à Clem. VIII. ad Annonæ vbertatis præseruationem 400000. circiter nummorum subsidium, & in simili summa à fœl. recordat. Paulo V. & mox aliorum 300000. à S.D.N. Gregorio XV. suppeditatum fuisse ita vt Annonæ præsidium etiam hodie (vltra summam quotannis supradicta de causa consumptam) amplissimum sit: Quorũ Pontificum, hac in re tàm admirabilis fuit vigilantia, & munificẽtia, vt immortali memoriæ meritò cõmendanda videatur.

LXXIX.

Edita Anno 1588.

Sanctissimus D.N. Sixtus Papa V. & infra, pagina 627. Bullar.

COMPENDIVM.

Decernit, quòd per promotionem ad Cardinalatum vacent omnes Ecclesiæ, & beneficia non data retentione in princ. Quæ retentio si datur, intelligitur de non requirentibus residentiá in loco dictæ dignitatis non conuenieti, §.1.

Schol. primum.

Quæro. Hæc retentio diceretur noua prouisio?

RESP. In dubio remansit iste articulus in Rota, vt liquet ex decis. Puteí 410. lib. 2. in Nouis; Sed negatiuam opinionem postea à Rota probatam fuisse scribit Gonzal. de Mensib. Reseruat. glos. 15. §. sub nu. 92. vbi subdit effectum huius diffinitionis fol. mihi 400.

Scholium secundum.

Quæro. Non obtenta reseruatione, beneficia, quæ vacant dicentur vacare in Curia?

RESP. In Curia, quia collatio Papæ vacationem inducit Rota decis. 65. de Rescript. in antiquis, vbi dicitur id etiam clarè caueri in Regulis Cancellariæ.

LXXX.

Edita Anno 1588.

Et si nos per multis, & infra pagina 627. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inquit Anno sui Pontificatus primo decies centena millia aureorum, vt in sua const. 31. de qua supra pagina 119. & alia decies centena millia anno secundo, vt in alia sua const. 69. de qua sup. pag. 129. collegisse, & in Arce S. Angeli pro S.R.E. præsidio reposuisse in procem. Et in hoc tertio anno alia decies centena millia, §.1. Quæ nunc in eadem Arce iisdem legibus, & conditionibus in sacro Pontificio ærario reponit, §.2. Formamq; hanc pecuniam depromendi describit, §.3. Cætera in illis constitutionibus contenta repetit, §.4. & seqq.

Schol. primum.

Quæro. Hoc ærarium poterit ne sacrum, vel sanctum appellari?

RESP. Poterit quidem, cum etiam Imperatores eorum ærarla sacratissima appellasse liqueat ex textu l.2. de Quadrag. præscript. & l. fin. Cod. de Pagan. Præsertim quòd Deo, B. Virgini, ac Sanctis Apostolis ab isto Pontifice expressè dicatum legitur in ipso tex. §.2. huius Bullæ.

Schol. secundum.

Quæro. Verum ne est pecunias publicas huiusmodi in Aede Saturni antiquioribus temporibus repositas fuisse?

RESP. Valerium Publicolam in Aede Saturni publicas recondidisse pecunias aduersus bellorum necessitates, vt ut ea simul, & paratæ essent, inquit Plutarch. in vita Publicolæ, & refert Petrus Greg. Tholos. lib. 3. Syntagm. iur. cap. 2. sub num. 5.

LXXXI.

Edita Anno 1588.

Sacræ Religionis, & infra, pagina 629. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat Io. Augustinum Adornum, & alios quamdam Congregationem, Clericorum Regularium Minorum instituisse, qui emittunt tria vota substantialia, & sub communi habitu Clericorum in vnum habitant, & in communi, & de communi viuunt, & continuis orationibus, & spiritualium operum exercitio incumbunt, §.1. Papæ supplicant pro approbatione, §.2. Qui eam approbat sub regimine vnius Præpositi Generalis, §.3. Cõgregationi dat facultatem statuta pro suo gubernio condendi, §.4. Clericisq; dicta tria vota emittendi, §.5. Habitum humilem, & Clericorum communem, & denominationem Clericorum Minorum permittit, §.6. Aliorum receptionem ad Ordinem concedit, §.7. Officia secundum communem vsum S.R.E. recitare posse decernit, §.8. Christi fidelium quorumcumque confessiones audire, eosque absoluere, §.9. Et Sacramenta ministrare, §.10. Domosque regulares insuper construere, §.11. Executores deputat, §.12. Et contraria remouet, §.13.

Schol. primum.

Quæro. In rubrica huius Bullæ Genitor tuus meminit de quadam constit. Clem. VIII. & in sua apostilla ad §.5. notat perlegisse in d. const. professionem quarti voti horum Clericorum, quam videre exoptans, vbi perquiram?

RESP. Verba à Clemente VIII. ibi relata hæc sunt. *Et inter alia vota expressè per eos professa eadem Congregatio profitetur neminem ipsius Congregationis professum vnquam curaturum, seu prætensurum Prælaturam, seu dignitatem aliquam extra Congregationem, nec consensurum in sui*

in sui electionem, nisi ad id obedientia Romani Pontificis pro tempore existen. coactus existat.

Schol. secundum.

Quaero. Quid de dignitate intra Religionem, quidue si per se, vel per alium eam curaret?

RESP. Verba constitutionis meæ, quæ ex lib. 1. cap. 6. constitutionum huius Congregationis desumpsi, hæc sunt, & vtrumque dubium remouent. *Ambitionis vitio, quo Regularis perfectio labefactata ruit, aditum omnem occludentes, iure optimo cuilibet ex nostris, qui statui clericali sit adscriptus, imponimus, vt quartum illud solemne votum in professione emittat, non scilicet se prætensurum, vel curaturum siue per se, siue per alium ad Prælationem aliquam vel dignitatem extra Religionem assumi. Quo etiam modo iuramentum, sed simplex ab iisdem fieri volumus, quo se obstringant, non acturos, vt sibi Præpositi dignitas, vel aliàs, quæ huic præfertur intra Religionem expresse mandetur,* & paulo infra, *Cæterum supra Præpositi dignitatem, nullam aliam intelligi volumus, quàm Prouincialis, & Generalis.*

LXXXII.

Edita Anno 1588. REx Regum, & infra, pagina 630. Bullarij.

COMPENDIVM.

S. Didacus in Hispania natus Religionem Fratrum Minorum de Obseruantia professus fuit, & in Regnis Hispaniæ miraculis claruit, §. 1. & seqq. Humilis, & obediens admodum fuit, §. 6. Et flagellis corpus castigauit, §. 7. De rebus diuinis, quamuis rudis esset, mirifice loquebatur, §. 8. Orationi incubuit, §. 9. Pauperes amauit, §. 10. Aegrotis Fratribus seruiebat, §. 11. Caritate emicuit, §. 12. Infideles ex Canariensibus multos ad Fidem traxit, §. 13. Miraculis, quorum aliqua recensentur, claruit, §. 14. In amplexu Crucis, quam maximè diligebat, & in corde, & corpore semper gestauerat, obdormiuit in Domino die 12. Nouẽbris 1463. cantato Hymno, *Dulce lignum, &c.* §. 15. Miraculis, quorum aliqua referuntur, post mortem illustris fuit, §. 16. Rex Hispaniarum Philippus, vna cum Carolo filio, totaq; Hispania apud Pium IV. pro canonizatione illius institit, §. 17. Qui Cardinales ad id deputauit, & res cœpta fuit, §. 18. Idem Rex apud Pium V. & Gregorium XIII. & apud hunc Pontificem instiit, §. 19. Qui seruatis seruandis Didacum Sanctum pronunciauit die 2. Iulij 1588. §. 20. & seqq. Eiusque Festum die 12. Nouembris celebrari iussit, §. 29.

Schol. primum.

Quaero. Cur inquis die 2. Iulij fuisse canonizatum, si in textu Bullæ dicitur Nonis Iulij, & sic die 5. Iulij?

RESP. Impressorum mendum est, qui verbum *sexto*, ante verbum *Nonis* prætermiserunt. Quod quidem mendum deficit in prima Genitoris mei collectione in veteri eiusdem Bullario in 2. par. Bullar. huius Pontificis, pagina mihi 88.

Schol. secundum.

Quaero. S. Didaci Festum, quo ritu celebrandum duplici ne, & cum Octaua?

RESP. Hic Pont. in §. 29. non explicauit, sed postea die 16. Nouembris hoc eodem anno latius, & Clemens VIII. in eius, quod hic subsequitur, diplomate.

Edita An. D. 1598. *CLEMENS PAPA VIII.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordiũ.

QVæ ad Sanctorum venerationem augendam pertinent, ea libenter concedimus, prout fidelium deuotio postulat, ac aliàs in Domino conspicimus expedire.

Sixt. V. Ordini concessit vbique celebrari posse Festum S. Didaci die 12. Nouembr. & in Hispan. etiam eius octauam.

§. 1. Aliàs siquidem fel. record. Sixtus Papa V. prædecessor noster Motu proprio concessit, & indulsit, quod omnes, & singuli professores Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, ac Moniales, & Sorores, tam S. Claræ, & Conceptionis, quàm Tertiariæ in Cõgregatione sub obedientia eorumdem Fratrum Minorum de Obseruantia viuentes, in suis quisque videlicet Ecclesiis, in quibuscumque Mundi partibus existentibus, Festum S. Didaci Confessoris die 12. Nouembris, sub duplici Officio: in Regnis verò Hispaniarum, etiam illius Octauam quemadmodum festa aliorum dicti Ordinis Sanctorum celebrare possent, prout in eiusdem Sixti prædecessoris in forma Breuis sub die 16. Nouembr. 1588. expeditis literis plenius continetur.

Ordo supplicaui pro concessione octaua in omnib. locis.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dilecti filij Commissarij generalis Curiæ eiusdem Ordinis, nobis expositum fuit, Religiosi eiusdem Ordinis etiam extra Hispaniam, vbique locorum existentes, eumdem S. Didacum singulari deuotionis affectu prosequantur, eorumq; deuotioni, ac spirituali consolationi plurimum satisfieri posse, si eis quoque festum prædictum cum octaua facultas concedatur. Quare nobis nomine dicti Commissarij Generalis humiliter supplicatum fuit, vt in præmissis, ac aliis infrascriptis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Et hic Pontifex eam concedit.

§. 3. Nos igitur eorumdem Religiosorum, ac aliorum Christi fidelium erga ipsum Beatum Didacum deuotioni, quantum cum Domino possumus, benignè annuere volentes, ac literarum Sixti prædecessoris prædictarum tenorem præsentibus pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, & singulis eiusdem Ordinis Professoribus, necnon Monialibus, & Sororibus, tam S. Claræ, & Conceptionis, quàm Tertiarijs in Congregatione sub obedientia eorumdem Fratrum Minorum de Obseruantia viuentibus, extra Regna Hispaniarum in quibuscumque Mundi partibus existentibus, vt eorum singuli festum prædictum Sancti Didaci, ac etiam illius octauam, quemadmodum festa aliorum eiusdem Ordinis Sanctorum, celebrare valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Eiusq; Festum semiduplex esse iubet, & in Diœces. Hispalẽ & Ciuitate Toletana duplex.

§. 4. Præterea cum ab eodem Sixto prædecessore ordinatum fuerit, vt in vniuersis Orbis Ecclesiis festum eiusdem Sancti Didaci celebraretur, sed qua solemnitate celebrandum sit, non fuerit declaratum. Nos earumdem tenore præsentium decernimus, & declaramus, in vniuersis Orbis Terrarum Ecclesiis, ac ab omnibus tàm sæcularibus, quam quorumuis Ordinum, & Institutorum Regularibus, & aliis Ecclesiasticis personis vtriusque sexus, festum prædictum Sancti Didaci sub ritu semiduplici, in Ciuitate verò ac Diœc. Hispalen. vnde prædictus Sanctus Didacus ortus est, necnon in Ciuitate, & Diœcesi Toletana, in qua illius corpus requiescit, sub duplici ritu celebrandum esse.

Et pro ea die Indulgen. plenariam elargitur.

§. 5. Præterea ad eorumdem fidelium deuotionem non modò conseruandam, sed in dies magis augendam, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui vere pœnitentes, & confessi, ac Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refecti, aliquam prædicti Ordinis vtriusque sexus Ecclesiam die festo prædicti Sancti Didaci primis Vesperis vsque ad occasum Solis eiusdem diei deuotè visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Kalendarij, Breuiarij, & Missalis

Romani

Romani dispositionibus, & regulis, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etia n impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur.

Dat. Pont. Ann. 7 die 26. Martij. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris die XXVI. Martij M D XCVIII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.*

LXXXIII.

Edita Anno 1588. SOlicitudo Pastoralis officij, & infra, pagina 636. *Item.* Solicitudo ministerij, & infra, pagina 637. Bullarij.

COMPENDIVM.

Archiuia publica, & generalia instituit in quibuscumque locis Status Ecclesiastici omnium scripturarum, tàm publicarum, quàm priuat. um contractuum iuxta capitula desuper edenda, §. 1. & 2. Quibus Archiuijs, cætera omnia locorum Archiuia incorporat, §. 3. Facultates erigendi Archiuia alteri concessas reuocat, §. 4. Præfectum Archiuiorũ huiusmodi deputat, §. 5. Qui omnes cogat ad portandum quascumque scripturas ad huiusmodi Archiuia, § 6. Clausulas præseruatiuas, & decretum irritans apponit, §. 7. Et causas omnes tàm ciuiles, quàm criminales, & mixtas occasione Archiuiorum cognoscat d. §. 7. & in subseq. constit. §. 3. 4. & 9. Notarios Archiuiorum deputet, §. 6. Commissarios ad ea reuidendum transmittat, §. 7. Quibuscumque non obstan. §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Scripturæ Archiuij, Ciuitatis Arimini fidem faciunt contra forenses?

RESP. Distinguendum est, quòd si vigore statuti Ariminen. esset credendum scripturis Archiuij, non probant illæ contra forenses, quia eo statuto non ligantur, vt in terminis tradit Alex. conf. 13. lib. 5. nu. 6. Secus est hodie vigore huius Pontificiæ constitutionis, quæ omnes ligat, vt in casu simili habemus Apostillam ad conf. Alexan. 16. lib. 5. num. 3. in verbo, Extra.

Schol. secundum.

Quæro. Si Notarij non cogerentur à Præfecto Archiuiorum, vel eius Officialibus portare scripturas ad Archiuium, vt dicitur in §. 3. per multos annos, poterunt vmquam allegare non visum huius Bullæ, & se ab ista delatione exonerare?

RESP. Non poterunt, quia legem, cui Papa apposuit decretum irritans, Officiales non vtendo, imò neque ex contrarijs actibus possunt eludere sine expresso Papæ consensu, vel scientia cum lapsu 40. annorum, prout in simili Bulla Archiuij censuit Rota in decis. Caputaq. 204. par. 3. per totam.

LXXXIIII.

Edita Anno 1588. CVm cælestis ille Agricola, & infra, pagina 639. Bullarij.

COMPENDIVM.

Canonicatus, præbendas, & dignitates Ecclesiæ Valentinæ prohibet conferri spurijs, aut illegitimis, etiam legitimatis, aut natalibus restituns, §. 1. Clausulas præseruatiuas huius legis subdit, §. 2. Et decretum irritans, §. 3. Contrarijsq; derogat, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Lex denegans beneficia illegitimis extendit se ad pensiones?

RESP. Non, quia pensio est quid temporale separatũ, formale, & per se distinctum ab ipso beneficio, Rota in decis. Crescent. 14. de Re iudic. & dec. Cæs. de Graff. 3. de Præbend. nu. 8. & dec. Robuster. 425. p. 1. Diuersor. num. 2. latè Gonzal. sup. 8. Regul. Cancell. glos. 5. §. 5. num. 24.

Schol. secundum.

Quæro. Indigebit fortasse dispensatione quoad pensionem?

RESP. Ita planè, quia de iure est incapax, & in his terminis loquitur Gonzal. vbi supra plures decisiones ad hoc allegans.

LXXXV.

DVdum fœl. record. Leo, & infra, pag. 640. Bullarij. Edita Anno 1588.

COMPENDIVM.

Hactenus Leo Decimus Congregationem Monachorum Montis Virginis vniuit Hospitali Annunciationis B. MARIAE Virginis Neapolis, §. 1. Pius V. vnionem sustulit, Sacristæ tamen dicti Hospitalis superioritatem præseruauit, §. 2. Hic Pont. hanc superioritatem tollit, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Ista Congregatio Monachorum, vnde Beatæ MARIAE Virginis Montis Virginis nomen sortita fuit?

RESP. Quia Gulielmus eiusdem Congregationis Institutor, in Monte Virgiliano iuxta Oppidum Tripaldæ, Diœcesis Auellinæ Monasterium primum piorum eleemosynis construxit, vt nouissimè recenset Thom. Costus Neapolit. in Historia huius Congregationis.

Schol. secundum.

Quæro. Huius Gulielmi, acta, eiusq; Congregationis quis literarum monumentis consignauit?

RESP. Prædictus Thomas Costus & etiam Fælix Benda Prior Monasterij Montis Virginis, de quo meminit Baron. in Martyrolog. die 25. Iunij, vbi subdit Gulielmum ex hac vita migrasse anno 1142. quod scripsit etiam Thomas antedictus, vbi supra.

LXXXVI.

POstulat ratio, & infra, pagina 640. Bullarij. Edita Anno 1588.

COMPENDIVM.

Refert se in sua constit. 57. de qua supra pagina 126. in Vrbe Hospitale pro pauperibus Mendicis instituisse, §. 1. Et modo dat authoritatem eius administratoribus carcerandi Mendicantes per segnitiem §. 2. Peregrinis refectionem subministrandi, §. 3. Iudicem causarum Hospitalis deputandi, §. 4. Cui amplissimas facultates concedit, §. 5. Ab eius sententia semel tantum appellari posse decernit, §. 6. Et tres nullitates substantiales allegari, §. 7. Et in causis discussionum debitores cogi ad soluendum data cautione de restituendo, §. 8. Singulis diebus in honorem DEI non feriatis procedere, §. 9. Administratoresque Notarium deputare, §. 10. Executores mandata huius Iudicis exequi iubet, §. 11. Personas Hospitalis alibi conueniri non posse statuit, §. 12. Exemptionem à solutione gabellarum, & aliorum onerum extendit, §. 13. Hospitale super prædictis molestari prohibet, §. 14. Capellanorum reddituum describit, §. 15. Capellaniasq; ab Administratoribus conferri indulget, §. 16.

Schol. primum.

Quæro. Vltra nullitates, de quibus in §. 7. non possem ego allegare aliam à statuto, aut dispositione iuris diuini inductam?

RESP. Posses, quia Papa auferens nullitates, censetur auferre nullitates iuris canonici, vel ciuilis tantum, Rota in decis. Put. 388. lib. 2. num. 1. & seqq. & in decis. Orani in vna Romana Alimentorum die 4. Iunij 1593.

Schol. secundum.

Quæro. Dans causam alicui ex illis tribus nullitatibus, poterit eam allegare?

RESP.

RESP. Non, quia actus nullus tenet in odium facientis Rota decis. 8. de Testant. in Antiq. num. 10. Anchar. cons. 211. num. 2. Cephal. cons. 35. lib. 1. num. 125. Dummodo ipsa nullitas non sit iam detecta, quia tunc quilibet eam tanquam notoriam potest allegare Rota in decis. 356. nu. 16. in Nouis.

LXXXVII.

Edita Anno 1588.

EFfrænatam perditissimorum, & infra, pagina, 643. Bullar.

COMPENDIVM.

Detestatur amplè crimen abortus in princ. Abortus, siue fœtus inanimati, tàm animati, quàm inanimati, formati, vel informis eiectionem procurantibus, si abortus inde secutus fuerit pœnam homicidij voluntarij actu, & reipsa patrati infligit, §. 1. Clericis pœnam priuationis priuilegij clericalis, officiorum, & beneficiorum (quæ tamquam vacatura suæ dispositioni reseruat,) & inhabilitatis addit, §. 2. Laicis eamdem pœnam inhabilitatis addit, §. 3. Qui foro Ecclesiastico subiecti sunt à Iudice Ecclesiastico Curiæ sæculari tradantur, §. 4. Sterilitatis potiones dantes, vel sumentes, eorumq; consultores iisdem pœnis subijcintur, §. 5. Præuentio Iudicum in prædictis declaratur, §. 6. Excommunicatio in supradictos, & eorum complices, §. 7. Absolutio Papæ reseruatur, §. 8. Et ita iudicari præcipit, §. 9. Contraria submouentur, §. 10. Bullam Romæ publicatam post quindecim dies ligare præcipitur, §. 11. Decretum irritans adijcitur, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Fœtus formatus, de quo in §. 1. quãdo dicetur?

RESP. Fœtus masculus anima rationali informatur lapsis quadraginta diebus, fœmineus vero octuaginta, & in dubio an sit masculus, vel fœmineus, præsumitur animatus post quadraginta dies, quia pars securior venit eligenda. Nauar. cons. 22. de Homicid. lib. 5. incip. Quidam Sacerdos sub num. 2. pag. mihi 514. & est communis opinio teste Plaza de Epitom. delict. cap. 9. & cap. 26. n. 8. & Vtui. decis. 82. num. 1. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Diceretur abortum facere partum intempestiuum, licèt viuum edens?

RESP. Ita sanè, quia idem est non nasci, & ita immaturè nasci, vt viuere non possit, la. è probat Tiraquell. in l. Si vnquam 8. Cod. de Reuoc. Donat. in vers. Suscepit liberos num. 206. vbi exempla refert, & sequitur Guttier. pract. Quæst. lib. 1. quæst. 100. num. 5. & 6.

LXXXVIII.

Edita Anno 1588.

DOminus omnipotens, & infra, pagina 644. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sanctorum Reliquiæ, & eorum passionum monumenta in Terris relicta christiano populo in multis proficiunt, §. 1. S. Placidus, & Socij sub Regula S. Benedicti, Iustiniani Magni Imperatoris temporibus Deo se dicarunt, & in Monasterio apud Messanam ciuitatem ab ipso in paterno fundo extructo famulatum Deo exhibuerunt, §. 2. Martyrij coronam adepti fuerunt, & eorum Corpora in Ecclesia Sancti Ioannis Baptistæ Messanen. sepulta multis miraculis claruerunt, §. 3. Gratias ingentes propterea Deo hic Pont. reddidit, §. 4. Eorumque Martyrij festum die 5. Nouembris vbique singulis annis simplici, & in Messanen. Diœcesi duplici officio, & festum Inuentionis eorumdem die 4. Augusti in Ecclesia Messanen. duplici pariter officio celebrari iubet, §. 5. Indulgentiam visitantibus dictam Ecclesiam concedit, §. 6. Episcopisque, & Prælatis huius Bullæ publicationem, & obseruantiam præcipit, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore hi Martyres passi sunt?

RESP. Supradicti Iustiniani Imperatoris anno XIII. Christi verò DXXXIX. (licèt alij dicant DXLI.) teste Baron. in Martyrolog. hac die 5. Nouemb.

Schol. secundum.

Quæro. Eorum acta apud quem fusiùs perlegere posse?

RESP. Apud Surium de Vitis Sanctor. tom. 6. sub hac die 5. & Leonem Ostiens. in Chronic. Cassinen. lib. 1. ac Trithem. de Vir. illustr. Ordinis S. Benedicti lib. 3. cap. 5. quos, & alios indicat Baron. vbi sup.

LXXXIX.

Edita Anno 1588.

INter cæteras sollicitudines, & infra, pagina 645. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hic Pont. dum erat Cardinalis, publicum Gymnasium in Oppido Montis Alti eius patria ad iuuenes bonis artibus instruendos erexit, §. 1. Nunc ad Pontificatum euectus Collegium Montis Alti nuncupatum in Ciuitate Bononiæ pro quinquaginta Scholaribus de Ciuitate Montis Alti, & alijs locis Prouinciæ Marchiæ instituit, §. 2. Annuos redditus assignat, §. 3. Scholares octo per Protectorem dicti Collegij alios octo per Ciuitatem Montis Alti, & alios per alia loca dictæ Prouinciæ eligi decernit, §. 4. Alimenta, & iura Collegialia Scholaribus assignat, §. 5. Collegium multis priuilegijs donat, § 6. Ab omnium superioritate eximit, §. 7. & seqq. Indulta Studij, & locorum piorum Bononiæ Collegio elargitur. §. 10. & seqq. Protectorem ei deputat, §. 12. Qui Officiales deputet, §. 13. Statuta Collegij firmet, §. 14. Lites Collegij cognoscat, §. 15. & seq. Dubia super præmissis declaret, §. 17. Cæteraque necessaria faciat, §. 18. Clausulas præseruatiuas, & decretum irritans apponit, §. 18. & 19 Executores deputat, §. 20. Contrariaque remouet, §. 21.

Schol. primum.

Quæro. Pro debitis huius Collegij possent forsan conueniri Scholares?

RESP. Non, quia quod debet vniuersitas, singuli non debent, vt inquit in l. Sicut. 7. Bartol. & alij ff. Quod cuiusque vniuersit. nom. vbi pariter deciditur, quòd vniuersitati debitum, singulis non debetur, daturque actio non contra eos, sed contra vniuersitatem, vt in proposito Collegiorum aduertit Petrus Greg. lib. 15. Syntagm. inr. cap. 32. sub num. 19.

Schol. secundum.

Quæro. Si temporum iniuria redditus assignati non sufficerent ad alendos quinquaginta Collegiatos, de quibus in §. 3. quid agendum?

RESP. Vel de suo contribuere, vel loco cedere deberent, vt scribit Petr. Greg. vbi sup. sub num. 20. per tex. in l. Sepitria 7. ff. de Pollicit. vbi glos. fin. adducit etiam text. in l. 2. Cod. de Iure immunit.

XC.

Edita Anno 1589.

CVm sicut accepimus variæ, & infra, pagina. 650. Bullarij.

COMPENDIVM.

Post concordiam initam inter Reu. Cameram Apostolicam, & Clericos beneficiatos, & alios Regni Neapolis super spolijs eorum, prætendere cœperunt hæredes eorumdem, vel Clerus, & Capitulum fructus tempore illorum obitus pendentes, & maturatos à solo non separatos, vel non exactos; Camera autem ad se spectare dicebat in exord. Papa prædictos fructus declarat pertinere ad Cameram, & etiam post illorum obitum vsque ad diem capiæ possessionis beneficiorum per successores, maturãdos, & decurrendos pro rata temporis, §. 1. Lites desuper pendentes extinguit, §. 2. Contrarijsque derogat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Fructus beneficiorum pro tempore, quo vacant,

cant, antiquo iure ad quem spectabant?

RESP. Ad Ecclesias beneficiorum, vel successores cap. Quia sæpè vbi glos. & alij communiter de elect. in 6. Rota in decis. Seraphin. 594. nu. 5. & seqq. in nouis.

Schol. secundum.

Quæro. Hoc ius commune seruatur ne in aliquo casu circa hos fructus in isto Regno Neapolis?

RESP. In Episcopatibus, & beneficijs pertinentibus ad Regis nominationē successoribus reseruari fructus pro tempore vacationis, scribit Steph. Quarant. in sua Summa Bullarum in verb. Beneficiorum possessio pagina mihi 97.

XCI.

Edita Anno 1588.

SAnctum, & salutare, & infra, pagina. 651. Bullarij.

COMPENDIVM.

Episcopis, & alijs malè aliquem ad Ordines promouentibus, multas pœnas imponit, §. 2. Aliasq; ipsis malè promotis, vt purà ante legitimam ætatem absq; literis dimissorijs sui Ordinarij, &c. §. 3. Absolutionem sibi reseruat, §. 4. Simoniacè autem ordinatis, & ordinantibus, vltra pœnas à sacris Canonibus, & Apostolicis constitutionibus inflictas, easdem pœnas prædictas infligit, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Vicarius Episcopi potest has literas dimissorias concedere?

RESP. Non potest, tex. est in cap. 3. de Temporib. Ordinat. in 6. & disputato articulo, hanc negatiuam sententiam tuetur Mandos. de Regul. Cancell. in reg. 24. quæst. 6. num. 9. & seq. Nisi Episcopus ad hoc dederit speciale mandatum Vicario, vel in remotis regionibus commoraretur, vel sit Vicarius à Papa Episcopo datus, vel in mandato sint specificata alia maiora, vel successerit Vicarius, prioribus Vicarijs, hoc mandatum habentibus, ita egregiè scribit Mandos. vbi supra. Vel si Vicarius sciente, & patiente Episcopo dimissorias dare cōsueuit, Rota coram Crescent. in decis. 15. de Probationibus num. 6.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si quis bona fide, parentum testimonio ductus ante legitimam ætatem promotus fuerit, & in ordinibus receptis ministrauerit?

RESP. Non incurrit pœnam appositam in constitut. Pij II. quia in ea adest verbū (*præsumpserit*,) quod dolum præsupponit, qui à bona fide excluditur, vt in puncto sic respondet Nauat. in cap. Accepta de Restitut. spol. in 8. opposit. & cons. 50. de Tempor. Ordinat. In impressis Brixiæ, & sequitur Lopez in Pract. canon. crimin. cap. 26. Prout neque incurrit pœnam huius Bullæ, quia vt Genitor meus hic aduertit, ipsa reducta est à Clem. VIII. ad terminos sacrorum Canonum, & d. constit. Pij II. atque Concil. Trid. quod aduertit item Gonzal super. Regul. 8. Cancell. §. 10. glos. 5. n. 34. & glos. 15. num. 128. sed supradictæ sententiæ Nauarri contradicit Fusch. in tractat. de Visitat. lib. 2. cap. 28. n. 37. & Tolet. in sua Sum. lib. 1. n. 48. vers. Quarta, dicentes non licere ignorare, quod communiter omnes sui Ordinis sciunt, sed illa probabilis credulitas, seu ignorantia facti sufficiens erit, vt facilius dispensatio concedatur.

XCII.

Edita Anno 1589.

CVm sacrosanctam Dei Ecclesiam, & infra, pagina 653. *Item*. Pastoralis est, & infra, pagina 654. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vt qui Clerici nomen consecuti sunt, & censu ecclesiastico viuunt, decenti vtantur habitu, circa quem Canonibus Concilij generalis, & Pontificijs constitutionibus modus iam præscriptus est, decernit eos etiam in minoribus Ordinibus constitutos, & clericali tantùm charactere insignitos, & beneficia, vel pensiones obtinentes, etiam coniugatos, vbi quamuis exemptos tonsuram, & habitum clericalem, vestes scilicet talares, & si Milites sunt suæ Militiæ conuenientes deferre debere, & in futurum eis tantum beneficia conferri posse præcipit, §. 1. & 2. Inobedientibus pœnam amissionis beneficiorum imponit, eorumque beneficia tamquam vacantia impetrari posse, & pensiones extinctas esse declarat, §. 3. Et ita iudicari mandat, §. 4. Limitat hanc Bullam, quoad eos Milites, & Romanæ Curiæ Officiales, qui vigore priuilegiorum à Pio V. in sua constit. 73. de qua sup. pag. 56. non comprehensorum beneficia obtineant, vel pecunias, §. 5. Et etiam quoad quoscumque Clericos, qui pensiones, & bona ecclesiastica, summam ducatorum sexaginta auri de Camera insimul non excedentia percipiunt in §. 2. subseq. Bullæ. Ac pariter quoad Papæ ministros in inferioribus ministerijs actu seruientes, §. 3. Et etiam quoad familiares intimorum Papæ familiarium actu inseruientium ibid. Declarat etiam Milites, & Officiales Romanæ Curiæ cōmunibus vestibus cum insignibus Crucis, aut numismatis suæ Militiæ vti posse, §. 5. Militesque, & pensionarios non teneri ad delationem supradicti habitus, nisi postquam pensiones actu perceperint, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Vbi cauetur de forma habitus clericalis, vt dicitur in §. 1.?

RESP. Quod debeat esse talaris, cauetur in cap. penultim. dist. 23. & coloris honesti cap. vlt. caus. 21. quæst. 4. Ac formæ honestæ, cap. penult. de Vit. & honest. Cler. & talis quod differat ab habitu sæcularium cap. 2. & 3. caus. 21. quæst. 4. Et licèt glos. in clem. 1. de Elect. dicat, quòd de iure non est determinatus certus habitus Clericorum, eam tamen intellige, quoad formam, & colorem, prout seruat vnaquæque Fratrum, & Monachorum Religio, vt scribit Io Lup. de Libert. Eccles. quæst. 7. per totam, Non autem quoad longitudinem, & breuitatem, de qua hic, vt per Ambrosin. de Immunit. Eccles. cap. 23. nu. 11. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Sunt ne aliqui casus, quibus Clerici ab huiusmodi habitus clericalis delatione excusentur?

RESP. Si ob iustam causam timoris illum postponerent cap. penult. de vit. & honest. Clericor. Si ob paupertatem illum gestare non valerent, Imola in clem. 2. eod. tit. n. 9. Vel propter infirmitatem Capell. Tholosan. decis. 104. in fine.

XCIII.

Edita Anno 1589.

AD Romanum Pontificem pertinet, & infra pagina 655. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus II. Officialibus Status Ecclesiastici remissionem pœnarum vltra sex florenos prohibuit, §. 1. Sixtus IIII. approbauit, §. 2. Penasque pecuniarias solùm ad manus Thesaurariorum ire decreuit, §. 3. Pius IIII. in sua const. 43. de qua supra pag. 12. Cameræ Apostolicæ omnes pęnas applicauit, & ab eius Officialibus exigi iussit, §. 4. Idque etiam in locis Communitatibus subiectis seruari voluit, §. 5. Decimam eorum partem Gubernatoribus, & quartam accusatoribus assignauit, §. 6. Hic Pont. iterum Cameræ eas applicat, §. 7. Communitatibus, & alijs pręten dentibus terminum ad hoc docendum pręfigit, §. 8. Officialibus applicationem pœnarum alteri, quàm Cameræ interdicit, §. 9. Nec alijs, quàm Depositarijs persolui, nec aliquam partem retineri mandat, §. 10. Contrauenientibus pœnas imponit, §. 11. Delinquentibus pœnas alteri, quàm Depositarijs soluere prohibet, §. 12. Supplicationes Thesaurarijs consignari, & infra decem dies pęnas solui præcipit, §. 13. Ante quam solutionem processus non cassari iubet, §. 14. Executores bona penès carceratos repertam Thesaurarijs consignent, §. 15. Officiales pęnas non condonent, neque reos gratiare possint, §. 16. Fiscus, vel Thesaurarius citetur in causis pęnalibus, §. 17. Statuta, quæ in eis attendenda sint, §. 18. In eisdem primò seruentur constitutiones Apostolicæ, postea Statuta, deinde constitutiones Marchiæ, & in reliquis bannimenta, §. 19. Guber-

bernatores decem pro centeoario ex illis habeant, vbi minor eis portio non est assignata, §.20. Fiscus vigesimam, & accusator quartam earuoi partem de manu Thesaurarij recipiant, præuio Gubernatoris mandato, §.21. Thesaurarij non aliter dictas pœnas soluant, nec in alios expendant, §.22. Decretom irritans apponit, §.23. Clausulasq; contrariorum derogatorius, §.24.

Schol. primum.

Quæro. Pœnarum huiusmodi appellatione, venient etiam mulctæ & bonorum confiscationes?

RESP. Veniunt, cum verbum, pœnæ, latissimum sit, vt de mulcta est text. in l. 131. ff. de Verbo. significatio. & ibi communiter Scribb. & de confiscatione est text. in l. Si quis aliquid 38. §. 8. ff. de Pœn.

Scholium secundum.

Quæro. Quid de compositionibus dicendum?

RESP. Idem est dicendum l. Ab accusatione 6. ff. Ad Senatusconf. Turpill. in c. 2. de Pœn. Quas leges ad hoc citat Paris. de Pui. de Syndic. §. Compositio nu. 6. Ghirland. de Relaxat. Carcerator. in tit. de Pœn. Composit. n. 3. Monteleon. io Praxi Arbitror. p. 15. partis princ. n. 8.

XCIV.

Edita Anno 1589.

ROmanus Pontifex, & infra, pagina 658. *Item*, In suprema iustitiæ, & infra pagina 626. Bullarij.

COMPENDIVM.

Rotam instituit io Ciuitate Maceratensi ad decidendas lites Prouinciæ Marchiæ, §.1. Aoditores eius quinque, §.2. Quorum officium duret quinquennio, §.3. Iurentq; hic contenta, & Prouinciæ statuta, & iustitiam seruare, §.4. Ex eis vnus singulis aonis sit Potestas sorte extrahendus, qui causas alijs Auditoribus distribuat, sitq; Iudex causarum pupillorum, viduarum, carceratorum, & miserabilium personarum, §.5. Auditores, quas causas in prima, ac alijs instantijs cognoscant, §.6. Vota vt danda sint, §.7. Sententiæ, vt proferendæ, §.8. Appellationes, vt interpooendæ, §.9. Auditor causæ appellationis quando det votum, §.10. In causis infra summam scutorum ceorum solus iudicat, & ab eo semel appellatur, §.11. & seq. In eisdem summariè procedit, & in alijs à quinquaginta iofra summarijssimè, & semel appellatur, §.13. Caosæ non appellabiles, vt cognoscendæ, §.14. Exceptiones omnes io fine litis seruatæ censeantur, §.15. Nullitates cum appellatione cognoscuntor, §.16. In causis mercedum, ac cibi, & potus manu regia procedũt, §.17. Causæ, vt examinandæ, §.18. Vota à Notarijs rogentur, §.19. Decisiones publicentur, §.20. Io eis rationes describantur, §.21. Adiunctus extra Rotam Auditoribus non detur, §.22. Sequestra vt dari possint, §.23. Iudicium coram Iudice Ecclesiastico quando non impediat cursum causę in Rota §.24. Auditor vltimo pronuncians expensas taxet, & rem iudicatam exeqoatur, §.25. Auditores omnes sicut Prętor decreta voluntarię iurisdictionis interponant, §.26. Ius reddere, & insimul conuenire quando debeant, §.27. In arbitros quando non eligendi, §.28. Aduocare, & consulere non valeant, §.29. Nec sententiare non confecto registro, §.30. Inbibitiones Romanæ Curiæ post conclusum io causa reijcere possunt, §.31. Impedito Auditore coram alio subrogato procedatur, § 32. Causæ inter nouos Auditores, vt distribuendæ, §.33. Abesse nequeaot absque licentia Gubernatoris, §.34. Singulis anois, & in fine officij syndicentur, §.35. Syndicatores, vt eligendi, §.36. Condemnati quas pœnas incurrant, §.37. Syndicatus, vt recosandi, §.38 Salariũ Prætoris, & Auditorum quod, §.39. & seq. Prætor Aduocatum, & Procuratorem pauperum quolibet semestri eligit, §.42. Causæ solum ex rescripto propria manu Papæ, aut de consensu partium à Rota auocari possint, §.43. Auditores eius priuilegijs Auditorum Rotæ Bononien. gaudeant, §.44. Et exemptione ab omoibus oneribus, §.35. Ordinationes istę, vt mutari possint, §.46. Locus post Locumtenentes Legati, aut Gubernatoris Auditoribus assignatur, §.47. Sportularum massa, vt fiat, §.48. Camerarius Papæ Rotæ Protector deputatur, §.49. Clausulas præseruatiuas apponit, §.50. & Decretum irritans, §.51. Executores omnes mãdata Rotę exequi iubet, §.52. Priuilegijs, & alijs contrarijs plenissime derogat, §.53. Eriguntur quinque officia Notariatuum pro dictis quinqoe Auditoribus, § 2. constit. subseq. Et octo Cursorum ad citandum, §.3. Quæ officia Papa concedit Communitati Maceraten. §.4. Notarijs, & Cursoribus dat omnia priuilegia Notariorum, & Cursorum Rotæ Bononieo. §.5. Et per alium officium exercendi, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Iuramentum Auditoris de seruandis statutis, vt in §.4. intelligetur etiam de illis, quę postea essent sublata?

RESP. Non, quia iuramentum intelligitur de obseruantia statutorum, prout stant tempore iuramenti, vt post Panormit. tenet Dec. io cap. Cum accessissent. 8. de Coostitut. nu. 29. Seraph. de Priuileg. iuram. in priuileg. 73. nu. 9. Graff. in suis decis. p. 2. lib. 2. cap. 7. o. 24.

Schol. secundum.

Quæro. Quid de statutis editis post iuramentum?

RESP. Controuersa est DD. sententia: Siquidem iuramentum indefinitè præstitum extendere se ad futura tenet Card. Zabar. Aochar. & Io. Aod. in cap. Clericus 32. de Iureiur. n. 1. Sed Bald. n. 2. contrarium affirmat, & cum eo videtur stare Panormit. n. 2. vbi tamen declarat, & eius declaratio congrua est.

XCV.

Edita Anno 1589.

VNiuersi orbis Ecclesijs, & infra, pag. 663. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ciuitatis Firmi Prouinciæ Marchiæ laudes recenset, §.1. Eius Ecclesiam Episcopalem, in Archiepiscopalem erigit, §.2. Ecclesias nonnullas ei suppooit, §.3. Contrarijsque derogat, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Quæ est Archiepiscopi authoritas in sua Prouincia suffraganeorum?

RESP. Amplissimum de hoc quasi tractatum mox edidit Steph. Quar. in sua Summa 10§. Archiepiscopi authoritas, & M. Anton. Genuens. Episcopus Iserniæ in Praxi Cur. Archiepiscop. Neapolit. c. 88 Eorum hic dicta trãscribere non licet, dum summariè loquimur in his Scholijs ad Compendium istud.

Schol. primum.

Quæro. Explica saltim ad præsens, an Archiepiscopus possit cogere Episcopum suffraganeum, & eius subditos ad suscipiendam delegationem causæ, vel perhiben. testimonium veritatis?

RESP. Apud eosdem hoc habuisses, do tamen tibi Rotæ diffinitiuam in terminis sententiam in dec. Seraph. 1212. in Nouis n. 1. vbi habetor Episcopum tamquam sibi immediatè subiectum cogi posse ab Archiepiscopo, sed non subditos Episcopi, nisi in casu negligentiæ Episcopi, vt in dec. 1222. & in alia 1237.

XCVI.

Edita Anno 1589.

EXimium, quod in vobis elucet, & infra, pagina 665. Bullar.

COMPENDIVM.

Concessit hic Pont. Congregationi Fratrum, & Monialiom B. MARIAE de Monte Carmelo Discalceatorum in Italia facultatem recitandi, tàm communiter, quàm diuisim Horas canooicas iuxta ritum Romanæ Ecclesiæ, & Breuiarij Romani prætermisso ipsius Ordini vsu, §.1. Quæ dictum ritum seruare cœpit, §.2. Et modò supplicat pro facultate solemniter celebrandi festa io honorem B. MARIAE, & quorumdam Sanctorum iuxta formam ei per-

perscribendam, §. 3. Et consequitur, §. 4. Quibuscumq; non obstan. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Horæ canonicæ cur ita nuncupatæ?

RESP. Horæ, quia certis horis recitandæ sunt, & canonicæ à canone, idest à regula nuncupantur, quia regulariter dicendæ sunt secundùm Zabar. & alios in clem. 1. de Celebrat. Miss. n. 8. Imol. ibid. n. 14. & Graff. p. 1. suarum decis. lib. 2. cap. 50. n. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Illud indultum, quoad officia Sanctorum, intelligitur ne etiam de Sanctis, qui non sunt de hoc Ordine?

RESP. Genitor meus intellexit de Sanctis Ordinis tantùm, vt liquet ex rubrica per eum huic Bullæ apposita. Sed de omnibus de quibus ista Congregatio festa agere consueuit, intelligit Roderic. de Quæstion. Regular. to. 1. quæst. 69. art. 5. ad finem, vbi de hac Bulla, vel non absimili loqui videtur.

XCVII.

Edita Anno 1585. 1586 1587. et 1589.

EX debito, & infra, pagina 666. *Item*. Cum nos, & infra, pag. ead. *Item*. Dilectis filijs, & infra, pagina 667. *Item* Cum dilecti ead. pagina Bullarij.

COMPENDIVM.

Approbat Confraternitatem Pietatis Carceratorum à Greg. XIII in Vrbe institutam, eiusq; priuilegia, §. 1. Officium Prouisoris Carceratorum ei concedit; & alterum officium Visitatoris Carcerum, §. 2. Quæ Confraternitas dicta officia gratis exercet, vt in const. subseq. Priuilegium liberandi quotannis vnum carceratum, secunda feria post secundam Dominicam Quadragesimæ in alia constit. seq. Supradicti Visitatoris Carcerum officium Præfecto dictæ Confraternitatis confertur in altera subseq. constitutione.

Schol. primum.

Quæro. Priuilegium liberandi carceratum, extendetur ad liberationem eius, qui semel antea liberatus fuit?

RESP. Non, ne delinquentes hac spe veniæ ducti delinquere assuescant, arg. l. 3. Cod. de Episcop. aud. vbi hoc firmat in specie Bart. & Paul. de Castro in fine.

Schol. secundum.

Quæro. Causæ carceratorum ob delictum dicitur piæ?

RESP. Piæ sunt secundum glos. in c. Sacrorum, 15. caus. 12. quæst. 2. Bal. in l. Sed si ideo 22. ff. Solut. matr. n. 1. Alex. in l. Quamuis 21. eod. tit. nu. 10. & seq. Rota in decis. Cantuccij 63. p. 1. Diuersor. n. 5. & hanc opinionem veriorem asserit Gratian. lib. 1. Disceptat. Forens. c. 108. n. 5.

XCVIII.

Edita Anno 1589.

EX varietate temporum, & infra, pagina. 668. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius V. in sua constit. 141. de qua sup. pag. 75. Capitulum Generale Congregationis Canonicorum Regularium S. Saluatoris Ordinis S. Augustini quolibet triennio celebrari, & in eo Priorem generalem eligi iussit in princ. Eius, & Visitatorum officium triennio expleri voluit ibid. Hic Pont. postea aliter statuit, §. 1. Nunc iustis de causis constit. Pij V. innouat, §. 2. Cæterùq; Abbates, Priores, Vicarios, & Præpositos ad triennium pariter eligi decernit, §. 3. Triennium à die electionis currere declarat, §. 4. Eorum aliquo decedente, in eius locum suffectus vsque ad Capitulum illud teneat, §. 5. Dietam anno quolibet teneri præcipit, §. 6. Formam eligendi à Pio V. præscriptam seruari iubet, §. 7. In eligendis Discretis constitutiones Ordinis seruari mandat, §. 8. Obseruantiam huius Bullæ omnibus iniungit, §. 9. Contrarijs derogat, §. 10. Tractare de immutatione huius legis interdicit, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Quod dicitur in §. 5. de Officiali decedente, habebit ne etiam locum, si Officialis priuetur?

RESP. Eadem ratio boni regiminis Ordinis militat in vtroque casu, & propterea idem ius in vtroque militare debet vulg. l. Adigere, 6. §. Quamuis. ff. de Iure patr. l. Illud, 32. ff. Ad legem Aquil. Ratio etiam vniuersalis omnes casuum species comprehendit sub se, sicut genus plures amplectitur species, Surd. qui alios congerit in cons. 301. lib. 3. num. 19.

Schol. secundum.

Quæro. Quo casu huiusmodi pœna priuationis imponi potest his Prælatis, vel Officialibus Ordinis?

RESP. Nusquam, nisi vbi lex, vel constitutio aliqua eam expressè imponit, iuxta glos. communiter receptam in cap. vlt. de Iurepatronat. quam sequitur Nauarr. cons. 5. de Verbor. signif. lib. 5. nu. 4. pag. mihi 637. Rota in decis. 86. Seraph. n. 6. in Nouis.

XCIX.

Edita Anno 1589.

CVm sicut ad aures nostras, & infra, pag. 669. Bullarij.

COMPENDIVM.

Fratrum Scalceatorum S. Francisci institutum (Sede Apostolica inconsulta inductum in Italia) supprimit, §. 1. Eorum loca Fratribus Reformatis Conuentualium Sancti Francisci concedit, §. 2. Illis Discalceatis ad istos Reformatos transeundi licentiam concedit, §. 3. Et priuilegia Reformatorum communicat, §. 4. Quibuscumque nõ obstan. §. 5.

Schol primum.

Quæro. Absque hac suppressione, Congregatio istorum Discalceatorum non erat iure veteri irrita?

RESP. Id certissimum est ex diffinitione Innoc. III. in Concilio Generali, quæ legitur in cap. vlt. de Relig. domib. & ex alia diffinitione Gregorij X. in Concilio Lugdunensi, quæ legitur in cap. Vnico eod. tit. in 6.

Schol. secundum.

Quæro. A solius ergo Papæ confirmatione noua Religio pendet, eo quod non possit, eam confirmando, errare?

RESP. Ita sanè, vt post alios ostendit Roder. de Quæst. Regul. to. 3. quæst. 48. art. 4. vbi quam plures allegat, & probat Papam, in confirmando nouam religionem, errare non posse, in qua tamen sit vera professio cum votis substantialibus, sicut neque errare valet in canonizatione Sanctorum.

C.

Edita Anno 1590.

IN conferendis, & infra, pagina, 670. Bullarij.

COMPENDIVM.

Eligit in Thesaurarium Generalem Bartholomæum Cæsium cum solitis conditionibus, &c. §. 1. & 2. Locum in Camera Apostolica, in Capella, & alijs actibus assignat, §. 3. Et in Signatura Gratiæ, §. 4. In Congregationibusque rerum Cameralium, §. 5. Facultatem dat eidem cum Papa agendi de affictibus Cameræ, §. 6. Pensionem domus, ac victum assignat, §. 7. Prouentusq. spoliorum compónendorum, §. 8. Bonorum etiam vacantium, & redditui non expeditis literis Apostolicis perceptorum, §. 9. Illicitæ quoq; negociationis, §. 10. Spoliorum in Italia, §. 12. Fructuumque beneficiorum malè perceptorum, §. 13. Bonorũ quoquomodo vacantium, §. 14. Relictorum illegitimis contra Bullam Pij V. 15. Malè acquisitorum, §. 16. Relictorum à Religiosis extra claustra degentibus, §. 17. Acquisitorum de fructibus ecclesiasticis, de quibus legitimè dispositum non fit, §. 18. Bonorum non residentium, §. 19. Fructuum beneficiorum reseruatorum pro tempore, quo vacant, §. 20. Fructuum omnium malè perceptorum, §. 21. Facultatem ei tribuit in præmissis etiam ex officio, & contra

tra exemptos procedendi, §.22. Officiales Cameræ ad redden. rationes cogendi, §.23. Testes ad se examinan. cōstringendi, §.24. Occupatores spoliorum coercendi §.25. Illaq; eius arbitrio vendendi, §.26. Delinquētes in præmissis puniendi, §.27. Componendiq; super prædictis, §.28. Summariè procedendi, §.29. Causas spoliorum, eisque annexas ab omnibus iudicibus auocandi, §.30. Vicethesaurarium, Auditores, Collectores deputandi, §.31. Causas spoliorum, eisq; annexas, priuatiuè quoad alios, cognoscendi, §.32. Appellationemque à sententijs Nunciorum Collectorum, & aliorum, §.33. A Thesaurario autem deuolutiuè tantū, & non retardata executione appellare permittit, §.34. Cessiones, & resignationes locorum Montium admittere concedit, §.35. Eorumque introitum, & constitutionis Ciuitatis Terracinæ tribuit, §.36. Facultatemq; fortes, & lottos permittendi, §.37. Et priuatiuè quoad alios prædicta omnia agendi, §.38. Et ab alijs Iudicibus reassumendi, §.39. Notariū vnum de Notarijs Cameræ in suis causis deputandi, §.40. Habentes instrumenta concernentia iurisdictionem suam sibi consignari faciendi, §.41. Decimamq; omnium prædictorum prouentuum percipiendi, §.42. Bannimenta super prædictis promulgandi, §.43. Debitores Cameræ ad soluen. cogendi, §.44. Sigillo proprio vtendi, eiusque emolumenta percipiendi, §.45. Pensiones vsque ad scuta 4000. transferendi, §.46. De bonis etiam iurisdictionalibus, & de rebus ecclesiasticis acquisitis testandi, §.47. Literas Apostolicas pro se, Vicethesaurario, Locumtenente, & duobus familiaribus gratis habendi, §.48. Clausulas huius constitutionis præseruatiuas apponit, §.49. Et decretum irritans, §.50. Executores deputat, §.51. Transumptisque credi iubet, §.52.

Schol. primum.

Quæro. Si Thesaurarius cum pecunia Cameræ Apostolicæ aliquid acquirit, ad eum vel ad Cameram spectabit?

RESP. Acquirit Cameræ, vel ad pretium tenetur, si Camera voluerit, ad exemplum Ecclesiæ, Militis, & minoris: Quamuis nomine proprio acquisiuisset l. Si vt proponis 8. C. de Rei vendic. per quem textum sic tradit Bal. in l. Si cum seruum. 23. ff. Si cert. petat. & Peregrin. de Iur. Fisci lib. 6. tit. 3. num. 12.

Schol. secundum.

Quæro. Si præsens Thesaurarius super aliquibus spolijs inuentarium, executionem, & sequestrum, & similia fecerit, sed pretium inde cum effectu redactum non fuit, habebit ipse decimam, aut eius successor?

RESP. Ad successorem spectat, quia de verè exactis tantum decima debetur, & ita in facti contingentia decisum fuit in Camera coram Reuerendiss. Tudertino anno 1589. in causa Partiani subcollectoris in Regno Hispaniarum, & in simili casu idem censuit eadem Camera contra D. Gynum Capponum Prouinciæ Marchiæ Thesaurariū ad fauorem Illustrissimi D. Ferdinandi Tabernæ Cardinalis, & eiusdem Prouinciæ Legati 21. Martij 1605. coram Reuerendissimo Matthæio.

C I.

Edita Anno 1590.

SVperni cura regiminis, & infra, pagina 675. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vrbis ornatui intentus, aquam in eminentioribus eius locis, & præcipuè in Monte Quirinali adduci curauit ab Agro Columnensi ad frequentiorem ibi hominum habitationem inducendam, eamque à suo nomine Fœlicem appellauit, §.1. & seqq. Fontem propterea in platea S. Susannæ construxit, & ornauit, §.4. Vias, & plateas adiacentes adæquari fecit, §.5. Pro dictæ aquæ conseruatione eius curam Congregationi Cardinalium super Vijs, Pontibus, & Aquis curandis institutæ delegat, §.6. Annuum redditum pro Aquæductus conseruatione assignat, §.7. Visitatores eius duos Ciues Romanos quotannis eligi mandat, §.8. Eorum munus præscribit, §.9. Contrauenientibus his, quæ hac lege decernuntur, pœnas imponit, §.10. & seqq. Qui de hac aqua à Pont. quicquam obtinuerit supradictæ Congregationi rescriptum exhibeat, §.11. Eisdem Visitatoribus salarium constituit, §.14. Clausulas præseruatiuas, & derogatorias apponit, §.15. & seq.

Schol. primum.

Quæro. Aquæ vbertas cur frequentiorem habitationē, de qua in §.2. inducit?

RESP. Quia aeris corruptionem impedit, eiusq. salubritatem operatur; & multa incōmoda habitatoribus aufert l. vlt. cum ibi not. ff. de Riuis reficiend. Ripa in suo tract. de Peste in tit. de remed. Præseruatiu. num. 6. & Chassan. in Catalog. Glor. Mundi par. 12. consid. 18. in fine, ac Frontin. de Aquæduct. lib. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Ad quid illa exhibitio impetrationis aquæ, de qua in §.11.?

RESP. Ne quis amplius, quam impetratum fuerit, ducat. Et hæc erat vna ex S.C. legibus, aquarum, & aquæductuum publicorum, vt Frontin. iam cit. scribit libro 2. de Aquæductib. & refert Petrus Greg. lib. 3. Syntagm. iur. capit. vlt. num. 5.

C II.

Edita Anno 1590.

CVm ex debito Pastoralis officij, & infra pag. 678. Bullarij.

COMPENDIVM.

Comprobat iurisdictionem, & authoritatē à Paulo III. & Pio IIII. concessam Archipresbytero S. Petri, tàm in diiudicandis causis personarum eius Ecclesiæ, & conferēdis beneficijs, quàm in alijs, §.1. Iurisdictionem cognoscendi causas ampliat, §.2. Datque facultatem summariè, & appellatione postposita etiam nō friuola procedendi, §.3. In Curia, & extra citandi, § 4. causas ab alijs iudicibus reassumēdi, & inhibendi, §.5. Mandata executiua decernendi, § 6. Expensas taxandi, § 7. Singulis diebus in honorem Dei nō feriatis procedendi a.8. Canonicos, & alios à iuramento, & alijs censuris absoluendi, §.9. cætera in præmissis necessaria faciendi, §.10. commissiones manu Papæ non signatas non attendendi, §.11. Pontificalia munia, & iurisdictionē Ordinariam in personas dictæ Ecclesiæ exercendi, §.12. Fabricæ S. Petri superioritatem tenendi, Officialesque reformandi, &c. §.13. causas interesse dictæ Fabricæ concernentes cognoscendi, §.14. clausulas huius legis præseruatiuas, Decretumque irritans, & clausulas derogatorias appouit, §.15. & seqq.

Schol. primum.

Quæro. Stante clausula (*appellatione remota*,) de qua in §.3. si quis appellat nonne tenetur in appellatione inserere causam, ob quam iustificetur appellatio?

RESP. Sic tenet Franch. in cap. Pastoralis 53. de Appellat. num. 9. Felyn. in cap. Quoad consultationem 15. de Re iud. num. 20. & Rota in decis. Orani in vna Romana Casalium 14. Decembris 1562.

Schol. secundum.

Quæro. Operatur ne dicta clausula, vt ab excessiua taxatione expensarum, de quibus in §.7. appellari nequeat?

RESP. Non, quia sublata non intelligitur appellatio quoad accessoria Salyc. in l. fin. C. de Sentent. n. 8. Felyn. in cap. Causam quæ 18 de rescript. n. 27. Rota in decis. Robuster. 100. par. 1. Diuersor. nu. 11. & 34. vbi declarat.

C III.

Edita Anno 1590.

DVm ad vberes, & infra, pagina, 679. Bullarij.

COMPENDIVM.

Erigit in Monte Quirinali Vrbis Burgum Fœlicem Sancti Bernardi, §.1. & 2. Priuilegia habitantibus, vel fabricantibus in eo concedit, quæ habitantibus, vel fabricantibus in Via Fœlici ab ipso concessa fuerunt, §.3. & seq. Executores deputat, §.5. contrarijsq; derogat, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Cur Burgus Fœlix, & Sancti Bernardi nuncupatur?

RESP. Fœlix à proprio huius Pontificis nomine, & S.Bernardi, à locis, vbi constructus est, ad Confraternitatē S.Bernardi de Vrbe spectantibus, vt omnes sciunt, & à con textu Bullæ mēt optimè colligitur.

Schol. secundum.

Quæro. Habitatores, de quibus in §.3. qui propriè dicuntur?

RESP. Qui in aliqua dicti Burgi domo faciunt focū, tenent lectum, comedunt q; & bibunt Bald.consf.242. Quia veritas lib.1.num.8. & cons.198. Statutum Ciuitatis lib.2. nu.3. vel in ea tenent familiam, licèt ipsi seorsum habitent, idem Bald. cons.234. lib.1. in princ. vbi ad finem ampliat etiam in habitante de nocte, vel de die tantum.

C I V.

Edita Anno 1590.

CIrcumspecta Rom. Pontificis prouidentia, & infra, pag.881. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Pium IV. in sua const.60. de qua supra pag.18. Fratres militiæ S. Stephani exemisse à iurisdictione Ordinariorum, solutioneq; decimarum, aliaque indulta eis concessisse, .1. Facultatemq; eisdem etiam bigamis pensiones obtinendi, & transferendi vsque ad summam ducat. 200. §.2. Subdit Pium V. in sua const.73. de qua sup. pag.56. huiusmodi indulta generaliter, quoad pensiones, reuocasse, §.3. Innouat ipse indultum Pij IV. quoad dictas pensiones, §.4. Illudq; iteratò concedit, §.5. Eximit ab onere deferendi habitum, & tonsuram clericalem, §.6. Indulgetque per contractum matrimonij, & exercitium Militiæ pensiones non vacare, §.6. Clausulas huius Bullæ præseruatiuas apponit, §.7. Executores deputat, §.8. Contrariaq. remouet, §.9.

Schol. primum.

Quæro. Hi Milites exēpti à iurisdictione Ordinariorū, vt in § 1. poterunt in eorum iurisdictione consentire?

RESP. Non, quia hoc priuilegium datum est Religioni, (vt de his Militibus in specie loquendo) scribit Caball. casu 225. num.11. & seqq.

Scholium secundum.

Quæro. Iidem Milites à quo iudicantur?

RESP. A consilio Religionis, vel à Deputatis à Magno Magistro, vt statutis illius in §.4. caueri scripsit Cabal. casu 225. num.16. & 23.

C V.

Edita Anno 1590.

CVm singularum rerum, quas D.N. & infra, pag.682. Bullarij.

COMPENDIVM.

Scalas Sanctas tēpore Passionis Sacri SALVATORIS Nostri vestigijs calcatas, eiusq; cruore respersas ab Hierosolymis è Prætorio Prælati Romam dudum aductas, & apud Basilicam S.Ioannis Lateran. asseruatas sanctiori loco, nempè apud Capellam S Saluatoris, Sancta Sanctorum nuncupatam, propè dictam Basilicam decentiùs reposuit, §.1. Porticum ante eas extruxit, §.2. Sacella duo ad latera dictæ Capellæ exædificauit, §.3. Mysteria Passionis in lateribus Scalarum depingi voluit, §.4. Sacella prædicta, & Sacristiam ornamentis Ecclesiasticis ditauit, §.5. Modò vnā Præpositiuram, vnam Sacristiā, quatuor Capellanias, quatuor Clericatus, & vnum Ostiarium instituit, §.6. Munus eorum præscribit, §.7. Annuos redditus assignat, §.8. Eleemoiynas ibi elargiendas certo modo distribuendas decernit, §.9. Iurispatronatus, & præsentandi ad hæc beneficia Michaeli Peretto eius pronepoti, & descendentibus masculis concedit, §.10. Collationem Præpositiuræ Vicario Papæ, & aliorum beneficiorum ipsi Præposito tribuit, §.11. Clausulas huius constitutionis præseruatiuas apponit, §.12. Et decretum irritans, §.13. Executores deputat, §.14. Contrarijsq. derogat, §.15.

Schol. primum.

Quæro. Ista Capella Sanctissimi Saluatoris cur Sancta Sanctorum appellatur, vt in §.1.?

RESP. Quia ibi antiquitus asseruabantur (vltra alias quamplures aliorum SS. Reliquias) Capita SS. Apostolorum Petri, & Pauli, vt scribit Io. Andr. in cap.1. de Vita, & honest. Cleric. in fine, & Troyl. Maluet. de Canonizat. Sanctor. in 1. Dub. num.17. Hoc idem sentit Onuphr. Panuin. de Præcip. Vrbis Romæ Basilic. pag. mihi 231. & seq. vbi subdit, quòd Vrbanus V. postea illa in digniorem locū Basilicæ Lateranen. vbi eadem hodie venerantur, transtulit.

Schol. secundum.

Quæro. Si aliqua de antiquitate, ac præstantia huius sacrosanctæ Basilicæ scire cupiam, vbi abundè perlegam?

RESP. Luculenter omnia describit in suo Opusculo Onuphr. Panuin. de Præcip. Vrbis Romæ Basilic. pag. mihi 135. & seqq. & Pompeius Vgonius in tractatu de Vrbis Stationibus in Statione ad Ecclesiam Lateranen.

GREGORIVS XIV. Italus, creatus Anno 1590.

CONSTIT. I.

ROmanus Pontifex, & infra, pagina 686. Bullarij. Edita Anno 1590.

COMPENDIVM.

Pius V. constituit. eius 35. edidit de non alienandis, & infeudan. Terris, & locis S.R.E. in §.1. Quam hic Pontifex approbat, innouat, & inuiolabiliter obseruari præcipit §.2. Sanctionemque pœnalem apponit, §.3.

Schol. primum.

Quæro. Loca, quæ ad Sedem Apostolicam contra contumacem Iudex deuoluta declarauit, dicuntur perpetuò ad eam spectare?

RESP. Non, quia infra annum contumax potest comparere, & interim vasallus non priuatur proprietate feudi, sed possessione tantum, vt censuit Rota in decis. Seraphin. 290. in Nouis, num.9.

Schol. secundum.

Quæro. Finito feudo ob temporis cursum, poterit ne Sedes Apostolica, cui ipso iure feudum apertum fuit, illius accipere possessionem, etiam alio illud possidente non citato?

RESP. Affirmatiuam sententiam probat Bald. in cap. Quæ in Ecclesiarum 7. de Constitutionibus num.62. & ita in simili casu pronunciatum esse firmat Boss. in tit. de Princip. nu.331. & amplissimè de hoc scribit Caualcan. in decis.36. par.2. num.336. & seqq.

I I.

ROmanus Pontifex, & infra, pagna 687. Bullarij. Edita Anno 1591.

COMPENDIVM.

Elargitur Congregationi Clericorum Regularium Minorum, omnes gratias, & priuilegia Congregationis Presbyterorum Theatinorū, §.1. & 2. Etiam ea, quę per viam cōmunicationis, & extensionis illi gaudere possunt, & potetunt in futurum, perinde ac si singula præmissa illis specialiter, & expresse, &c. §.6. Concessionem istam de subreptione, & obreptione notari vetat, §.3. Et ita iudicari man-

mandat, §. 4. Obstantiaque tollit, §. 5.

Schol. primum.

Quaero. Communicatio ista locum habebit etiam quoad oblatos actu non seruientes?

RESP. Non, quia quoad illos, Theatinorum priuilegia sunt reuocata circa ea, quibus iurisdictio Episcopalis perturbatur à Conc. Trident. sess. 24. cap. 11. de Reformat. Ideo de illis non potest intelligi communicatio data Clericis Minoribus, vt aduertit Roderic. de Quaestion. Regul. quaest. 55. art. 21. ad finem.

Schol. secundum.

Quaero. Illa clausula *perinde, &c.* de qua in §. 2. cuius est effectus?

RESP. Quòd omnia priuilegia simul, singulis dicti Clericis Minoribus concessa intelligantur Dec. cons. 36. incip. Omissa aum. 4. Corn. cons. 268. lib. 4. num. 22. Rota in decis. Cantucij 54. par. 2. Diuers. nu. 17. & seqq.

III.

Edita Anno 1590.

CIrcumspecta Romani, & infra, pagina 687. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V. duas edidit constitutiones, de quibus supra pag. 130. circa receptionem Nouitiorum ad Ordines Regulares in §. 1. Eas hic Pont. quoad dispositа circa Nouitios illegitimos, reducit ad terminos iuris, & declarat illegitimos admitti posse, ita tamen, vt ij illegitimi recipi possint, quorum tot sint merita, vt natalium suppleant defectum, & eorum receptio Religioni profutura videatur, §. 2. & 3. Generalibus Ordinum dat facultatem dispensandi illegitimos eorum suffragantibus meritis, & non aliàs ad dignitates iuxta eorum priuilegia, §. 4. Superioribus Monasteriorum receptionem Nouitiorum committit, §. 5. Et ita iudicari praecipit, §. 6. Quibuscunque non obstan. §. 7.

Schol. primum.

Quaero. Ista dictio (*ita tamen,*) de qua in §. 3. inducit ne conditionem, aut formam praecisam, vt irrita sit professio absque illis meritis receptorum?

RESP. Hinc inde arguit Roderic. de Quaestion. Regular. tom. 3. quaest. 8. artic. 5. & partem negatiuam tuetur.

Schol. secundum.

Quaero. Sine causa poterunt ne à Generalibus dispensari illegitimi ad dignitates, de quibus in §. 4.?

RESP. Non, quia sic clarè disponitur, ob illa verba, *eorum suffragantibus meritis*, vltra quod ita etiam de iure esset haec lex interpretanda, vt scripsit Roderic. vbi supra tom. 1. quaest. 13. artic. 14.

IIII.

Edita Anno 1590.

COgit nos deprauata, & infra, pagina. 688. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inhaerendo constitutioni 63. Pij IV. de qua supr. pag. 19. Sponsiones, siue commissas super vita, morte, aut creatione Papae, vel promotione Cardinalium prohibet, §. 1. Quidquid in eis deductum est pijs locis applicat, §. 2. Quae cum delinquentibus transigere, & se concordare vetat, §. 3. Ecclesiasticisque personis sponsiones facientibus poenam priuationis beneficiorum imponit §. 4. Omnibusque excommunicationis poenam infligit, §. 5. Et ita iudicari praecipit, §. 6. Quibuscunque non obstan. §. 7.

Schol. primum.

Quaero. Si sponsio ante hanc prohibitionem ita concepta fuisset: Hac die 12. Decembris ego Petrus accipio ab Antonio scuta centum, eidem restituturus bis centum, casu, quo Papa nec crearet, neque publicaret Cardinales ab hodie ad totum mensem Ianuarij: Et per horam ante initam hanc sponsionem, à contrahentibus probabiliter ignoratam fuissent creati, & publicati Cardinales, esset ne valida huiusmodi sponsio?

RESP. Casus euenit Florentiae anno 1583. & sic ante hanc editam Gregorij constitutionem, & doctissimè discussus fuit, & negatiuè resolutus, vt plenè legitur in decis. 8. Magonij per totam.

Schol. secundum.

Quaero. Dicetur perfectus contractus commissae, si idē Petrus numerauit scuta centum Antonio praesenti, & recipienti, restituturo bis centum, si infra certum tempus, Papa crearit Cardinales, sed cum apocham, quae de more confici solet, conscribere vellent, Antonius discessit relictis pecunijs, & cedula dimissa, & paulò post innotuit Papam creasse Cardinales?

RESP. Imperfectus dicitur, cum verisimiliter non sine scriptura partes contrahere voluerint, & ante illius confectionem licet poenitere, ita censuit Rota in decis. Seraph. 854. per totam in Nouis.

V.

QVanta Reipublicae Christianae, & infra pagina 690. Bullar.

Edita Anno 1590.

COMPENDIVM.

Confirmat quaecumque priuilegia Militiae S. Ioannis Hierosolymitani, §. 1. & seqq. Pius IIII. concessit Magno Magistro, & Conuentui facultatem vniendi, & dismembrandi beneficia Ordinis, §. 4. Ampliat hic Pont. facultatem istam habere tàm ante, quàm post mortem possessorum §. 5. Extendit omnia priuilegia ad donatos ibidem. Clausulas huius concessionis praeseruatiuas addit, §. 6. Et clausulam, Sublata, &c. Necnon contrariorum derogatorias, §. 9. Praeseruat tamen declarationes Pij V. & Gregorij XIII. atque Concilij Tridentini, §. 10. Transumptis huius priuilegij credi iubet, §. 11.

Schol. primum.

Quaero. Priuilegio fori, quod habet Miles, vltra alia multa hic approbata in §. 3. posset forsitan, si vellet renunciare?

RESP. Non, quia non sibi datum est, sed Religioni, vt de bis militibus loquendo, pro absoluto scripsit Caball. cas. 225. num. 12.

Schol. secundum.

Quaero. Sunt ergo hi Milites Religiosi?

RESP. Sunt, & praesertim quoad priuilegium fori, Rota in decis. 47. Caesaris de Graff. num. 12. Prout nec eos testari posse dixit Rota coram R. P. Ludouisio postea Sanctissimo in vna Interamnen. Bonorum 5. Maij. 1603.

VI.

ONus Apostolicae seruitutis, & infra, pagina 691. Bullarij.

Edita Anno 1591.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum decreuit ad Cathedrales Ecclesias eligi viros insignes §. 1. Hic Pontif. Concilium, cui vti Episcopus Cremonen. interfuit, exequi exoptauit, §. 2. Concilium mandauit, vt in quibuscunque locis in Synodo prouinciali praescriberetur forma examinis à Metropolitano à Papa approbanda, §. 2. Sed in paucis locis id executum fuit, §. 4. Hic ideo Pontif. munus huiusmodi examinis extra Curiam, quoad promotionem ad Episcopatus demandat Sedis Apostolicae Legatis, Nuncijs, & Ordinarijs. §. 5. In Curia verò Cardinalibus ad hoc deputandis, vel Protectoribus Regnorum, in quibus promouendi existunt, si ad eorum protectionem illae Ecclesiae pertinent, §. 6. Formam instructionis, & examinis praescribit, §. 7. & seqq. Similem inquisitionem de statu Ecclesiae, fideiq; professionem à promouendis fieri iubet, §. 10. Processum huiusmodi à Cardinalibus prioribus Ordinum examinari mandat, §. 11. Eandem inquisitionem haberi iubet de-

promouendis ad Ecclesias, de quibus consistorialiter prouidetur, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Huiusmodi processus, & examinis practicam quis me edocebit?

R E S P. Ad plenum scripsit Patis. in tract. de Resignat. Benefic. tom. 2. lib. 8. quæst. 5. post huiusmodi Bullam Romæ edito, vbi eiusdem explicationem specialiter tradit.

Schol. secundum.

Quæro. Consistorialium beneficia cur sic appellantur?

R E S P. Quia Papa de eis in Consistorio coram Cardinalibus disponit, vel in libris Cameræ Apostolicæ inter cōsistorialia descripta sunt; Rota in vna Nolana coram Paleotto die 2. vel 19. Iunij 1559. & Caputaq; decis. 19. in Manuscriptis incip. Probatur beneficium. Et ideo qui allegāt, Papam non consueuisse de eis consistorialiter prouidere, sibi incumbit onus probandi, vt Rota tenuit in dicta causa Nolana, teste Caputaquen. in decis. 17. incip. Narranti.

VII.

Edita Anno 1589.

CVm alias nonnulli Prædecessores, & infra, pagina 964. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius V. & Sixtus V. certis casibus ab Ecclesijs delinquentes extrahendi facultatem Principibus sæcularibus dederunt in princip. Eorum tamen Ministri ea abusi sunt, vnde plurima mala euenerunt, §. 1. Illam ergo iste Pontifex reuocat, immunitatemque Ecclesiasticam seruari præcipit, §. 2. Excipit tamen publicos latrones, viarumq; grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, vel homicidia, & mutilationes membrorum committere non verentes, vel proditoriè proximum suum occidentes, vel assassinij, aut hæresis, aut læsæ maiestatis in personam ipsius Principis reos, §. 3. Hos enim si laici sint & aliquod prędictorum delictorum Curia Ecclesiastica commisisse videbit, Iudici laico requirenti remitti decernit ibid. Sed Curia sæcularis absque licentia Ecclesiasticæ personæ nullo pacto in casibus exceptis capiat, §. 4. Et ita captos Iudex Ecclesiasticus antequam illi Curiæ sæculari tradātur dijudicat an verè crimina prædicta commiserint, §. 5. Cognitionem autem criminis hæresis totaliter ad Curiam Ecclesiasticam spectare decernit, §. 6. Necnon causarum omnium personarum Ecclesiasticarum sæcularium, & regularium ad forum Ecclesiasticum pertinentium, §. 7. Et ita iudicari mandat, §. 8. Contrarijsque derogat, §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Si quis ex insidijs sclopi rotati ictu, aliquem occiderit, dicetur ne proditoriè occidisse?

R E S P. Non, prodere siquidem est vnum actum ostendere, & alium facere, & sic ad proditionem requiritur color amicitiæ, vt per tex. in l. 1. ff. de Pręuaricationibus docuit Bart. in l. Respiciendum. 11. §. Delinquunt, ff. de Pœn. num. 1. quem omnes sequuntur teste Clar. in §. Homicidium num. 10. Vinc. Franch. decis. 713. num. 14. & seq. & Ambrosin. de Immunit. Eccles. cap. 6. ac Genuens. in Pract. Curię Archiepisc. Neapol. cap. 94. vbi reiecta contraria opinione Farinac. in quæst. 18. num. 76. describit quoddam diploma Clementis VIII. qui in occurrenti casu ita hunc articulum diffiniuit, super quo casus contrarius sibimèt Farinac. aliter consuluerat cons. 76. num. 15.

Schol. secundum.

Quæro. Hæc immunitas ante, & post hanc editam sanctionem, quo pacto fuit in Vrbe obseruata?

R E S P. Semper, & inuiolabiliter, & proximis diebus in facti contingentia obseruatam vidi, in quodam Petro Aloysio Carro Mediolanen., qui homicidio commisso in persona Stephani Ferrarien. sui famuli, recepit se in Presbyterium S. Hieronymi de Caritate in Vrbe, vbi à birruarijs Curiæ Gubernatoris Vrbis captus, & deinde carceratus fuit die 3. Decembris 1613. Sed die 13. eiusdem ex decreto Vicesgerentis, Vicarij Papæ, in filza sententiarum criminalium penès acta Passarini tunc eiusdem Vicarij Notarij asseruata immunitatis Ecclesiæ priuilegio, potitus est. Quamuis postea fuerit in Curia prędicti Gubernatoris in contumaciam condemnatus, die 14. Februarij 1614. Vnde sæpius Genitorem meum audiui admirantem, & conquerentem aliter à Farinac. dictum fuisse in quæst. 28. num. 74. & Baiard. quæst. 30. num. 6. & subdentem, eorum dicta ab Officialibus Curiæ semper neglecta fuisse. Vltra quod si vel illi, vel alij populi, & Principes aliter facerent, nihil esset, quia solius Papæ est circa immunitatem Ecclesiasticam statuere, & iudicare, vt dicūt omnes in cap. Solitæ. 6. de Maiorit. & Obed. & in cap. 1. de Constitut. & luculenter Marius de Italia in suo, quem nouissimè edidit tract. de Immunitat. Eccles. lib. 1. cap. 3. §. 1. num. 3.

VIII.

Edita Anno 1589.

SEdes Apostolica pia mater, & infra, pagina, 695. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V. edidit constit. 87. de qua supra pag. 131. contra aborium procurantes, § 1. Quam hic Pontifex moderatur quoad reseruationem absolutionis ab excommunicatione Sedi Apostolicæ à dicto Sixto reseruatæ, §. 2. Et quoad procurantes aborium fœtus inanimati, & sterilitatis potiones dantes, suadentes, & auxiliantes, eam reducit ad terminos iuris communis, Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini dispositionem, §. 3. Contrariaque omnia remouet, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quæ est pęna iuris communis eius, qui sibi, vel alteri fętum inanimatum, de quo in §. 3. abegerit?

R E S P. Pęna exilij, vel alia arbitraria secundùm qualitatem facti, & personarum constituta fuit in l. Cicero. 39. §. fin. ff. de Pęn. & l. Si mulierem. 8. ff. Ad leg. Cornel. de Sicar. cum similibus, & tradit Iodoc. in Pract. criminal. cap. 74. de Homicid. per ven. pag. mihi 174. num. 10. & Farinac. quæst. 122. num. 137.

Schol. secundum.

Quæro. Sed quid si illa constitutio Sixti, de qua in §. 1. non erat publicata in loco, vbi, & quando quis non elapsis duobus mensibus à die dictæ publicationis potionem dedit, quamuis Romæ publicata esset, cum in ea adsit decretum irritans?

R E S P. Non, quia decretum irritans non ligat ignorantes, quoad pęnas graues, eo quod vt illæ incurrantur requiritur scientia vera ex publicatione in prouincia loci delicti, non autem præsumpta ex publicatione facta Romæ, nisi post duos menses, Alexand. cons. 52. lib. 7. num. 1. Corn. cons. 313. lib. 4. num. 9. & Rota in decis. Robuster. 578. par. 1. Diuersor. num. 3. Et sic non benè locutus est Graff. aliter dicens par. 1. suar. decis. lib. 2. cap. 63. num. 32.

IX.

Edita Anno 1589.

SAnctissimus D. N. D. Gregorius Papa XIII. & infra, pagina 696. Bullarij.

COMPENDIVM.

Die Festiuitatis Sanctissimæ Trinitatis, vsum bireti rubri Cardinalibus ex Ordinibus Regularium concessit, vt deferant more aliorum, habitu in cæteris nihil immutato, §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Alijs ne, quàm Cardinalibus, vsus huius bireti permittitur?

R E S P. Paulus II. statuit ne quispiam birretum coccineum, prẹter Cardinales proposita pęna deferret, teste Lancellot. Conrad. de Templo omnium Iudic. lib. 2. cap. 2. de Cardinalib. num. 3.

Schol.

Schol. secundum.

Quæro. Galero autem rubro quis Cardin. decorauit ?

RESP. Innocentius IV. in Concil. Lugdunen. Generali galerum rubrum eis dedit, quo significaret eius Ordinis homines, caput suum, cum, opus esset pro Ecclesiæ libertate tuenda, gladio offerre debere, eoq; præsertim tempore Innocentij, quo Romana Sedes à Friderico II. vehementer vexabatur, vt scribit Iacobat. de Concil. lib. 1. art. 1. numero 244. & post Platin. Ciacon. in Vita ipsius Innocent. pag. mihi 564. in princip. ac Menoch. de Arbitrar. Iud. casu 392. num. 8. & nouissime Leonard. Coque. in Antimornęo in Antidot. pag. 141. vers. Non tantum.

X.

Edita Anno 1591.

ECclesiæ Catholicæ, & infra, pagina 696. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus III. Iulius III. & Gregorius XIII. institutum Societatis IESV approbarunt, §. 1. & 2. Sed non defuerunt qui nonnulla à Summis Pont. approbata, & alia ad rationem gubernandi pertinentia impugnarunt ibidem, & §. 3. Ea igitur hic Pont. reprobat, §. 4. Societatisq; institutum, & priuilegia, ac statuta omnia, & constitutiones iterū comprobat, §. 5. & seqq. Superiorumq; electionem totam esse penès Præpositum Generalem, §. 8. Nouitios iuxta Societatis morem per Superiores admitti. §. 9. Graduum discretionem, & Coadiutorum, & Professorū promotionem esse in manu Præpositi Generalis, §. 10. Circa tempus electionis ad gradus constitutiones seruari, §. 11. Omnem authoritatem Prępósito concessam inuiolabiliter obseruari, §. 12. Et in dimissionibus forma constitutionum seruetur, §. 13. Omnis potestas Generalibus aliorum Ordinū, quoad subditorum punitionem concessa, æquè principaliter Prępósito concessa intelligatur, §. 14. Nomen Societatis IESV retineatur, §. 15. Religiosi post emissa vota, etsi simplicia ad presbyteratum promoueri possint, §. 16. Illisq; emissis ad Carthusianos tantum transire valeant, §. 17. Potestas dimittendi à Societate non professos illibata sit, §. 19. Constitutionum, & decretorum Societatis perturbatores, aut immutationem quærentes coerceantur, §. 20. & seqq. Constitutio Gregorij XIII. innouatur, §. 22. Præsentes subreptionis vitio notari nequeant, § 23. Nec sub quibuscunque reuocationibus comprehenduntur, §. 24. Et ita iudicetur, §. 25. Ordinarij curent prædictorum obseruantiam, §. 26. Contraria non obstent, § 27. Ista concessio alijs non communicetur, §. 28. Eius transumptis credatur, §. 29.

Schol. primum.

Quæro. Sicut permittitur disputatio de mysterijs Fidei cur non ita de impugnatione instituti huius Societatis ?

RESP. Quia illa est necessaria Ecclesiæ, & vtilissima ad conuertendos hæreticos, ista verò nec vtilis, nec necessaria, sed incitat inuidias, & parit discordias, & alia mala, vt de hac Societate loquendo concludit Roderic. de Quæst. Regular. tom. 1. quæst. 1. art. 5. in fine,

Schol. secundum.

Quæro. Quid dicen. de potestate Præpositi Generalis dimittendi ab hac Societate non professos, de qua in §. 19. ?

RESP. Dixit Nauar. de Regularib. Comment. 1. sub num. 19. Est quoddam nouissimum concessum huic Societati, & clarum, & declaratum à Greg. XIII. cui (vt vides) hæc etiam lex Greg. XIV. cohæret.

XI.

Edita Anno 1591.

BEati FRANCISCI, & infra, pagina 609. Bullarij.

COMPENDIVM.

Paulus III. habitum Fratrum Capuccinorum in sua constit. 11. de qua sup. pag. 121. tom. 1. cæteris alijs vetuit, §. 1. Pius IV. prohibuit habitum etiam consimilem, §. 2. Gregor. XIII. Fratribus Tertiarijs ex Ordine Conuentualium interdixit, §. 3. Hic Pont. Fratribus Reformatis eiusdē Ordinis Conuentualium, hanc prohibitionem innouat, §. 4. Mantellumq; longius ad longitudinem Conuentualium, & mozzettam latam, & longū supra gestare præcipit ibid. Capuccinis transitum ad Reformatos prohibet, §. 5. Eremitas quoslibet ex proprijs locis discedere vetat, & Capuccinorum habitu distincto vti iubet, §. 6. Inobedientesq; coerceri, §. 7. Quibuscunque non obstantibus, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Fuit ne alijs huiusmodi habitus vsus interdictus?

RESP. Sacra Congregatio Cardinalium de ann. 1588. decreuit, ne Fratres Congregationis Ioannis Dei portarent Capuccium acutum (hunc enim deferunt Capuccini) sed rotondum. Et à Sixto V. eodem anno fuit contra eosdem concessa inuocatio brachij sæcularis, ita refert Capuccin. in adnot. ad Compend. Mendic. in §. Habitus, pag. mihi 263. & Roderic. de Quæstio. Regularib. tom. 2. quæstio. 76. artic. 4.

Schol. secundum.

Quæro. Ipsis autem Capuccinis liceret Capuccium occultè deferre ?

RESP. Non ex Concilij Tridentini dispositione in sessio. 25. cap. 19. de Regular. in fine, vbi occulta habitus delatio est interdicta, & consequenter delatio partis illius ex identitate rationis, de quibus latè agit, & notat Oldrad. cons. 184. num. 12. & seqq.

XII.

Edita Anno 1591.

SAlubrem Monasteriorum, & infra, pagina 700. Bullarij.

COMPENDIVM.

Iulius III. Cardinali Protectori Monasterij Monialium Sanctæ Marthæ nuncupati de Vrbe, iurisdictionem tribuit quascunque causas, & lites ciuiles, criminales, & mixtas circa personas, & bona dicti Monasterij, summariè simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, & sola facti veritate inspecta audiendi, §. 2. & 3. Et ab eius sententia appellare prohibuit d. §. 3. & seq. Hic Pontifex approbat, & innouat, §. 7. Clausulas præseruatiuas apponit, §. 8. Et ita iudicari mandat, §. 9. Contrarijsque omnibus derogat, §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Hæc prohibitionis appellatio ligat ne etiam tertium venientem ad causam pro suo interesse ?

RESP. Non, quia hæc dispositio, vel rescriptum, non egreditur partes principales litigantes capit. Super eo. 15. vbi Panormit. num. 3. & Dec. num. 27. de Offic. deleg. & Rota coram Millino in vna Romana Pecuniaria, die 19. Ianuarij 1598. & in decis. 100. Robuster. par. 1. Diuersor. num. 11.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si Iudex Monasterij appellationi deferret ?

RESP. Ligat sibi manus, vt sententiam exequi non possit, si simpliciter detulit; Secus si cum clausula (si, & in quantum) vel dedit reuerentiales in forma Rota decisio. 5. de Appellat. in Nouis. Contard. de Moment. possess. limit. 13. num. 18. Rota coram Mannica in vna Recanaten. Bonorum 26. Iunij 1587. & coram Pegna in vna Romana Damnorum, & Interesse 19. Iunij 1591.

Ro-

XIII.

Edita Anno 1591.

ROmanus Pontifex, & infra, pagina 701. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat, & de nouo concedit gratias, & indulta Ordinis Fratrum Cruciferorum, quatenus sint in vsu, & decretis Concilij Tridentini non contrariantur. §. 1. & 2. Communicatque omnia priuilegia cuicunque Ordini Mendicantium, & non Mendicantium concedenda specialiter & expressè, & non ad instar, §. 3. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §. 4. Executores deputat, § 5. Contrariaq; omnia remouet, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Dicta clausula (*quatenus sint in vsu*) quid operatur?

RESP. Vt dicantur confirmata ea solùm, quæ sint valida, & in viridi obseruantia, vt post alios scribit Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 1. quæst. 8. artic. 2. vers. Quod confirmatur.

Schol. secundum.

Quæro. Supradicta clausula refertur etiam ad subsequentem innouationem, de qua in §. 1.?

RESP. Ita sanè: Papa siquidem noluit innouare, quæ erant priuilegia inualida, & per contrarium vsum abrogata, ad scripta per Dec. in consi. 78. num. 2. versic. Cum ergo Ayn. consi. 37. num. 3. Rota in decis. Plattæ in vna Placentina Decimatum 21. Iunij & 9. Decembris 1588.

XVI.

Edita Anno 1591.

ROmanum decet Pontificem, & infra, pagina 702. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V. in sua constit. 94. de qua supra pag. 139. in Ciuitate Maceratæ Status Ecclesiastici, Rotam pro cognitione, & decisione litium Prouinciæ Marchiæ instituit, §. 1. Ad quam etiam à sententijs Episcoporum appellare permisit, §. 2. Hic Pont. limitat Rotæ facultatem quoad appellationes circa ea quæ pertinent ad visitationem, aut morũ correctionẽ, & in casibus, in quibus ab Ordinariorum decretis ex forma Sacrorum Canonum, & decretorum Concilij Tridentini, & constitutionum Apostolicarum appellationes suspensiuæ prohibentur, §. 3. & seqq. In cæteris confirmat, §. 7. Clausulas Bullæ præseruatiuas apponit, §. 8. Executorem, & Protectorem deputat, §. 9. Contrarijsque omnibus derogat, §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Quid in causis, in quibus Ordinarij vigore Concil. Trident. vti Sedis Apostolicæ delegati, procedunt quæ sub eorum ordinaria iurisdictione non comprehenduntur?

RESP. Appellari non posse statuit Sacra Congregatio super consultationibus Episcoporum anno 1610. & sic post hanc editam sanctionem, cuius Congregationis decreti verba recenset Stephan. Quarant. in §. Archiepiscopi authoritas pag. mihi 69. & Genuens. in pract. Cur. Archiepisc. Neapol. cap. 88. in fine, pag. mihi 479. versic. Ab executione.

Schol. secundum.

Quæro. In causis non exceptis, verus contumax appellabit ad Rotam?

RESP. Non, quia Pontificiæ constitutiones id prohibent & in §. 6. ponitur inter casus exceptos omnis casus appellationis prohibitæ à constitutionibus Apostolicis, & nihilominus dicta Congregatio idem explicitè determinauit in dictis decretis à Quaranta, & Genuen. transcriptis, vbi supra in eorum capite vltimo.

XV.

Edita Anno 1591.

EXponi nuper fecit, & infra, pagina 704. Bullarij.

COMPENDIVM.

Proponuntur Papæ difficultates, propter quas dura nimis est obseruantia constitutionis 71. Sixti V. de qua supra pag. 130. editæ super receptione Nouitiorum in princ. Supplicaturq; pro opportuna prouisione. §. 1. Papa ergo declarat, intactam remanere rationem Societatis, tàm in recipiẽdis Nouitijs, quàm in dispensationibus ad quælibet officia & dignitates in Societate obtinenda, §. 2. Constitutionib. quibuscunque non obstan. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Nouitij profitentur aliquam certam regulam, vel Societatis constitutiones solum pro regula?

RESP. Constitutiones tantùm pro regula, vt inquit Azor. de Institut. Moral. lib. 13 par. 1. cap. 11. vers. Decimotertio quæritur.

Schol. secundum.

Quæro. Si Nouitius ante emissam professionem deliquit, ita ut pœnam carceris mereatur, poterit ne inuitus carcerari?

RESP. Non, quia in his, quæ transgrediuntur, solum tenentur pœna expulsionis, cui solummodo se subiecit Nouitius, durante Nouitiatus tempore, sibi indulto ad experiendum mores Religionis ita scripsit Roderic. de Quæst. Regular. tom. 1. quæst. 21. art. 11.

XVI.

Edita Anno 1591.

ROmanus Pontifex, & infra, pagina 704. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio S. Bernardi in Italia Monachorum Ordinis Cistercien. Papæ supplicat pro confirmatione gratiarum eius, & communicatione priuilegiorum aliarum Congregationum dicti Ordinis, §. 1. Qui indulta dictæ Congregationis approbat, & iteratò concedit, §. 2. & 3. Indulta aliarum Congregationum concessa, & concedenda communicat, in quantum ipsi Congregationi expediat, & eius ordinationibus non sint contraria, §. 4. Et ita iudicari præcipit, § 5. Executores huius constit. deputat, §. 6. contrarijsque derogat, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Illud verbum *concedenda* in §. 4. nonne est superfluum, cum appellatione omnium priuilegiorum, nihil sit, quod non contineatur?

RESP. Hoc locum haberet, si indeterminatè considerentur omnia priuilegia; secus si cum modificatione vt hic attento illo verbo, *concessa*, quo casu concedendæ non veniunt, vt probat Roder. de Quæstion. Regular. to. 3. quæstio. 51. art. 1. vbi alios congerit.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si Abbas, vel Prior renunciaret alicui priuilegio?

RESP. Nihil nocet, quia datum est non sibi, sed Congregationi Bald. consi. 337. lib. 4. num. 4. Roder. vbi supra art. 5. in fine.

XVII.

Edita Anno 1591.

ILlius, qui pro gregis, & infra, pagina 706. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V. in eius const. 25. de qua sup. pag. 117. approbauit Congregationem Clericorum Ministrantium Infirmis, §. 1. Congregatio deinde Regulam constituit, §. 2. Su-

Super quattuor votis, Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ, & perennis ministerij infirmorum, §. 3. & 4. Generalisq; & consiliorum officio, §. 5. Eiusdem Generalis electione, & votis ab eo emittendis, §. 6. Missorum ad Hospitalia officio, §. 7. Munerum receptionis prohibitione, §. 8. Officiales Hospitalium, vt ad Ordinem recipi possint declaratur, §. 9. Infirmiq; extra Hospitalia, vt visitentur, §. 10. Emolumenta ab eis non quærenda sunt, §. 11. Officia Diuina, vt recitanda, §. 12. Exempti sint à Processionibus, §. 13. Orationem, & Sacramenta frequentent, §. 14. Nouitios vt recipiant, §. 15. Sacerdotum quis sit habitus, §. 16. Sacerdotum, & laicorum qui numerus, §. 17. Studentium exercitium in quibus, §. 18. Loca recreationis quæ, §. 19. Nouitiorum habitatio quæ, §. 20. Hanc Regulam hic Pont. approbat, §. 21. Congregationem sub Sedis Apostolicæ protectione recipit, §. 22. Licentiam emittendi supradicta quattuor vota concedit, §. 23. Aliosq; in Religionem recipiendi, §. 24. Ac statuta condendi, §. 25. Priuilegia quorumcumque Ordinum à Summis Pontificibus, & Sede Apostolica concessa, quæ tamen sint in vsu, & non reuocata, aut decretis Concilij Tridentini contraria, communicat, §. 26. Generali dat facultatem subditos absoluendi, §. 27. Professoribusque huius Ordinis dat facultatem suscipiendi Ordines sacros à quocumque Antistite, §. 28. Generali dat authoritatem dispensandi super defectu natalium, §. 29. Aliaq; loca recipiendi, §. 30. Appellationem à correctione Regulæ huius Congregationis vetat, §. 31. Impetrationemq; Prælaturarum extra Congregationem, §. 32. Præfecto solum confiteri permittit, §. 33. Ad alios Ordines transire prohibet, §. 34. Apostatas coerceri iubet, §. 35. Congregationes Laicorum recipere indulget, §. 36. Diuinorum celebrationem concedit, §. 37. Exemptionemq; ab Ordinatiorum superioritate, §. 38. Priuilegia, & indulgentias aliorum Ordinum ad Congregationem extendit, §. 39. & seq.

Schol. primum.

Quæro. In concessione priuilegiorum quid operatur illa clausula, *quatenus sint in vsu*, vt in §. 26.?

R E S P. Importat conditionem, vt scilicet allegans, illa priuilegia esse in vsu, debeat id probare Dec. in rubr. de Confirm. vtil. vel inutil. n. 2. & Berous nu. 9. & 10. & Rota in decis. Cottæ 56. p. 1. Diuersor. n. 5. & in dec. Seraph. 780. ibid. n. 5. & 10.

Schol. secundum.

Quæro. Appellatione priuilegiorum concessorum, num veniat etiam consuetudo eius temporis cursus, cuius initium hominum memoriam excedit?

R E S P. Sententia affirmatiua verior est, & magis communiter recepta teste Dec. in cons. 497. nu. 5. & seq. Sed tamen id procedit cum simpliciter agitur de priuilegijs; Secus verò hic vbi agitur de priuilegijs à Summis Pont. & Sede Apostolica concessis, inter quæ non est connumerandum priuilegium temporis præscriptione acquisitum, Soc. Sen. cons. 260. sub n. 22. licet aliqua eius verba culpa Impressoris mihi videantur corrupta.

XVIII.

Edita Anno 1591.

EX iniuncto nobis, & infra, pagina 710. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pleriq; Pont. diuersis priuilegijs Eremum Camaldulen. eiusq; & S. Michaelis de Murano Congregationem donarunt, §. 1. Eiusq; loca sub Sedis Apostolicæ protectione susceperunt, §. 2. Exemerunt insuper à solutione decimarum, & collectarum, §. 3. Loca Ordinis per eius Superiores conferri decreuerunt, §. 4. Prælatorum numerum taxarunt, §. 5. Generali facultatem absoluendi Monachos amplissimam dederunt, § 6. Priori, & Eremitis Camaldulen. omnia indulta Eremi S. Romualdi concesserunt, §. 7. Dubia super prædictis oriunda ad fauorem Ordinis interpretari voluerunt, §. 8. Prædicta omnia hic Pont. confirmat, §. 9. Ordinarios in præmissis Congregationi fauere iubet, §. 10. Indulta quorumcumque regularium, Congregationi elargitur, §. 11. Prælatorum numerum auget, §. 12. Et ita iudicari mandat, §. 13. Executores huius concessionis deputat, §. 14. Contraria remouet, § 15. Clausulas præseruatiuas apponit, §. 16. Transumptis credi iubet, §. 17.

Schol. primum.

Quæro. Si cum assensu Papæ ista Religio eius bona alteri ad perpetuum liuellum concederet, liuellarius teneretur ne ad decimas, à quibus Religio est exempta, vt in §. 4.?

R E S P. Teneretur, quia hoc priuilegium est personale, tanquam datum personis pro rebus, & talis liuellarius dicitur vna persona, vt in specie de hac Eremi exemptione scripsit Martha in suo voto 66. per totum, & pro hac sententia facit decis. Rotæ 4. de Priuileg. in antiq. & decis. Seraph. 827. in Nouis.

Schol. secundum.

Quæro. Circumscripta dispositione, §. 8. interpretatio in dubio nonne erit fien. in fauorem huius Religionis?

R E S P. In quæstione cum alijs non Religiosis, aut non æquè priuilegiatis, ad fauorem Religionis interpretatio sumenda est Tiraquel. de Priuileg. Piæ causæ in priuil. 148. L. 1. vbi Scribb. Cod. de Sacros. Eccles.

XIX.

Edita Anno 1591.

SAnctissimus in Christo, & infra, pagina 712. Bullarij.

COMPENDIVM.

Indulta omnia circa collationes beneficiorum Ecclesiasticorum S. R. E. Cardinalibus quomodolibet concessa, non tamen eorum, quibus ratione tituli, seu denominationis sui Cardinalatus ipsi præsunt, & quoad ea, in quibus illa effectum nondum sortita sunt cum omnibus inde secutis, moderatur, §. 1. Nouam dispositionem circa collationem beneficiorum familiarium eorumdem Cardinalium præfinit, §. 2. Et ita, & non aliter iudicari posse decernit, §. 3. Contrarijsq; derogat, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Ex hac reuocatione indultorum quot modis limitantur indulta Cardinalium?

RESP. Sex modis, quos sigillatim recenset Gonzal. super 8. Reg. Cancel. glos. 24. num. 72. fol. mihi 431. vbi subdit quod plura desuper adducit Germon. in suo tract. de Indult. in § Præterquam cum §. §. seqq. & in §. Etiam si sæcularia.

Schol. secundum.

Quæro. In collatione beneficiorum familiaris Cardinalis, de quibus in §. 2. cuius Cardinalis consensus requiritur, illius, cuius defunctus erat familiaris tempore obitus, vel illius, cuius est familiaris tempore, quo beneficium obtinuit.

R E S P. In hac re quandoque dubitauit, sed tandem consensum Cardinalis, in cuius familiaritate quis decessit attendi censuit Rota, vt habetur in decis. 1072. Seraph. n. 1. in Nouis.

INNOCENTIVS IX. Italus. creatus Anno 1591.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1591.

QVæ ab hac Sancta Sede, & infra, pag. 713. Bullarij.

COM-

COMPENDIVM.

Enarrat à Pio V. editam constitutionem 35. de qua sup. pag. 44. de non alienandis, & infeudandis S.R.E. §.1. Eamque Gregorium XIII. Sixtum V. & Gregorium XIIII. approbasse, atque innouasse. §.2. Ipse quoque confirmat, & perpetuò obseruari præcipit, §.3. Declaratq; eam intelligi, etiam de locis mediatè Sedi Apostolicæ subiectis, §.4. Et extendit ad tractationem alienandi, & infeudandi tam post, quàm antequam ipsa loca deuoluantur, omnemq; infeudationis prorogationem d. §.4. Decernit etiam in promissione Cardinalium de obseruantia dictæ Bullæ Pij V. intelligi de illa sic declarata, & extensa, §.5. Et ita, & non aliter iudicari præcipit, §.6. Hanc Bullam iuxta illam Pij V. describi mandat, §.7. Contrarijsq. derogat, §.8. Sanctionem pœnalem apponit, §.9.

Schol. primum.

Quæro. Legitimatio ad feuda est ne species prorogationis feudi, de qua in §.4.?

R E S P. Est siquidem, quia illegitimi ad feuda Ecclesiastica succedere iam interdixit Pius V. in sua constit. 117, de qua supra pag. 69. Et ita frequenter tentum fuit in Camera Apostolica, & præsertim in illa Interamnen. Successionis Castri Pedisluci de anno 1601. 28. Martij coram Crescentio, & in simili casu Socin. iun. cons. 95. lib. 3. nu. 39.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si Papa legitimaret ad feuda, sed non specificè exprimeret ad Ecclesiastica?

RESP. Ad Ecclesiastica non extenderetur, nam cum interdicta sit hæc facultas à Pio V. in sua constitut. 35. de qua supra pag. 44. non censetur successor, qui eadem iurauit, contrauenire voluisse Seraph. de Priuil. iuram. in priuil. 22. num. 9. & 17. & facit decis. Rotæ 153. p. 1. diuers. nu. 2.

II.

Edita Anno 1591.

AD Romanum, & infra, pagina 724. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet in Vrbe reos vigore alicuius Papæ rescripti de crimine aliquo condemnari, sed ius commune constitutiones Pontificias, & statuta attendi iubet, §.1. Legitimam filiorum in vita parentum non confiscari, sed ius commune seruari mandat, §.2. Compositionem in Dataria solui pro licentia dandi dotem supra summam à statuto taxatam prohibet, §.3.

Schol. primum.

Quæro. Si legitima filiorum viuentibus Genitoribus non potest confiscari, vt in §.2. poterit ne filius pro delicto existens in carceribus à quibus aliter euadere non possit, agere contra patrem, vt legitimam ei assignet, vt cum ea se à carceribus liberet?

RESP. Poterit, quia id filio permittitur de iure, cui hic Pont. non derogat, quinimo Apostolicas constitutiones ad ius commune reducit per ea, quę scripsit Gugl. de Benedic. in cap. Raynuntius de testam. in §. in eodem testamento il primo n. 215. & Farin. q. 24. n. 1. & seqq. qui ad hoc allegat Duen. in Reg. 356. nu. 5. Qui tamen in fine contrarium tenet; eo quod statutum (de quo ipse loquitur) Quod pater teneatur dare filio legitimam in eius vita, nihil operaretur. Id autē in casu nostro nihil officit, quia in hac lege non decernitur pattem ad solutionem legitimę absolutè, & simpliciter non cogi, sed solummodo legitimam ad instantiam Fisci non confiscari; vnde ius commune intactum relinquit.

Schol. secundum.

Quæro. Hæc autem legitima defuncto patre post filij condemnationem spectabit ne amplius ad Fiscum?

RESP. Non, quia confiscatio non trahitur ad futura, sed solum comprehendit bona, quæ sunt condemnati tempore condemnationis Gomes. in tit. de Confisc. Bonor. n. 1. Clar. quæst. 78. n. 23. & Farin. vbi supra nu. 19. & seq.

FINIS SECVNDI TOMI.